This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

B 1,240,787


ARTES
VERITAS
SCIENTIA
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR

363
.M8

MONUMENTA

SPECTANTIA

HISTORIAM SLAVORUM MERIDIONALIUM

EDIDIT

ACADEMIA SCIENTIARUM ET ARTIUM SLAVORUM MERIDIONALIUM.

VOLUMEN VIGESIMUM TERTIUM.

ZAGRABIAE 1892.
EX OFFICINA SOCIETATIS TYPOGRAPHICAE.

ACTA BOSNAE

POTISSIMUM ECCLESIASTICA

CUM INSERTIS EDITORUM DOCUMENTORUM REGESTIS

AB ANNO 925 USQUE AD ANNUM 1752.

COLLEGIT ET DIGESSIT

P. EUSEBIUS FERMENDŽIN,

ORD. S. FRANCISCI, PROVINCIAE CAPISTRANAE FILIUS, ACADEMIAE SCIENTIARUM ET ARTIUM SLAVORUM MERIDIONALIUM SOCIUS CORRESPONDENS.

EDIDIT

ACADEMIA SCIENTIARUM ET ARTIUM SLAVORUM MERIDIONALIUM.

ZAGRABIAE 1892.

IN TABERNA LIBRARIA EIUSDEM SOCIETATIS TYPOGRAPHICAE.

MONUMENTA

SPECTANTIA

HISTORIAM SLAVORUM MERIDIONALIUM

VOLUMEN XXIII.

ACTA BOSNAE

POTISSIMUM ECCLESIASTICA

CUM INSERTIS EDITORUM DOCUMENTORUM REGESTIS

AB ANNO 925 USQUE AD ANNUM 1752.

ZAGRABIAE 1892.

IN TABERNA LIBRARIA EIUSDEM SOCIETATIS TYPOGRAPHICAE.

EX OFFICINA SOCIETATIS TYPOGRAPHICAE.

U knjižari jugoslavenske akademije (knjižari Dioničke tiskare) u Zagrebu

mogu se dobiti knjige, koje izdaje jugoslavenska akademija znanosti i umjetnosti, koje izlaze njezinom pomoću i koje su prešle u njezinu svojinu:

A. Knjige, koje izdaje akademija.

I. Zbornici (knj. 1—182):

1. **Rad jugoslavenske akademije znanosti i umjetnosti** (knj. 1—112):
   — knjige I. do LIX. i LXXX. svima trima razredima zajedničke. Ciena knj. I—XIX, svakoj 1 fr. 25 nč. Knj. XX. do LIX. svakoj 1 fr. 50 nč. Knj. LXXX. 2 for.
   — Filologičko-historičkoga i filosofičko-juridičkoga razreda. Knj. LX., LXII., LXIII., LXV., LXVII., LXVIII., LXX., LXXI., LXXIII., LXXIV., LXXVI., LXXVII., LXXIX., LXXXI., LXXXII., LXXXIV., LXXXV., LXXXVI., LXXXIX., XCI., XCIII., XCIV., XCVI., XCVII., XCVIII., XCIX., C., CI., CII., CIII., CV., CVIII., CX. i CXII. (I—XXXVI.) Ciena po 1 for. 50 nvč.
   — Matematičko-prirodoslovnoga razreda. Knj. LXI., LXIV., LXVI., LXIX., LXXII., LXXV., LXXVIII., LXXXIII., XCII., XCV., CIV., CVI. CVII., CIX. i CXI. (I—XV). Ciena CXI. knjizi 2 for. 50 novč., ostalim 1 for. 50 nč. Svakoj svezci 75 nč.
   — Boškovićev. Knjiga LXXXVII., LXXXVIII, XC. Ciena 4 for. 50 novč.
2. **Stari pisci hrvatski** (knj. 1—19).
   — Knj. I. Pjesme M. Marulića. U Zagrebu 1869. Ciena 2 fr. a. v.
   — „ II. Pjesme Šiška Menčetića Vlahovića i Gjore Držića 1870. Ciena 2 fr.
   — „ III. i IV. Pjesme Mavra Vetranića Čavčića. 1871. i 1872. Ciena III. knj. 2 fr., knj. IV. 2 for. 50.
   — „ V. Pjesme Nikole Dimitrovića i Nikole Nalješkovića. 1873. Ciena 2 fr.
   — „ VI. Pjesme Petra Hektorovića i Hanibala Lucića. 1874. Ciena 2 fr.
   — „ VII. Djela Marina Držića. 1875. Ciena 3 for.
   — „ VIII. Pjesme Nik. Nalješkovića, A. Čubranovića, M. Pelegrinovića i S. Mišetića Bobaljevića i Jegjupka neznana pjesnika. 1876. Ciena 1 for. 70 nvč.
   — „ IX. Djela Ivana Fr. Gundulića. 1877. Ciena 5 for.
   — „ X. Djela Frana Lukarevića Burine. 1878. Ciena 2 fr. 50 nč.
   — „ XI. Pjesme Miha Bunića Babulinova, Maroja i Oracija Mažibradića i Marina Burešića. 1880. Ciena 1 for. 80 nč.
   — „ XII., XIII. i XIV. Djela Gjona Gjora Palmotića. 1882., 1883. i 1884. Ciena knj. XII. 3 for. XIII. 3 for. 50 nvč. XIV. 2 for.
   — „ XV. Djela Antuna Gleđevića. 1886. Ciena 2 for.
   — „ XVI. Djela Petra Zoranića, Antuna Sasina i Savka Gučetića Bendeviševića. 1888. Ciena 2 for. 50 novč.
   — „ XVII. Djela Jurja Barakovića. 1889. Ciena 3 for.
   — „ XVIII. Pjesni razlike Dinka Ranine 1891. Ciena 2 for. 50 nč.
   — „ XIX. Djela Gjona Gjora Palmotića 1892. Ciena 50 nvč.
3. **Starine.** Knj. I—XXV. 1869—1891. Ciena I. knjizi 1 for. 25 nč. Knj. VII., X., XXI., XXII., XXIII., XXIV. i XXV. po 2 for., ostalim po 1 for. 50 nč.
4. **Monumenta spectantia historiam Slavorum meridionalium.** (Knj. 1—23):
   — Knj. I-V, IX., XII., XVII., XXI., XXII. 1868. 1870. 1872. 1874. 1875. 1878. 1882. 1886. 1890. 1891. Listine o odnošajih izmedju južnoga Slavenstva i mletačke republike. Ciena I., II., III. i IX. po 3 fr., IV., XXI. i XXII. po 4 fr., V. i XII. po 2 fr. 50 nč., XVII. knj. 2 fr.
   — Knj. VI., VIII., XI., 1876., 1877., 1880. Commissiones et relationes venetae. Tom. I. II. III. Ciena VI. i XI. knj 2 for. VIII. knj. 2 fr. 50 nč.
   — Knj. VII. 1877. Documenta historiae chroaticae periodum antiquam illustrantia. Ciena 6 for.
   — Knj. X. XIII. Monumenta ragusina. Tom. I. et II. 1882. Ciena X. knj. 2 50 nvč. Knj. XIII. 3 for.

Lectori benevolo.

Acta Bosnae, potissimum ecclesiastica, continent brevem conspectum totius historiae regni Bosnae, quae inde ab anno 925 usque ad 1752 fideliter enarratur.

Quod penes bonae memoriae reges, episcopos, s. sedis romanae legatos, vojevodas aliosque insignes viros, de memorato regno optime meritos, Religiosi quoque ordinis S. Francisci in his „Actis" plurimum commemorentur, certo mirum tibi, Lector benevole, haud videbitur, si consideraveris per eosdem, divino quodam nutu, si ita loqui fas est, in Bosnam evocatos, non modo fidem Christi Patarenis haereticis annuntiatam, sed et. in primis sub dominio Ottomano, in vicinis etiam regnis, ad nostram usque aetatem, sartam tectamque conservatam esse.

Hi enim Dei amore bono populi consulturi, per saecula quaeque dura et atrocia fortiter sustinendo, pro aris et focis viriliter laborando, ecclesiae aeque ac patriae suae utilissima servitia praestiterunt et sacrificia. Et hinc eveniebat, ut a principibus viris, sancta sede romana et fideli populo magni semper haberentur, ita quod gravioris momenti proposita nonnisi audita eorum sententia, et saepenumero adhibita etiam opera, exequerentur, prouti ex ipsis „Actis" uberius perspicies.

In instrumentis tam quaerendis quam et in debitum ordinem redigendis omnem, quae per me fieri potuit, adhibui diligentiam. Ne tamen volumen ultro limites, ab inclyta academia praefinitos, excresceret, hanc inivi rationem, ut nonnulla documenta, licet inedita, quum minoris momenti esse censerentur, non integra, sed eorum tantum summa in forma „regesti" inter „Acta" recipiantur. Reliqua vero documenta, in quantum ea habere licuit, integra sunt in hoc volumen accepta.

Propositum meum in edenda hac collectione fuit quidpiam ad illustrandam historiam Bosnae ecclesiasticam, in quantum debiles permiserant vires, conferre; quod si, Lector benevole, scopum fors assecutus non fuerim, solamini tamen erit, me metam contigere studiose et ingenue laboravisse.

Demum spero fore ut haec „Acta", praecipue cum multa contineant documenta saeculi XV.—XVII., generatim historiae cultoribus et in

390637

primis Croatis, Serbis et Bulgaris sint grata, tanto magis, quod similia (maxime saeculi XVII) vel rarissima vel vero nulla sint.

Sed et historiae vicinarum regionum, quae Turcis pariter suberant, nonnihil lucis adferent haec ipsa Actorum instrumenta.

Quod ista quoque in hac collectione praeteriri non potuerint, luculentum exinde fit, quia cum religiosa provincia bosnensi, quae in regionibus illis animarum curam aeque gerebat, in intimo sint nexu.

Porro in istis „Actis" philologus, ethnographus, geographus, item qui oeconomiae nationalis vel vero humanioris vitae conditiones apud Bosnenses et vicinos inquirunt, haud nihil reperient, unde materiam utilis exercitationis accipiant. Parochis vero in Bosna, Slavonia et meridionali Hungaria, cum pleraeque parochiae et earum status describantur vel attingantur, certe magno erunt commodo. Verbo: ex his Actis fideliter vitae et status populi propriis coloribus depicta prominent, quae dum lectorem blande delectant, una et serio docent.

Unde vero haec cuncta instrumenta deprompserim, ad calcem cuiusvis documenti fideliter adnotatum habetur.

Quo historiae Bosnensis cultori omnia, modo nota, acta praesto sint, hisce ineditis alia edita in forma regestorum addere visum est. Unde totum volumen specimen quoddam Breviarii codicis diplomatici Bosnae exhibet, quod utinam successu temporis quamplurimis novis documentis augeatur, summopere optandum.

Erudito senatui inclytae Academiae scientiarum et artium Slavorum meridionalium Zagrabiensi, quae propriis expensis hoc volumen in lucem edi curaverat, gratias ago maximas.

Sed et Illm. Dno. Dr. Francisco Rački, historiae praecipue Croaticae via et ratione scrutandae et tractandae auctori eruditissimo, qui ut mihi consilio sic et subministratis non paucis documentis operi prodesse benevole est dignatus, gratias habeo summas.

Demum et charissimis confratribus meis in conventu Cernekiensi: A R. P. Ivoni Rodić, Adjuto Spaček, Lucae Trzić et Caesari Zsubori, qui suo modo et opera me in laboribus circa hoc opus prompte iuvabant, condignas habeo gratias. Vale.

Cernekini in conventu Franciscanorum die 4. Octobris 1892.

P. Eusebius Fermendžin
Ord. S. Francisci Provinciae Capistranae filius.

I. Circa a. 925.

Joannes PP. X. Tomislaum regem „Croatorum“ et Michaelem ducem „Chulmorum“ hortatur, ut filios suos litteris latinis erudire, linguae vero „sclavonicae“ usum a rebus divinis arceri curent.

Farlati D.: Illyric. sacr. tom. III. p. 94. *Rački:* Documenta historiae chroaticae periodum antiquam illustrantia (Monumenta spectantia historiam Slavor. mer. VII.) p. 189.

II. 1022, 27 Septembris, Romae.

Benedictus PP. VII „Vitali archiepiscopo s. epitauritane sedis in civitate Labusedi in regno Zacholmie et Sorbulia et Tribunia uel ciuitate Catarinensi aut Antiuarensi seu Ulcini cum ecclesiis et parochiis eorum“ confert pallium archiepiscopale.

Viennae in archivo r. aulico. *Kukuljević:* Codex diplomaticus Croatiae, Slavoniae et Dalmatiae. I, 104—5. Sublestae fidei.

III. Circa a. 1025, die 7 Julii.

Latovistus, „stratigo Seruie et Zachulmie“, Petro abbati Lacromone prope Ragusium donat „ecclesiam s. Pancratii de Babbina Palla[1], quae est in Meleta“, „ut nullam vim vel inquietationem patiatur neque a Raguseis, neque a Stagnensibus, neque ab aliis hominibus Latinis uel Sclavis“.

In archivo ragusino. *Farlati D.:* Illyric. sacr. tom. VI. p. 45. *Kukuljević:* Cod. dipl. I, 105.

IV. Circa a. 1035, 7 Julii.

Chranco „cum omnibus iuppanis Zacholmie“ confirmat donationem Latovisti lacromensi abbati Grobi.

In archivo ragusino. *Farlati:* Illyr. sacr. VI, 45. *Kukuljević:* Cod. diplom. I, 109.

V. Circa a. 1044.

„Episcopus Gabriel Zachulmiae una cum iudice Miroslavo et bano Rastimiro, et Straimir et procurator Craimir, una cum omnibus Zachulmiae nobilibus“ donationem „Babinae Pallae“ a Latovisto factam Vitali abbati Lacromone confirmant. Milogarus presbyter s. Michaelis scripsit.

Farlati D.: Illyric. sacr. tom. VI, p. 45. *Kukuljević:* Cod. diplom. I, 109.

---

[1] Babino polje.

VI. 1067, 18 Martii, Romae.

Alexander PP. II. Petro, archiepiscopo diocliensi, ut metropolitanam ecclesiam et reliquas sibi suffraganeas, nempe .. palachiensem .. svatiensem .. drivastensem .. polatinensem .. serbiensem .. bosoniensem ecclesiam cum omnibus suis pertinentiis .. tribuniensem .. ex praescripto gubernet; „monasteria quoque tam Latinorum, quam Graecorum sive Sclavorum" curet; et sciat „haec omnia unam ecclesiam esse", seque „omnibus praedictis locis episcopali regimine praeesse".

Dat. Romae xv. kal. Aprilis, Alexandri PP. II. Indict. xii.

Farlati: Illyr. sacr. VII, 17. Dr. *Fr. Rački*: Documenta historiae croaticae, p. 201.

VII. 1076, 21 Mali, Romae.

Gregorius PP. VII „Petro archiepiscopo s. epitauritane sedis ex ciuitate Labusedi in regno Zachulmie et Sorbulie et Tribunie uel ciuitatis Catere et Antiuari seu Ulcinii et Drivasti, Polati atque Scodre cum ecclesiis atque parochiis earum" confert pallium archiepiscopale.

In archivo ragusino. *Kukuljević*: Cod. diplom. I, 151. Sublestae fidei.

VIII. 1137.

Bela II rex Hungariae, Dalmacie, Chroatie et Rame „in conuentu strigoniensi, ubi filio suo Ladislao, communi regni consilio, bosnensem ducatum dedit", confert Martino comiti facultatem bona sua donandi monasterio s. Petri Chiatarii.

Pes: Cod. diplom. VI, c. 355. *Fejer*: Cod. diplom. Hung. II, 88. *Kukuljević*: Cod. diplom. II, 30—1.

IX. 1150.

Dessa Dioclie, Terbunie et Zacholmie dux donat „insulam Melite" monasterio s. dei genitricis ac virginis Marie in Pulsano, „quod situm est in partibus Apulie, in monte Gargano". Testes: Gerdessa iupanus, Desimir, setnicus Rastessa, iupanus Grubessa, Charilus, Sranlanitus, Petrus comes Raguseorum cum filio Gailauo, Silvester, Avelinus, Stopaza. Scripsit Matheus notarius.

In archivo ragusino. *Kukuljević*: Cod. diplom. II, 45.

X. Circa a. 1151.

Idem Desa „magnus comes terre Zachulmie" monasterio lacromensi concedit „ecclesiam s. Pancratii cum omnibus terris, que in Babbina palla sunt". Scripsit Millogoy presbiter in ecclesia s. Michaelis.

In archivo ragusino. *Kukuljević*: Cod. diplom. II, 46.

XI. 1153, 19 Decembris, Romae.

Anastasius PP. IV Andreae ragusino archiepiscopo confert pallium archiepiscopale et confirmat „parochias ad ius commisse (illi) ecclesie pertinentes, scilicet regnum Zachulmie, regnum Servilie ac regnum Tri-

bunie, ciuitatem quoque Catharinensem seu Rose, Buduanensem, Auarorum (Antiuarum), Liciniatensem, Scodrinensem, Driuastensem et Polatinensem . ."

In archivo ragusino. *Kukuljević:* Cod. diplom. II, 47. Sublestae fidei.

XII. Circa a. 1154, 1 Decembris.

Banus Slauogast cum filiis et omnibus Zachulmie nobilibus confirmat donationem ecclesiae s. Pancratii in Melita lacromensi monasterio. Testis: iupanus Gerdessa.

In archivo ragusino. *Kukuljević:* Cod. diplom. II, 51.

XIII. Circa a. 1156—9, 7 Augusti.

Banus Boritius confirmat Vincentio lacromensis monasterii abbati literas protospatarii Lotavitti et aliorum decessorum suorum quoad donationem ecclesiae s. Pancratii „de Babina polhla, que est in Meleta".

Originale in archivo ragusino. *Kukuljević*: Cod. diplom. II, 56.

XIV. 1158, 4 Julii, Romae.

Adrianus PP. IV Tribuno archiepiscopo ragusino confert pallium archiepiscopale, et confirmat parochias ad ius ecclesiae ragusinae pertinentes, scilicet regnum Zachulmie ... (uti nro XI).

Ibid. *Kukuljević:* Cod. diplom. II, 58—9. Sublestae fidei.

XV. Anno 1163, Strigonii.

Stephanus III rex confirmat sententiam bani Belus adiudicantis ecclesiae zagrabiensi „silvam Denbrou cum terra", coram principibus regni: „Belo bano eiusdem cause iudice, Thoma palatino comite, Boricio bano (Bosnae) ...

Tkalčić: Monumenta historica episc. zagrab. I, 3.

XVI. 1167, 29 Decembris, Beneventi.

Alexander PP. III conferendo Tribuno ragusino archiepiscopo pallium archiepiscopale confirmat ius ipsius ecclesiae in parochias: regnum Zachulmiae, regnum Serviliae et regnum Tribuniae, civitatem Catharinensem seu Rose, Buduanensem, Auarorum (Antiuarum), Liciniatensem, Scodrinensem, Drivastensem et Polatensem.

In archivo ragusino. *Kukuljević*: Cod. diplom. II, 77. Sublestae fidei.

XVII. 1167, 29 Decembris, Beneventi.

Alexander PP. III episcopis Politanensi, Svacensi et Drivastensi, item clericis Staniensis, Scutariensis et Tribuniensis ecclesiarum imponit obedientiam archiepiscopo ragusino Tribuno.

In archivo ragusino. *Farlati:* Illyr. sacr. VI, 81. *Kukuljević:* Cod. diplom. II, 77.

XVIII. 1180.

Theobaldus, ab Alexandro PP. III sanctae sedis missus (per Dalmatiam et totam Slavoniam) legatus, scribit „Culin magno bano Bosinae"

„ut pro reverentia b. Petri apostoli et d. papae et pro salute animae (suae) duos famulos et pelles marturinas" mittat, „et si placet... aliquid domino papae significaret..."

Farlati D.: Illyric. sacr. tom. IV, p. 44. (Ed. Venet. 1769).

XIX. 1181, 7 Julii.

Alexander PP. III Miroslavum comitem Zacholmitanum redarguit, quod legatum ipsius recipere, nec eiusdem litteris parere voluerit; item quod loca illa, in quibus cathedrales sedes olim fuisse noscuntur, ordinari libere non permittat; propter quod T(eobaldus) subdiaconus, dum in partibus illis legationis officio fungeretur, excommunicationis sententiam promulgavit.

Theiner: Monum. Slavor. merid. I, 1.

XX. 1186, 27 Septembris, Ragusii.

In conventione pacis inter Ragusium et megaiupanum Serbiae Nemanjam fratresque ipsius comites Strazimirum et Miroslavum statuitur etiam: „Et Sclavi de Chelmania ut per civitatem, ubi voluerint, emant".

Kukuljević: Cod. dipl. II, 137.

XXI. 1189, 29 Augusti, Ragusii.

Culinus „Bosene" banus iurat „comiti Gervasio et omnibus Raguseis, se rectum amicum fore perpetuo et rectam (cum illis) pacem manutenere et amicitiam veram et omnes Raguseos... mercatores seu habitatores et transeuntes recta fide et conscientia vera recipere...

S. Ljubić: Listine, knj. III, p. 388. Dr. *Fr. Miklošić:* Monum. serb. p. 1.

XXII. 1190, 17 Junii, Ragusii.

Miroslavus, comes chulmensis, per iupanum suum Maurum et Sergium init pacem cum Ragusinis.

Kukuljević: Cod. dipl. II, 157.

XXIII. 1191, 13 Martii, Laterani.

Clemens PP. III iura metropolitani Spalatensis confirmans sequentes episcopatus eius iurisdictioni obnoxios enumerat: „Segniensem, Corbauiensem, Nonensem, Scardonensem, Traguriensem, Tiniensem, Macarensem, Narroniensem, Stagnensem, Farensem, Bosniensem, et Delmitensem".

In apostolicae sedis... Dat. Laterani... III idus Martii. Indict. X. Incarnationis dominicae anno MCXCI, pontificatus vero Clementis PP. III. anno primo (tertio).

Farlati D.: Illyric. sacr. tom III, p. 223. (Ed. Veneta 1765). *Kukuljević:* Cod. diplom. II, 162.

XXIV. 1195, 3 Maii, Ragusii.

Judices arbitrarii componunt causam inter archiepiscopum ragusinum Bernardum atque capellarum et ecclesiarum clericos exortam occasione, „dum opportuna circa Bernardum ragusine ecclesie archiepiscopum pro electo bosnensis ecclesie, qui ad consecrandum (Ragusium) venerat, soli-

citudo ageretur ; ac cura, quibus consecrandus erat, deessent episcopi, praefatus archiepiscopus omnes capellarum clericos in sui presentiam venire statuit".

Autographum in archivo ragusino *Kukuljević:* Cod. dipl. II, 175.

XXV. 1198, 6 Maii, Jaderae.

„Post felicem et gloriosissimum victoriose dominationis illustrissimi Andree, tercii regis Bele filii, triumphum, quem sibi omnipotens ducatus sui protector et auctor de Dalmatia et Chroatia magnifice conferre est dignatus, atque post habitam tam Chulme quam Rame laudabilem victoriam, cum ad Jadertinam ciuitatem victor rediret, ducatus sui iura disponens", adiudicat monasterio s. Chrysogoni praedium in loco Suchovara.

Autographum in archivo jaderensi. *Kukuljević:* Cod. diplom. II, 192. Ex tunc appellat se Andreas etiam »Chulme«, item »Rame« ducem; Henricus Hungariae, Dalmatiae, Chroatiae«, etiam »Ramae« rex«. Ibid. p. 201, 205.

XXVI. 1199, 7 Januarii, Laterani.

Innocentius PP. III ad preces Vulcani, „Diocliae et Dalmatiae regis" Johannem capellanum suum et Simonem subdiaconum apostolicae sedis legatos ad eundem mittit.

Apostolicae sedis . . Dat. Laterani VI idus Januarii.

J. S. Assemani: Kalendaria etc. tom. V, p. 25. *Fejér:* Cod. diplom. Hung. VII, 5 p. 147. *Theiner:* Vet. monum. Slav. merid. I, 5. *Kukuljević:* Cod. diplom. II, 217.

XXVII. 1199, mense Septembris.

„Vulcanus (Dei) gratia Diocliae atque Dalmatiae rex" Innocentio PP. III. se et regnum suum commendat, de celebrata a legatis suis synodo significat et de Bosna addit: „. . Paternitatem vestram nolumus latere, quia haeresis non modica in terra regis Ungariae, videlicet Bossina (Bosna), pullulare videtur in tantum, quod . . . ipse Bacilinus (Ban-Culinus) cum uxore sua et cum sorore sua, quae fuit defuncti Mirosclavi Chelmensis, et cum pluribus consanguineis suis seductus plusquam decem millia christianorum in eandem haeresim introduxit. Unde rex Ungariae exacerbatus illos ad vestram praesentiam compulit venire a vobis examinandos. Illi autem simulatis litteris redierunt dicentes a vobis concessam sibi legem".

J. S. Assemani: Kalendaria etc. tom. V, p. 27. *Theiner:* Monum. vet. Slav. merid. I, 6.

XXVIII. 1200, 11 Octobris, Laterani.

Innocentius PP. III Emericum Hungariae regem, quae de haereticis statuerit, informat, ac mandat, ut omnes haeresim sapientes vel ei faventes severe insequatur; et Culinum, Bosnae banum, qui haereticis „non solum tutum latibulum sed et praesidium contulit manifestum", ni resipuerit, bannis publicatis, proscribat.

Dat. Laterani. v. idus Octobris.

Innocentii III opera tom. I. (Ed. Migne 1855 Paris) p. 371. *Farlati D.:* Illyric. sacr. tom. IV, p. 45.

XXIX. 1202, 21 Novembris, Laterani.

Innocentius PP. III. Joanni capellano suo et B. archiepiscopo Spalatensi praecipit, ut „ad terram . . Culini (bani Bosnen.) accedentes de fide et conversatione tam ipsius quam uxoris et hominum" inquirant et reformanda reformẽnt.

Illam gerimus . . Dat. Laterani XI kal. Decembris . . an. V.

Theiner: Monum. Slavor. meridional. tom. I, p. 15.

XXX. 1203.

Joannes, legatus s. sedis, Innocentio PP. III. significat unicum Bosnae episcopum, illumque iam e vita sublatum esse, quare, adiungit legatus: „si posset fieri, quod aliquis Latinus ibi poneretur, et aliqui etiam ibi tres vel quatuor crearentur novi, non modicum exinde utilitati accresceret ecclesiasticae . . ."

Odor. Raynaldi: Annal. eccles. tom. I, (Ed. Lucae 1747) p. 150. *J. S. Assemani*: Kalendaria etc. tom. V, p. 63. *Theiner*: Monum. Slavor. merid. I, 19.

XXXI. 1203, 8 Aprilis.

„Priores illorum hominum, qui hactenus christiani nominis praerogativa vocati in territorio Bosnae „praesentibus Joanne de Casamaris s. sedis legato et „bano Culino domino Bosne" abrenunciant schismati et haeresi et „romanam ecclẽsiam matrem et caput totius ecclesiasticae unitatis" recognoscunt.

Actum apud Bosnam iuxta flumen, loco qui vocatur Bolino Poili, sexto idus Aprilis". Subscripti: Dagite, Lubin, Brageta, Pribis, Luben, Rados, Bladosius, banus Culinus, Marinus archidiaconus Ragusii subscripsimus".

Odor. Raynaldi: Annal. eccles. tom. I, p. 150. *Farlati D* : Illyric. sacr. tom. IV, p. 46. *Theiner:* Monum. Slavor. merid. tom. I, p. 20. *Fẽjer*: Cod. diplom. II, 1, p. 145.

XXXII. 1207.

Andreas Hungariae rex „ecclesiae Spalatensi pleno iure . . . ad instar privilegii romanae ecclesiae Segniensem, Nonensem, Scardonensem, Traguriensem, Corbaviensem, Tiniensem, Farensem, Bozonensem episcopatus etc." subicit.

Farlati D.: Illyric. sacr. tom. IV, p. 47.

XXXIII. 1209.

Andreas II rex Hungariae, Dalmatiae, Croatiae, Ramae fratribus milicie templi confirmat possessiones, atque inter ceteras, „villam quoque, que Erdel vocatur, quam banus Boricius de Bozna pro remedio anime sue prefate domui milicie templi ex concessione regis Stephani, quam eciam pater noster Bela rex sigilli sui munimine roboravit et in perpetuum contulit; et etiam terram, quam eiusdem Boricii nepotes iam dicte domui dederunt, cum suis metis et terminis".

Iv. Tkalčić: Monumenta historica episcopatus zagrabiensis. I, 23.

XXXIV. 1215.

Innocentius III regi Hungariae (Andreae II), quod Culinum banum compellat desistere a favoribus haereticis, quos archiepiscopus Spalatensis de sua provincia exulavit, impendendis, et Nicolaum quondam Farensem episcopum, qui contra inhibitionem papae ecclesiam Jadertinam occupat, cogat potestate sibi tradita resipisci.

Theiner: Monum. Slavor. merid. I, 52.

XXXV. 1221, 3 Decembris, Laterani.

Honorius PP. III. datis ad magistrum Acontium, sedis apostolicae legatum, litteris, eum excitat ad profligandos haereticos, „qui in partibus Bosne .. velut lamie nudatis mammis catulos suos lactent dogmatizando palam sue pravitatis errores ...“

Inter alias .. Dat. Laterani III nonas Decembris. an. VI. Ex reg. orig. an. VI. ep. 69.

Theiner: Monum. Hung. tom. I, p. 31.

XXXVI. 1225, 15 Maii, Tiburc.

Honorius PP. III. terras, „videlicet Bosnam, Soy et Wosora“ ab Andrea, rege Hungariae, Colocensi archiepiscopo donatas, confirmat.

Cum a nobis... Dat. Tiburc idibus Maii an. IX. Ex reg. orig. an. IX. ep. 329.

Fejér: Cod. diplom. tom. III, vol. II, p. 32. *Katona:* Histor. metrop. colocen. eccles. I, p. 265. *Theiner:* Monum. Hung. tom. I, p. 55.

XXXVII. 1225, 15 Maii, Tiburc.

Honorius PP. III. laudat archiepiscopum colocensem, „quod ad profligandos hereticos de Bosna, Soy et Wassora“ viriliter se accinxerit, hortaturque, ut inceptum opus forti animo prosequatur.

Gratum gerimus... Dat. Tybure idib. Maii an. IX.

Odor. Raynaldi: Annal. eccles. tom. I, p. 550. *Farlati D.:* Illyric. sacr. tom. IV, p. 48. *Katona:* Histor. metr. colocen. eccles. I, p. 267. *Theiner:* Monum. Hung. tom. I, p. 55.

XXXVIII. 1227, 15 Januarii, Laterani.

Honorius PP. III. „Johanni . . . Margaritae quondam imperatricis Constantinopolitanae, „filio ut promissum, quo 200 marcis acceptis“ ad pugnandum contra „hereticos de Bossina“ se se obligaverat, „una cum.. archiepiscopo (Colocensi)“ fideliter exequantur.

Significavit nobis.. Dat. Laterani XVIII kalend. Februar. an. XI. reg. origin. an. XI. ep. 466.

Katona: Histor. metropol. colocen. eccles. I, p. 268. *Theiner:* Monum. Hung. tom. I, p. 72.

XXXIX. 1233, 30 Maii, Laterani.

Gregorius PP. IX. J. episcopo Praenestino, apostolicae sedis legato, praecipit, ut „episcopo a regimine Bosnensis ecclesiae prorsus amoto“ ...

„duos vel tres aut quatuor . . in episcopos“ ordinet salvo iure metropolitani.

Humanae conditionis . . . Datum Laterani III kal. Junii, an. VII.

Ex reg. orig. an. VII. ep. 164. *Theiner:* Monum. Hung. tom. I, p. 113. *Fejer:* Cod. dipl. III. vol. 2, p. 341.

XL. 1233, 10 Octobris, Anagniae.

Gregorius PP. IX fratribus ordinis praedicatorum, ut Urbanum dictum „Priesda“, cognatum ducis Ninoslavi, filium romanae ecclesiae, obsidem, eidem duci restituant.

Dilectus filius . . . Dat Anagniae VI idus Octobris, ann. VII.

Ex reg. orig. an. VII. ep. 294. *Theiner:* Monum. Hung. tom. I, p. 120.

XLI. 1233, 10 Octobris, Anagniae.

Gregorius PP. IX. „Ninosclavum“ ducem Bosnae et terram eius „de Bosna“ sub sedis apostolicae protectionem recipit.

Quos prosequitur . . . Dat. Anagnie VI idus Octobris an. VII.

Ex reg. orig. an. VII. ep. 292. *Theiner:* Monum. Hung. tom. I, p. 120. *Fejér:* Cod. diplom. vol. 2, p. 342.

XLII. 1233, 10 Octobris, Anagniae.

Gregorius PP. IX. Colomano duci Slavoniae, ut consvetudinem ducatus Bosnae, secundum quam dux de comitatibus, villis et terris libere et ad arbitrium disponere valet, observari faciat.

Dilecto filio . . Dat. Anagnie VI idus Octobris an. VII.

Ex reg. orig. an. VII. ep. 293. *Theiner:* Monum. Hung. tom. I, p. 120. *Fejér:* Cod. diplom. III, vol. 2, p. 343.

XLIII. 1234. 13 Februarii, Laterani.

Gregorius PP. IX. priorem s. Bartholomaei de Trisulto, apostolicae sedis legatum, commendat archiepiscopis, episcopis per Dalmatiam, Bosniam, Croatiam, Serviam et alias partes Slavoniae, cuius erit in hereticos animadvertere, quorum „in Bosna et vicinis provinciis excrevit copia . . . quod iam tota terra velut deserta et invia luget et languet . . .“

Miserias et erumpnas . . . Dat. Laterani idibus Februarii an. VII.

Ex reg. orig. an. VII. ep. 542. *Theiner:* Monum. Hung. tom. I, p. 122.

XLIV. 1234, 19 Februarii, Strigonii.

Juramento Belae regis Hungariae, ut concordiam inter Jacobum Praenaestinum electum, sedis apostolicae legatum, et Andream regem factam servet, subscripsit et „Johannes Bosnensis“ episcopus.

Universis pateat . . . Dat. Strigonii (1234) XI kal. Martii.

Lib. censuum camerae apostolicae fol. 356. *Theiner:* Monum. Hung. tom. I, p. 124.

XLV. 1234, 16 Augusti, Spoleti.

Gregorius PP. IX. „episcopo Boznensi . . Priori ordinis praedicatorum Strigoniensi et ministro ordinis minorum in Hungaria“, ut sententiam excommunicationis in regem latam et interdictum, sub quo eius curia decla-

rata est, „quousque satisfactum fuerit, curent humiliter observari .. „rege vero satisfactionem impendente .. premissas sententias“ relaxent.

Quoniam ubi amor .. Dat. Spoleti XVII kal. Septembris an. VIII.

Ex reg. orig. an. VIII. ep. 198. *Theiner*: Mon. Hung. tom. I, p. 127.

XLVI. 1234, 17 Octobris, Perusii.

Gregorius PP. IX. „episcopo Bosnensi contra hereticos Sclavonie predicanti ... ut indulgentias et beneficium absolutionis .... in Sclavonie partibus pro defensione fidei accedentibus“ impendat.

Quod maius ... Dat. XVI kal. Novembris .. an. VIII.

Ex reg. orig. an. VIII, ep. 254. *Theiner*: Monum. Hung. tom. I, p. 129.

XLVII. 1234, 17 Octobris, Perusii.

Gregorius PP. IX. episcopo Bosnensi gratulatur, quod amoto episcopo bosnensi, eius culpis exigentibus, ipse praefectus sit, et monet, ut circa extirpationem haeresis in sua diocesi viriliter agat.

Exultamus in domino .. Dat. Perusii XVI kal. Novembris, an. VIII.

Theiner: Monum. Hung. tom. I, p. 130.

XLVIII. Circa 1234—40.

Andreas, chlmensis knez magnus, amicitiam et societatem instituit cum Joanne Dandulo, Ragusii comite.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monum. serbica, p. 24.

XLIX. Circa 1234—40.

Matthaeus Ninoslav, Bosnae magnus banus, Joanni Dandulo, Ragusii comiti, confirmat privilegium concessum a Kulino bano. Scripsit Desoe, grammaticus bani.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monum. serbica, p. 24.

L. 1235, 9 Augusti, Perusii.

Gregorius PP. IX. Colomano, Andreae regis Hungariae filio, „concessionem de terra Bosne a prefato rege, patre suo, liberaliter sibi factam“ auctoritate apostolica confirmat.

Licet apostolicae sedis .. Dat. Perusii V idus Augusti, an. IX.

Ex reg. orig. an. IX. ep. 189. *Theiner*· Monum. Hung. tom. I, p. 133.

LI. 1235, 31 Augusti, Perusii.

Gregorius PP. IX. episcopo Bosnensi, ordinis praedicatorum et fratrum minorum prioribus Strigoniensibus, ne sententias in regem Hungariae latas exequantur.

Cum venerabilis ... Dat. Perusii II kal. Septembris an. IX.

Ex reg. orig. an. IX. ep. 220. *Theiner*: Monum. Hung. tom. I, p. 136.

LII. 1235, 20 Septembris, Assisii.

Gregorius PP. IX. Joanni Theutonico, ordinis praedicatorum, episcopo Bosnensi, ne episcopatui abdicet.

Deputatus Jesu Christi .. Dat. Assisii XII kal. Octobris an. IX.

Ex reg. orig. an. IX. ep. 299. *Theiner*: Monum. Hung. tom. I, p. 137.

LIII. 1236, 16 Januarii, Viterbii.

Gregorius PP. IX. episcopis Vaciensi, Nitriensi et Bosnensi, moneant regem Belam, ut quasdam terras monasterio Egriensi restituat.

Ut carissimus .. Dat Viterbii XVII kal. Februarii, an. IX.

Ex reg. orig. an. IX. ep. 347. *Theiner:* Monum. Hung. tom. I, p. 143.

LIV. 1236, 8 Augusti, Reate.

Gregorius PP. IX. archiepiscopo Strigonien. etc. „ne permittant Zibisclaum kenesium de Woscora, natum quondam Stephani bani de Bosna, ab aliquibus indebite molestari".

Cum dilectum .. Dat. Reate VI idus Augusti, an. X.

Ex reg. orig. an. X, ep. 184.

In eundem modum archiepiscopo Strigonien. et eius collegis, ne permittant „nobilem mulierem A. relictam quondam Stephani bani deBosna" ab aliquo molestari.

Cum dilectam .. Dat. ut supra.

Ex reg. origin. an. X. ep. 186. *Theiner:* Monum. Hung. tom. I, p. 147.

LV. 1236, 8 Augusti, Reate.

Gregorius PP. IX. „nobili viro Zibislao kenesio de Woscura, nato quandam Stepani bani de Bosna" scribit, illum sub protectione apostolicae sedis susceptum esse.

Quos in medio .. Dat. Reate VI idus Augusti, an. X.

Ex reg. orig. an. X. ep. 183.

In eundem modum. „Dilecte filie A. relicte quondam S. bani de Bosna ... etc.

Quos in medio .. Dat. ut supra.

Ex reg. orig. an. X. ep. 186. *Theiner:* Monum. Hung. tom. I, p. 147. *Farlati D.:* Illyric. sacr. tom. IV, p. 48.

LVI. 1237, 22 Decembris, Laterani.

Gregorius PP. IX. laudat Colomanum, qui strenue agit, „ut de Bosnae partibus deletis pravitatis haereticae maculis, ibidem fulgeat lumen catholicae puritatis".

Dat. Laterani XI kal. Januarii an. XI.

Farlati D.: Illyr. sacr. tom. IV, p. 49.

LVII. 1238, 26 Aprilis, Laterani.

Gregorius PP. IX. (Theodorico) episcopo Cumanorum, ut „fratrem Ponsa" ord. praedicatorum „dicte terre" Bosnae provideat auctoritate apostolica „in episcopum et pastorem ... administrationem ei committens"; praeterea ei iniungant, ut de terra Cholim (Cholm, Hlm) curam in spiritualibus habeat, quousque, quod opportunum est, disponetur.

Inspirationis divine .. Dat. Laterani VI kal. Mai, an. XII.

Ex reg. orig. an. XII. ep. 53. *Theiner:* Monum. Hung. tom. I, p. 162. *Farlati D.:* Illyr. sacr. tom. IV, p. 50.

LVIII. 1238, 22 Decembris, Laterani.

Gregorius PP. IX. regi Colomano Sclavoniae, ut haereticos in dioecesi Bosnensi extirpari curet.

De superni regis... Dat. Laterani XI kal. Januarii, an. XI.

Ex reg. orig. an. XII. ep. 353. *Theiner:* Monum. Hung. tom. I, p. 168.

LIX. 1238, 22 Decembris, Laterani.

Gregorius PP. IX. archiepiscopo Strigonien. et eius suffraganeis, ut episcopo Bosnensi „paupertate nimia pregravato" aliquod subsidium praestent.

Ecclesiarum regimini.. Dat. Laterani XI kal. Januarii an. XII.

Ex reg. orig. an. XII. ep. 354. *Theiner*: Monum. Hung. I, 168.

LX. 1238, 22 Decembris, Laterani.

Gregorius PP. IX. abbati Varadiensi, „ut bona, que pro redemptione votorum crucesignatorum Ungarie contra hereticos diocesis Bosnensis sunt habita etc. prefato assignet episcopo „Bosnensi".

Gerentes in desideriis.. Dat. Laterani XI kal. Januarii an. XII.

Ex reg. orig. an. XII. ep. 355. *Theiner:* Monum. Hung. tom. I, p. 169.

LXI. 1238, 22 Decembris, Laterani.

Gregorius PP IX. abbati Varadiensi ord. s. Bened. ut pecuniam Julae bani apud fratres praedicatores quinqueecclesienses depositam „pro fidei negotio in Bosne partibus expendendam" episcopo Bosnensi assignari faciat.

Apud dilectos.. Dat. Laterani XI kal. Januarii, an. XII.

Theiner: Monum. Hung. tom. I, p. 169.

LXII. 1238, 22 Decembris, Laterani.

Gregorius PP. IX. fratribus praedicatoribus Quinqueecclesiensibus, ut pecuniam, quam olim dux Bosnae apud eos „pro cathedrali ecclesia construenda in Bosne partibus" deposuerat, episcopo Bosnensi assignent, eidemque in omnibus efficaciter assistant.

Indignum se gratia.. Dat. Laterani XI kal. Januarii an. XII.

Ex reg. orig. an. XII. ep. 357. *Theiner:* Monum. Hung. tom. I, p. 169 et 173.

LXIII. 1238, 23 Decembris, Laterani.

Gregorius PP. IX. episcopo Bosnensi, ut heresim in sua dioecesi extirpari curet.

Sedi apostolicae.. Dat. Laterani X kal. Januarii, an. XII.

Ex reg. orig. an. XII, fol. 352. *Theiner:* Monum. Hung. tom. 1, p. 170.

LXIV. 1239, 6 Augusti, Laterani.

Gregorius PP. IX. priori provinciali ord. praedicatorum in Hungaria, ut „aliquos fratres ordinis sui, potentes in opere et sermone", in Bosnam ad praedicandum verbum Dei mittat.

Cum sicut.. Dat. Laterani VIII, idus Augusti, an. XIII.

Ex reg. orig. an. XIII, ep. 90. *Theiner*: Monum. Hung. tom. I, pag. 170 et 172.

LXV. 1239, 7 Decembris, Laterani.

Gregorius PP. IX. „episcopo et capitulo s. Petri in Bosna.. possessiones et alia.. a Colomano rege.. collata", apostolica auctoritate confirmat.

Justis petentium... Datum Laterani VII idus Decembris an. XIII.

Ex reg. orig. an. XIII. ep. 174. *Theiner*: Monum. Hung. tom. I, p. 172.

LXVI. 1240, Indic. XIII. 22 Martii, Ragusii.

Matthaeus Ninoslav, Bosnae magnus banus, una cum primoribus Bosnae, concedit comiti Nicolao Tonistae et Ragusinis facultatem libere mercaturam faciendi in terris suis, promittitque se cum Ragusio aeternam pacem habiturum. Primores Bosnae: vojvoda Juriš, tepčija Radona una cum fratre Symeone, peharnik (pincerna) Mirohna, Zabav, Prodasa, Prijesda Sfinar, Slavko Poličić, Gradislav Turbić. Jurat Borislav Bojsilić.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monum. serbica, p. 28.

LXVII. 1244, 17 Januarii, Laterani.

Innocentius PP. IV. „episcopo quondam Bosnensi", magistro generali ordinis praedicatorum, ut deinceps magister et successores, „postquam electi secundum constitutiones fuerint, eo ipso... curam animarum fratrum ipsius ordinis plene habeant et libere gerant".

Inter alia.. Dat. Laterani XVI kal. Februarii, an. I.

Ex reg. orig. an. I. ep. 385. *Theiner*: Monum. Hung. tom. I, p. 189.

LXVIII. 1244, 19 Julii.

In instrumento pacis initae inter Spalatenses et Tragurienses asseritur: Id quoque silentio praeterire nolumus, quod inviolabilis concordia similiter conclusa sit inter Stepconem, Nelipcium, Danielem, Christophorum, Craynicum, qui in fato bello Traguriensium, prouti et inter illos, qui Spalatensium partes secuti sunt, exceptis Ninoslavo bano, Andrea comite de Chulm, Brativoy, Vulxa, Polizianis et aliis, qui sunt regi rebelles.

Lucius: Memorie de Traù, p. 55.

LXIX. 1244, 20 Julii.

Bela IV. rex episcopo et ecclesiae Bosnensi confirmat donationem fratris sui Colomani, ducis Slavoniae, terras nimirum a fluvio Savae, ubi oritur fluvius Boyg, per loca Zuibuic, Ginloatech, Elenoagreda usque ad fossata Boaraida ad fines terrae Tolys cum fratribus et cognatis Borich bani terrae Tumicha, a parte septemtrionali terra Nhenna comitis Martini et Jacobi cum filiis, item ad aquam Bresnicha usque ad aquam Caznicha et Blezna, ad partem dextram predium Dyacou, tangit terram de Gora et venit ad fluvium Ilseua; dein aliae metae: terra Thomae fratris Philyppi praepositi, terra Mohor, terra Sebe, terra Lubus, terra Nogfolu Cruciferorum, terra Kaymoz, predium Urvati, aqua Byg, fluvius Cladanch, via Uburbot, terra Cerua, salix vrbicha; tum possessiones in Vozora, datas ecclesiae a Nynoslavo bano, quarum metae sunt: fluvius Tolycha et Sava, fons Modricha, ubi cadit in Boznam; tandem posses-

siones, quas Ninoslaus cum baronibus suis recognovit esse ecclesiae Boznensis; scilicet: in supa Vrhbozna Burdo, ubi ipsa ecclesia cathedralis s. Petri est fundata, Bulino, Knespole, Vrudchy, ubi est ecclesia s. Stephani protomartyris; in supa Neretua Bulino; in supa Lepenicha Rocil, ubi est ecclesia s. Michaelis; in supa Vidgona Lubinchi apud ecclesiam b. virginis; in supa Mel apud ecclesiam Cosmae et Damiani; in supa Losoua apud tres ecclesias; in supa Vozcopla apud ecclesiam b. Joannis; in supa Bored Beloapola; in comitatu Berez Pracha byscupnia; praeterea decimas in Vozora, in Sou, in Olfeld (partes inferiores) et aliis supis; populos in his possessionibus eximit a iurisdictione keneziorum vel boanorum et episcopo capituloque subiicit; donat decimam super mercaturas et collectam, que ban elyssi vocantur, et omnes alias collectas...

Theiner: Monumenta Slavorum merid. I, 297—8. V. LXV.

LXX. 1246, 20 Julii, Lugduni.

Innocentius PP. IV. abbati s. Martini montis Pannoniae et collegis, ut inquirant, an expediat ecclesiam Bosnensem Colocensi subicere, ut ipse dein, quod e re visum fuerit, disponat.

Ex parte venerabilis... Dat. Lugduni XIII kal. Augusti, an. IV.

Ex reg. orig. an. IV, ep. 39. *Theiner:* Monum. Hung. tom. I, p. 201.

LXXI. 1246. 3 Augusti, Lugduni.

Innocentius PP. IV. archiepiscopo Colocensi permittit, ut possessiones haereticorum, „quas a fidelibus occupari contigerit", possit eisdem fidelibus et eorum haeredibus concedere.

Ut negotium.. Dat. Lugduni III nonas Augusti, an. IV.

Ex reg. orig. an. IV, ep. 556. *Theiner:* Monum. Hung. tom. I, p. 202.

LXXII. 1246, 3 Augusti, Lugduni.

Innocentius PP. IV. archiepiscopo Colocensi contra „hereticos de terra Bosnensi" pugnaturo signum „crucis" mittit.

Amor caelestis.. Dat. Lugduni III nonas Augusti, an. IV.

Ex reg. orig. an. IV, ep. 55. *Katona:* Histor. metrop. Colocen. eccles. I, p. 290. *Theiner:* Monum. Hung. tom. I, p. 202.

LXXIII. 1247, 30 Januarii, Lugduni.

Innocentius PP. IV. regi Hungariae, ut negotium extirpationis hereticorum in Bosna prosequatur, probe sciens „quod super facto terre Bosnensis nihil penitus statuetur, nisi de suo (regis) consilio et assensu."

Debent terre.. Dat. Lugduni III kal. Februarii, an. IV.

Ex reg. orig. an. IV, ep. 953. *Theiner:* Monum. Hung. tom. I, p. 202.

LXXIV. 1247, 26 Augusti, Lugduni.

Innocentius PP. IV. episcopo Jauriensi scribit: „Quum tam ecclesia quam dioecesis Bosnensis... totaliter lapsa sit... in perfidiam hereticae pravitatis, (et) licet archiepiscopus (Colocensis)... non sine magna effusione sanguinis, strage hominum... magnam partem illius terrae abductis

inde haereticorum multis millibus expugnarit, quia tamen ecclesiae munitiones et castra non fuerunt ibidem ita firmata, quod possent ab aggressoribus et obsidione defendi, terra illa in puritate fidei non potuit retineri... Quocirca mandat, ut praemisso examine, si rem ita esse invenerit, „Bosnensem ecclesiam", prout Colocen. et Bosnen. episcopi proponunt, „cum omnibus suis iuribus... ecclesiae Colocensi" subiiciat.

Dat. Lugduni VII kal. Sept. an. v.

Katona: Histor. metrop. Colocen. eccles. I, p. 291. *Farlati*: Illyr. sacr. VI, 98.

LXXV. 1248, 27 Martii, Lugduni.

Innocentius PP. IV. episcopo Signensi et ministro fratrum minorum Spalatensi committit, ut „de vita, fama et conversatione nobilis viri Ninoslai, bani de Bossene" accuratam relationem sibi mittant.

Presentium vobis.. Dat. Lugduni VI kal. Aprilis an. v.

Ex reg. orig. an. V, ep. 700. *Theiner*: Monum. Hung tom. I, p. 205.

LXXVI. 1248, 27 Martii, Lugduni.

Innocentius PP. IV. archiepiscopo Colocensi, ne adversus Ninoslaum banum Bosnae, cum is „tanquam catholicus vivat", interim procedat.

Cum sicut intelleximus... Dat. Lugduni VI kal. Aprilis, an. v.

Ex reg. orig. an. V, ep. 699. *Theiner*: Monum. Hung. tom. I, p. 206.

LXXVII. Anno 1248.

Bela IV rex extollit comitis Butconis, filii Juliani, fidelitatis obsequia non solum in partibus maritimis sibi exhibita, verum etiam et maxime in observatione castri Clych; item cum Nynozlaus banus bosnensis, et omnes cives de Spalato, a debita regi fidelitate exorbitantes, in obsidione castrorum Clych et Tragurii ausu temerario insurrexissent.

Autographum in bibliotheca academiae scientiarum Zagrabiae.

LXXVIII. 1249, Indict. VII, Martio mense.

Matthaeus Stephanus, dei gratia Bosnae magnus banus, iurat se pacem cum Ragusinis servaturum esse. Cum bano iurant primores: comes Ugrin, comes Radona, kaznac Grdomil et Simeon, voevoda Purča, pincernarius Grubeša, kaznac Bielhan, Jež Občenovičenović, Domaslav Gunetić, Hranislav Svračić, Radoe Drugović, Berislav Banić, Kakmuža Odramčić, Vlkča Vlkasović.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monum. serbica, p. 32.

LXXIX. 1249.

Andreas, chlmensis magnus comes, cum filiis, župano Bogdano et župano Radoslavo et suis ducibus iuramento promittit, se pacem perpetuo servaturum cum Ragusinis. Jurant: Hrelko Rastimirić, Dobrovit Radovčić, Hrela Stepković, Odumysl et Striezimir Adamović, Čeprna Osilić, Hranislav Prvoslavić, Bigren Mrčić, Dobromysl Pobratović, Desen Berivoević, Radovan Privydružić, Hrela Desavčić, Priben Zlošević, Toma Čupetić, Galac Vlksanić, Hrela Hranidružić, Predislav Vlkmirić, Vojmir Vlktić,

Bogdan Dobromirić, Hrvatin Turbić, Prvoslav Prodančić, Bratoslav Vlković, Berko Radovanić.

Dr. *Fr. Miklošić:* Monum. serbica, p. 34.

LXXX. 1254, 22 Maii.

Radoslav, chlmensis županus, Andreae comitis chlmensis filius, una cum suis primoribus, iurat iudicibus et communi Ragusii, se cum iis pacem habiturum, regem vero Serbiae Uroš bello adgressurum. Primores: Bubana Migača, Mikulica Pečenežić, Andrej Črejević, Petrona Bundić, Petar Batalj, Mihoil Peženić, Vlkas Mučnić, Dmitar Menčetić, Gojslav Krusić, Dobroslav Ranonić, Tudr Budačić. Nomine Ragusiensium Martolo banus Vrsaiković.

Dr. *Fr. Miklošić:* Monum. serbica, p. 42, 44.

LXXXI. 1264, 15 Julii.

Urbanus PP. IV. „Agne, viduae post Radislaum ducem Galitiae, ducissae Galitiae, de Bosna et de Mazo, ac Michaeli et Belae, natis eius, confirmat donationem ipsius patris regis Belae IV.

Theiner: Monum. Hung. I, 273, 276.

LXXXII. 1264, 19 Julii, Lugduni.

Urbanus PP. IV. iubet inquiri ab abbate Montis Pannoniae, an expediat ecclesiam Bosnensem a iurisdictione archiepiscopi Ragusini eximere et Colocensi subiicere, prout episcopus Bosnensis proponit, et semel iam Jacobus Praenestinus episcopus, s. sedis legatus, ita fieri praeceperat atque rex Hungariae actu hoc executioni mandari desiderat.

Ex parte.. Dat. Lugduni XIV kal. Augusti, an. IV.

Katona: Histor. critic. r. Hungar. tom. VI, p. 430 et Histor. metropol. Colocen. eccles. I, p. 315.

LXXXIII. 1271, 3 Maii, Posonii.

Stephanus V. rex Hungariae instrumento pacis, quam cum Ottocaro Bohemiae rege inierat, „Belam ducem de Machow et de Bozna“ inserit.

Dat. in castris apud Pozonium 1271, V nonas Julii.

Joan. Hyacinthi Sbaraleae: bullarium Franciscan. (Romae 1765.) tom. III, p. 175. *Theiner:* Monum. Hung. I, 303.

LXXXIV. 1272, 3 Decembris.

Ladislaus III. rex confirmat donationes avi sui Belae IV. datas monasterio s. Michaelis A. de insula... Mathaeo bano tocius Sclavoniae.. Henrico bano de Wozora et de So...

Fejér: Cod. dipl. Hung. V, 2 p. 56—57.

LXXXV. 1273, 2 Januarii.

Ladislaus IV. rex Jan, filio Nicolai de Scepus, confirmat privilegiales patris sui Stephani de a. 1271. Mathaeo bano tocius Sclavoniae, Henrico bano de Vozora et de Sou, Stephano bano de Bozna.

Fejér: Cod. dipl. Hung. V, 2, p. 70—2. Stephani bani mentio fit etiam in instrumento eiusdem regis Ladislavi de 3 kal. Aprilis 1273. Op. cit. p. 87.

LXXXVI. 1273, 6 Julii.

Ladislaus IV. rex donat villam s. Michaelis in confinio castri ferrei Chepano, filio Kazmeris de genere Jaak ... Herrico bano tocius Sclavoniae, Egidio bano de Machou et de Bozna.

Wenzel: Monum. Hung. hist. XXII, 73—6. Egidius fuit banus de Machva et Bozna iam 4 Maii e a. teste instrumento eiusdem regis Ladislai ap. *Fejér:* Cod. dipl. Hung. V, 2, p. 87, 89.

LXXXVII. 1275, 14 Maii, Bellicadri.

Gregorius PP. X. capitulo ecclesiae Juvenaciensis, qui Salvium Tribuniensem (Trebinje) episcopum concorditer postulaverant, intimat, se hanc postulationem non duxisse admittendam, eisque concedit facultatem personam idoneam eligendi in episcopum.

Farlati: Illyr. sacr. VI, 291.

LXXXVIII. 1279.

Ladislaus IV. rex quosdam villanos de Hudus facit nobiles ... Thimoteo zagrab. episcopo, Nicolao, filio Stephani, bano tocius Sclavoniae, Ugrino magistro tavernicorum bano et domino de Macho et de Bozna ... Stephano, filio Stephani bani, iudice curiae.

Fejér: Cod. diplom. Hung. V, 2, p. 504—7.

LXXXIX. 1280, 19 Augusti.

Elisabeth mater Ladislai regis Hungariae, „ducissa de Machou et de Bosna", ad conservandam „fidem catholicam in ducatibus de Machau et de Bosna et in comitatibus de Posaga et de Valcou ... solemniter se obstringit.

Datum ... MCCLXXX. XIIII. kal. Septembris, indict. octava.

Odoric. Raynaldi: Annal. ecclesiast. tom. III, p. 510.

XC. 1280.

Ladislaus rex Hungariae severum edictum contra haereticos promulgat et presertim contra eos, qui „de ducatu ... ac diocesi Bosnensi et quibusdam adiacentibus terris ..." sunt.

Datum ... anno domini MCCLXXX. indict. VIII. regni autem .. an. VIII.

Odoric. Raynaldi: Annal. ecclesiast. tom. III, p. 510.

XCI. 1282, 18 Junii, apud urbem veterem.

Martinus PP. IV. archiepiscopum Colocenses et episcopos Sirmiensem et Bosnensem destinat ad consecrandum Thomam episcopum Varadiensem.

Katona: Histor. critic. tom. VI, p. 871 et Histor. metrop. Coloc. I, p. 328. *Theiner:* Monum. Hung. I, 350.

XCII. 1284, 13 Junii, apud urbem veterem.

Martinus PP. IV. Bonaventurae archiepiscopo Ragusino mandat, ut Tribuniensi et Stagnensi ecclesiis, quae tanto tempore pastoribus iam vacaverunt, quod earum provisio sit ad sedem apostolicam secundum generalis statuta comitii legitime devoluta, personas singulas idoneas praeficiat in episcopos, eisque munus consecrationis impendat.

Farlati: Illyr. sacr. VI, 293. *Theiner:* Vet. monum. Slavor. merid. I, 100.

XCIII. 1286, 11 Martii, Romae.

Honorius PP. IV. Bonaventurae archiepiscopo Ragusino mandat, ut iuxta litteras Martini IV, qui antequam litterae ipsi praesentatae fuerant, obiit, ecclesiis Tribuniensi et Stagnensi de episcopis provideat.

Farlati: Illyr. sacr. VI, 293. *Theiner*: Monum. Slav. merid. I, 103.

XCIV. 1290, 10 kal. Augusti.

Nicolaus IV. PP. legatum suum Benvenutum episcopum Eugubinum commendat Stephano et Prizde banis Bosne.

Theiner: Monum. Hung. I, 365.

XCV. 1291, 23 Martii, in urbe veteri.

Nicolaus PP. IV. respondet Stephano regi Serbiae, „cum in partibus Bosnae" eidem subiectis „sint quamplurimi haeretica pravitate infecti", se praecepturum, ut duo Franciscani „litterali scientia praediti et regionis illius idiomatis non ignari" ex Dalmatia illuc quamprimum inquisitores mittantur.

Quoniam inter cetera... Dat. apud Urbem Veterem x. kal. Aprilis an. IV.

Reg. vatic. ep. 23. *Wadding*: Annal. minor. tom. V, p 260.

XCVI. 1291, 23 Martii, in urbe veteri.

Nicolaus PP. IV. ministro ordinis minorum Provinciae Slavoniae iniungit, ut duos fratres sui ordinis „literarum scientia preditos et regionis et ydiomatis" peritos in Bosnam mittat inquisitores contra haereticos.

Pre cunctis.. Dat. apud Urbem Veterem x kal. Aprilis, an. IV.

Ex reg. orig. an. IV de curia, ep. 24. *Theiner*: Monum. Hung. tom. I, p. 378. In litteris regis Andreae III editis 10 Julii 1291 magistro Duroslao commemoratur Thomas bosnensis episcopus. *Fejér*: Cod. dipl. VI, 1, p. 116—118. Praefuit ecclesiae bosnensi adhuc a. 1298 et 1299. *Fejér*: VI, 2, p. 228—230.

XCVII. 1292, 12 Septembris, in urbe veteri.

Nicolaus PP. IV. mittit episcopum Eugubinum tanquam s. sedis legatum in regnum Hungariae nec non Dalmatiae, Austriae, Styriae, Carinthiae, Cumaniae et „Bosne".

Pridem cum.. Dat. apud Urbem Veterem II idus Septembris an. III.

Reg. vatic. 45 f. 173. Communicavit Dr. *Jelić*.

XCVIII. 1298, 29 Aprilis, Romae.

Bonifacius PP. VIII. mandat, ut minister provincialis fratrum minorum Slavoniae duos fratres sui ordinis inquisito·es mittat ad partes „Servie, Rassie, Dalmatie, Crovatie, Bosne atque Istrie, provincie Sclavonie".

Licet ex omnibus.. Dat. Rome apud s. Petrum III kal. Maii, an. IV.

Ex reg. orig. an. IV, ep. 143. *Theiner*: Monum. Hung. tom. I, p. 381. *Fabianich*: Storia dei Frati Minori.. in Dalmazia e Bossina, part. I. vol. I, p. 426 ex originali.

XCIX. 1299, 7 Aprilis, Scardonae.

„Paulus banus Croatie, Dalmatie et dominus Bosne“ manifestum facit, quod una cum consorte sua Ursa banissa aedificaverit in honorem s. Joannis B. ecclesiam penes monasterium s. Elisabeth ex adverso civitatis Scardonae.

Ljubić: Listine I, 190.

C. 1299, 14 Junii.

Carolus II. rex Neapolis „Hrivatino, filiis et fratribus eius“ confirmat „partes inferiores terrae Boszinensis, quas ipsi tenent et possident“, ob servitia, „quae Hrivatinus comes, nec non filii et fratres eius, consanguinei et cognati virorum nobilium Pauli bani Croatorum nec non Georgii et Mladini fratrum, comitum civitatum Dalmatiae . . in prosecutione cause de regno Hungariae praestiterunt hactenus, praestant ad praesens et praestare poterunt in futurum“.

In archivo neapolitano. Rad XVIII, 222.

CI. 1302, 4 Junii, in Hocucha.

„Mladinus (Šubić) banus Boznensis . . . concedit . . . quod omnes mercatores Spalatenses per universum dominium (suum) Chroatiae et Boznae, emere, vendere, comparare, mercimonia apportare et auferre libere valeant et possint.“

Datum in Hocucha in cras'ino Pentecostes sub anno domini 1302.

Lucius: De regno Dalm. et Croatiae. Hist. libr. IV. cap. XIII. *Kukuljević:* Jura regni Croatiae et Slavoniae I, 490.

CII. 1303, 30 Maii, Anagniae.

Bonifacius PP. VIII. quum resciret „in banatu Boznensi et aliis diversis partibus Colocensis provinciae circa maritimas . . .“ haeresim pullulare, iubet Stephanum archiepiscopum Colocensem „iuxta canonicas sanctiones contra haereticos et patarenos, credentes et receptores eorum“ adhibito etiam brachio saeculari procedere.

Ad extirpandam . . Dat. Anagniae III kal. Junii, an. IX.

Katona: Histor. critic. r. Hung. tom. VIII, p. 55; Histor. metropol. Colocen. eccles. I, p. 335. *Theiner:* Monum. Hung. I, 395.

CIII. 1303, 6 Augusti.

„Capitulum Boznensis ecclesie“ significat, litteras Bonifacii PP. VIII, quibus Carolo, Mariae Siciliae et Hungariae regine nepoti, ius successionis in regno Hungariae definitur, solemniter publicatas fuisse. Subscripserunt: „Nicolaus Boznen. episcopus“, Johannes praepositus, Michael custos, et Gregorius cantor.

Nos capitulum Boznensis . . . Dat. MCCCIII indictione I, VI die Augusti.

Instrum. miscell. an. 1303, N. 10. *Theiner:* Monum. Hung. tom. I, p. 403.

CIV. 1304, 24 Augusti, Posonii.

„Nicolaus Bosnensis“ episcopus cum nonnullis aliis praelatis et proceribus foederi cum Austriae duce pro stabiliendis Caroli Roberti partibus inito subscribit.

Actum Posonii in festo b. Bartholomaei apostoli a. d. MCCCIV.

Katona: Histor. critic. r. Hung. tom. VIII, p. 77; Histor. metropol. Colocen. eccles. I, p. 340.

CV. 1307, 4 Januarii, Scardonae.

„Paulus banus Crovatorum et dominus Bosne“ civitati Arbensi possessionem castri „Jablanaz“ cum omnibus terris, possessionibus, pascuis etc. prout in eorum privilegiis continetur, confirmat.

Datum Scardone die 4 instante ianuario anno domini 1307.

Lučić: De regno Dalmat. et Croatiae, libr. IV, cap. XIII, p. 326. *Kukuljević:* Jura regni Croatiae et Slavoniae, part. I, p. 491. *Ljubić:* Listine knj. V, p. 225.

CVI. 1307, 31 Julii, Pictaviis.

Clemens PP. V. episcopis „Bozensi“ et „Chenadiensi“ mandat, ut Vincentio electo Colocensi, ut moris est, pallium tradant.

Cum palleum .. Dat. Pictaviis II kal. Augusti, an. II.

Ex reg. orig. an. II. ep. 416. *Theiner:* Monum. Hung. tom. I, p. 415.

CVII. 1308, 24 Junii, Budae.

Episcopi in concilio coadunati, inter quos Petrus spalatensis, fr. Gregorius bosnensis, supplicant papam Clementem V pro recuperatione castri Medve, quod „per Philippum quondam zagrabiensem episcopum de rebus ecclesiae et pro ecclesia constructum“, ad illam de iure pertinet.

Krčelić: Historia eccles. zagrab. p. 70. *Farlati:* Illyr. sacr. V, 396. *Kukuljević:* Arkiv III, 82.

CVIII. 1308, 5 Augusti, in territorio Nonae.

„Paulus banus Croatorum et dominus Bosne, una cum comite civitatum Dalmatie“ civibus Tragurii „totum excessum sive offensiones per eos“ sibi et suis factas, item et „debita“ omnia condonat.

Dat. in territorio civitatis None prope ecclesiam s. Christofori die 5 mensis Augusti, a. d. 1308.

Lučić: Memorie .. di Traù (Ed. Venet. 1673) p. 146. In actis a. 1311 »Paulus banus Chroatorum et dominus Bosne«. *Ljubić:* Listine I, 139. Eodem anno idem Paulus scribit, se misisse »meum primogenitum, banum Maladinum banum Bosnensium“. Ibid.

CIX. 1314, 23 Januarii, Montiliis.

Clemens PP. V. „fratri Gregorio ord. Heremitar. s. Augustini olim episcopo Bosnensi seu de Diaco“ dat licentiam ab episcopatu recedendi.

Nuper dilectus .. Dat. Montiliis Carpentoralensis dioces. X kal. Febr. an. IX.

Ex reg. orig. an. IX. ep. 121. *Theiner:* Monum. Hung. tom. I, p. 445.

*

CX. 1314, 24 Februarii, Spalati.

„Maladinus secundus Croatorum et tocius Bosne banus" Saracenum, filium Eliae de Sibenico, nominat suum procuratorem apud ducem Venetiarum, tribuens ei plenam potestatem quaedam negotia pertractandi, pacta ineundi, confirmandi etc.

Dat. Spalati die v. Februarii anno MCCCXIV. indictione XII. banatus nostri Croatie anno II.

S. Ljubić: Listine I, p. 274.

CXI. 1315.

Cives Tragurienses, „cum nobilis et potentissimus vir dominus Mladinus banus Croatorum et Bosne pararet se cum exercitu tam per mare quam per terram ad veniendum contra civitatem Traguriensem ad impugnandum etc. etc." decernunt „conventum fratrum minorum cum ecclesia etc. prope civitatem predictam ante portas et pontem ipsius civitatis" destruendum esse.

Anno ... 1315, ind. 13 ..

Lučić: Memor. di Traù, p. 153.

CXII. 1317, 3 Julii, Avenione.

Joannes PP. XXII. Petrum ecclesiae „Bosnensi et de Diaco" episcopum praeficit, quae ecclesia, postquam „Guczardo" resignavisset, aliquamdiu „Benedicto Vaciensi episcopo" commissa erat.

Suscepti sollicitudo .. Dat. Avinione V nonas Julii, an. I.

Ex reg. orig. an. I. ep. 3542. *Theiner*: Monum. Hung. tom. I, p. 458.

CXIII. 1319, 18 Julii, Avenione.

Joannes PP. XXII „Maladino Chroatorum et Bosne comiti, alias dicto bano", ut contra hereticos „terre Bosnensis" insurgat, ubi ob rectorum negligentiam eo malum invaluit, „quod ibi desolentur ecclesie, clericalis ordo sit extirpatus radicitus, et Christi sacra irrisione pestifera conculcentur, non ibi crucis reverentia .. non vivifici sacramenti communio, ipsiusque baptizmi .. nomen in plerisque partibus ignoretur a gentibus .."

Multa nec immerito .. Dat. Avinione XV. kal. Augusti, an. III.

Ex reg. orig. an. III. com. ep. 1248. *Rainaldi*: Annal. ecclesiast. tom. XV, § 14. *Theiner*: Monum. Hung. tom. I, p. 464.

CXIV. 1319, 18 Julii, Avenione.

Joannes PP. XXII. cum Stephano, Stephani bani Bosnensis filio, dispensat, ut cum filia „Menhardi comitis de Orthenborch", licet sibi „in quarto gradu consanguinitatis coniuncta" sit, matrimonium inire possit.

Apostolicae sedis .. Dat. Avinione XV. kal. Augusti an. III.

Reg. an. III, com. ep. 703, fol. 224. *Theiner*: Monum. Slavor. meridional. tom. I, p. 135.

CXV. 1320, 7 Januarii.

Mladinus „Croatorum et Bosine" banus mediante „discreto viro magistro Gulielmo de Vergnana, medico fideli" suo, ad amicitiam cum Veneto senatu denuo iungendam agit.

Scriptum .. per Michaelem nostrum prothonotarium sub anno domini MCCCXX. die VII. Januarii.

S. Ljubić: Listine v. I, p. 305.

CXVI. 1321, 25 Novembris, Scardonae.

„Malladinus secundus Croatorum et Bosne banus" testatur, Stephanum Manulesso, rectorem civitatis Tragurii, nihil secum unquam talia tractasse, quae „in damnum et lesionem dicti communis seu civium eiusdem posset redundare".

Dat. Scardone die XXV. Novembris (1321).

S. Ljubić: Listine v. I, p. 328.

CXVII. 1322, Januario mense.

Nonnulli proceres et cives civitatum Traguriensis et Sibenicensis, inita inter se societate contra banum Mladinum, „promoverunt exercitum magnum .. auxilio filiorum Babonig et baronum de Bosna, quorum auxilio venerunt cum exercitu persequentes Mladenum usque ad Bliscam .."

Lučić: Memor. di Traù, p. 163.

CXVIII. 1323, 24 Novembris.

Carolus rex Hungariae, Dalmatiae, Croatiae, Ramae sententiam Joannis bani Croatiae de novis tributis zagrabiensi capitulo adiudicatis confirmat. V. P. Petro spalatensi archiepiscopo .. fr. Petro boznensi.

Tkalčić: Monum. histor. civ. zagrab. I, 107. Idem Petrus commemoratur in aliis actis a. 1324 et 1326 (ib. p. 109, 116).

CXIX. 1324, 9 Julii, Tragurii.

Nicolaus Venerio comes et commune Tragurii Duinum Stephani capitaneum cum exercitu 200 hominum mittunt in auxilium Georgio voevodae et Nelepitio voevodae et filiis Curiacii „contra comitem Steposium de Bosna et fratrem Steposii et gentem suam .."

Lucius: Memorie di Traù. p. 177.

CXX. 1325, 5 Junii, Avenione.

Joannes PP. XII. „quia magna haereticorum caterva de multis et variis partibus congregata ad principatum Bosnensem ... confluxit", Carolum Hungariae regem monet, ut fratrem Fabianum fidei censorem sua auctoritate fulciret.

Frequenter, fili charissime .. Dat. Avinione nonis Junii an. IX.

Odoric. Raynaldi: Annal. ecclesiast. tom. V, p. 313.

CXXI. 1325, 5 Junii, Avenione.

Joannes PP. XXII. „nobili viro principi Bosnensi" scribit, ut fr. Fabiano ordinis minorum inquisitori contra haereticos acturo favorem et praesidium praebeat."

Repetita frequenter ... Dat. Avenione nonis Junii an. IX (= 1325).

Reg. vatic. an. IX. tom. I. ep. 5. In eundem modum scriptum et »nobili mulieri Elisabethae principissae Bosnensi«. Ibid. ep. 7. *Wadding*: Annal. minor. tom. VII. p. 38 et seq. *Farlati D.*: Illyric. sacr. tom. IV, p. 57.

CXXII. 1326, 12 Junii, Tragurii.

Nicolaus Venerio comes et commune Tragurii „magnifico et potenti domino Stephano libero principi et domino Boznae, Ussorae et Sale et plurimorum aliorum locorum atque terrae Chelmi comiti“ commendant suum civem „de Stepcho filium Miroslavi“, quem quidam Bosnensis „de Rachitema“ derobavit prope flumen Cetinae de valore libr. 2000.

Lucius: Memorie di Traù, p. 188.

CXXIII. 1327, 1 Julii, Avenione.

Joannes PP. XXII. „officium inquisitionis . . . in partibus Serviae, Rasie, Dalmatie, Crovatie, Bosne atque Istrie“, a Bonifacio VIII. et Nicolao IV. fratribus minoribus commissum fuisse declarat; ideoque fratribus praedicatoribus illius exercitium in dictis partibus interdicit.

Querelam etc. Dat. Avinione kal. Julii, an. XI.

Ex reg. orig. an. XI, de cur. ep. 31. *Theiner*: Monum. Hung. tom. I, p. 515. *Farlati D.*: Illyr. sacr. tom. IV, p. 58.

CXXIV. 1327, 1 Julii, Avenione.

Joannes PP. XXII. Carolo regi Hungariae, ut fratri Fabiano et fratribus eiusdem, inquisitoribus, omnem favorem exhibeat.

In illis . . Dat. Avinione kal. Julii, an. XI.

Ex reg. orig. an. XI. de Cur. ep. 32. In eundem sensum et Colocensi archiepiscopo. *Theiner*: Monum. Hung. tom. I, p. 515.

CXXV. 1327, 12 Augusti, Avenione.

Joannes PP. XXII. Carolo regi, qui fratrem Fabianum et socios inquisitores in Bosna benigne receperat, gratias agit.

Dudum fili . . Dat. Avinione II. idus Augusti, an. XI.

Ex reg. orig. an. XI. de Cur. ep. 34. *Theiner*: Monum. Hung. tom. I, p. 517.

CXXVI. 1330, 16 Martii, Avenione.

Joannes PP. XXII. iubet fratres minores in Dalmatia, Slavonia et Bosna ostendere omnia privilegia in negotio inquisitionis Bosnensis ipsis concessa.

Ad audientiam . . . Dat. Avinione XVII. kal. Aprilis an. XIV.

Ex reg. orig. an. XIV, part. 2, com. ep. 80. *Theiner*: Monum. Hung. tom. I, p. 526. *Larlati D.*; Illyric. sacr. tom. IV, p. 58.

CXXVII. 1331, 6 Januarii, Avenione.

Joannes PP. XXII. provisionem ecclesiae bosnensis hac vice sibi reservat.

Inter sollicitudinis . . . Datum Avinione VIII idus Januarii, an. XV.

Ex reg. orig. an. XV. par. 2 com. ep. 467. *Theiner*: Monum. Hung. tom. I, p. 533.

CXXVIII. 1332, 23 Octobris, Ragusii.

Stephanus, Bosnae banus, init cum Ragusinis pactum spectans litem inter Bosnenses et Ragusinos. Testes: iupanus Brekša, magnus

vojvoda Vladislav Galešić, Vukosav Tepčic, Radoslav Hlapenović, Stepko Radosalić, Miloš Vukašić, Stefan Družčić, Budislav Gojsalić, Vladislav Vuokasić, Mioten Draživojević, Prebisav Milobratić, iupanus Ivahan Prbilović, Vlatko Dobrovojević, čeonik hlap Ivan Budisalić, Divoš Tiehoradović, Gojsav Vojsilović, Branoš Čeprnić, knez Pavao Hrvatinić, Stanac Vojsalić. Scripsit diaconus bani Preboje.

Miklošić: Monum. serb. p. 101—3.

CXXIX. 1333, Indict. I. 15 Martii, Srebrnik.

Stephanus, banus Bosnae. Usorae et Soli, dominus terrae Chlmensis, Ragusio cedit Rat, Ston, Prevlaka et insulas circa Rat iacentes. Testes: Vitan Tihoradić, Radosav Hlapović, Miloš Vlukašić, Hrvatin Stefanić, Stefan Druščić, Tvrtko Ivahnić. Pristaldi: Divoš Tihoranić, ćitko Hlapović, Mihajlo Menčetić Ragusaeus.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monum. serbica, p. 105.

CXXX. 1336, 8 Januarii, Avenione.

Benedictus PP. XII. Carolo regi Hungariae scribens deplorat tristem ecclesiae Bosnensis statum, quia post „mortem bone memorie Petri episcopi Bosnensis . . . in possessionem episcopatus Bosnensis quendam laicum pro suo libito“ intrusit, per quem „canonici de capitulo illius . . multas iacturas pertulerunt, quod iam de numero dictorum capitulorum vix quatuor pro celebrandis in ea divinis officiis remanserunt, victus penuriam ferentes . .“; obsecrat proin eundem regem, ut Laurentio Lorandi, canonico dicti capituli, in episcopum canonice electo, impedimenta apposita removeat.

Gravis admodum . . Dat. Avinione VI idus Januarii, an. II.

Ex reg. orig. an. II, par. 2, com. ep. 445. *Theiner*: Monum. Hung. tom. I, p. 608.

CXXXI. 1336, 9 Decembris, Avenione.

Benedictus PP. XII. Laurentium Lorandi ecclesiae Bosnensi praeficit in episcopum et pastorem.

Militanti ecclesiae . . Dat. Avinione V. idus Decembris, an. II.

In eundem modum capitulo ecclesiae Bosnensis, clero et populo civitatis et diocesis Bosnensis; item et Stephano bano, principi Boznensi, archiepiscopo Colocensi et Carolo regi Ungariae idem episcopus commendatur.

Ex reg. orig. an. II, p. I, com. ep. 585. *Theiner*: Monum. Hung. tom. I, p. 609.

CXXXII. 1336, 15 Decembris, Avenione.

Benedictus PP. XII. „Barnabe Mixe“ canonico Bosnensi confert canonicatum et prebendam, quae Laurentius tempore suae promotionis obtinebat.

Dat. Avinione XVIII kal. Januarii, an. II.

Ex reg. orig. an. II, par. II, com. ep. 29. *Theiner*: Monum. Hung. tom. I, p. 611.

CXXXIII. 1337, 22 Maii, Avenione.

Benedictus PP. XII. „Budislavo, Gregorio et Paulo comitibus“ Corbaviae, ut haereticae pravitatis inquisitoribus contra „Stipotium banum Bosne“, haereticorum protectorem, assistant.

Infesta nimis . . . Dat. Avinione XI. kal. Junii, an. III.

Ex reg. orig. an. III, secr. ep. 123.

In eundem modum „Duymo et Bartholomaeo fratribus Segnie; Maledino, Paulo et Georgio fratribus comitibus Clisie; Paulo comiti Esteruice (Osteruice), Constantino comiti Cluci et Neliptio comiti Tiniensi“. Dat. ut supra.

Ex reg. orig. an. III, secret. ep. 124. *Theiner*: Monum. Hung. tom. I, p. 616.

CXXXIV. 1340, 28 Februarii, Avenione.

Benedictus PP. XII. fratri Gerardo ministro generali ord. s. Francisci, in Hungaria adhuc commoranti, ut litteras in negotio extirpandae haeresis bosnensis fr. Petro, procuratori generali minorum consignatas, bano Bosnae et regi Hungariae tradat.

Recepimus . . Dat. Avinione II kal. Martii an. VI.

Ex reg. orig. an. VI, secr. ep. 32. *Wadding:* Annal. minor. tom. VII, p. 231. *Theiner:* Monum. Hung. tom. I, p. 633.

CXXXV. 1340, 28 Februarii, Avenione.

Benedictus PP. XII. Carolo regi Hungariae, ut Stephano, bano bosnensi, omnibus modis et auxiliis ad haereticos extirpandos et ecclesias extruendas assistat.

Nuper . . Dat. Avinione II. kal. Martii an. VI.

Ex reg. orig. an. VI, secr. ep. 31. *Wadding*: Annal. minor. tom. VII, p. 231. *Theiner*: Monum. Hung. tom. I, p. 632.

CXXXVI. 1340, 28 Februarii, Avenione.

Benedictus PP. XII. laudat Stephani bani bosnensis propositum, quod de haereticis exstirpandis conceperat, hortaturque, ut id etiam exequatur, cui et ipse auxilio se affuturum esse promittit.

Ex relatione . . Dat. Avinione II. kal. Martii an. VI.

Ex reg. orig. an. VI, secr. ep. 33. *Wadding*: Annal. minor. tom. VII, p. 232. *Theiner:* Monum. Hung. tom. I, p. 633.

CXXXVII. 1340, 10 Maii.

Capitulum Bosnense quarundam possessionum in comitatu Baranya situatarum donationem a „Jolentha . . relicta comitis Ladizlai de Newna“ „Nicolao et Paulo filiis . . magistri Andree (de Gara) . . . nepotibus suis . . . „factam“ significat.

„Nos capitulum“. Datum feria quarta proxima post quindenas festi beati Georgii martyris an. dom. millesimo tercentesimo quadragesimo.

Nagy Imre: Cod. diplom. hungaric. Andegaven. tom. IV. p. 21.

CXXXVIII. 1340, 30 Augusti, Venetiis.

Venetis provisoribus „Sclavoniae“ iniungitur, ut si banus „Bossine“ veniret ad partes Sclavoniae, procurrent illud bonum, quod poterunt, pro conservatione et indemnitate ipsarum terrarum venetarum.

Ljubić: Listine II, 84.

CXXXIX. 1344, 6 Februarii, Avenione.

Clemens PP. VI. Bonifacium episcopum Tribuniensem ad ecclesiam Sibenicensem transfert.

Theiner: Monum. Slav. merid. I, 210.

CXL. 1343, 8 Julii, Venetiis.

Examinata ambaxata in scriptis data per ambaxatorem d. bani Bossine videtur sapientibus, quod unio cum bano faceret multum pro favore venetarum civitatum maritimarum in Sclavonia, praeprimis si accederent rex Rasciae et barones Sclavoniae. Conceditur ambaxatori gratia extrahendi arma.

Ljubić: Listine II, 181—2.

CXLI. 1343, 31 Julii, Venetiis.

Jacobellus Venerio, notarius curiae, qui est in partibus Sclavoniae. mittitur ad banum Bossine, ut ipse non moveret se, nec faceret aliquod contra intentionem dominii veneti.

Ljubić: Listine II, 186.

CXLII. 1344, 1 Maii.

Capitulum Bosnense testatur quod „Stephanus filius Mathiae . . . totalem particulam porcionis sue ipsum iure hereditario in Gradisca contingentem iuxta fluvium Karas in provincia de Barana . . .“ vendiderit.

Nos capitulum ecclesiae Boznensis etc. Datum in festo apostolorum Philippi et Jacobi beatorum anno domini MCCCXL. quarto.

Nagy Imre: Cod. diplom. hungaric. Andegaven. tom. IV, p. 413.

CXLIII 1344, 13 Junii, Avenione.

Clemens PP. VI, qui, suggerente fr. Gerardo, patriarcha Antiocheno, aliisque fratribus minoribus Bosnae, concessit, ut decimae in eodem regno per fr. Peregrinum e Saxonia, et Dominicum a Tragurio ord. s. Benedicti colligendae, in reaedificationem, reparationem et provisionem ecclesiarum converterentur, et insuper episcopo Bosnensi expresse inhibuit, ne desuper quaestionem nisi coram sancta sede iuridice movere auderet; nunc Laurentio, episcopo Bosnensi, Avenione personaliter instante, declarat: dictam concessionem fratribus minoribus, et inhibitionem episcopo factam, ad decimas, quas episcopi Bosnenses percipere insveverant, minime extendi.

Suscepte servitutis officium. . . Dat. Avinione idibus Junii an. III

Ex reg. orig. an. III, com. lib. II, p. II, ep. 258 fol. 9. *Theiner*: Monum. Hung. tom. I, p. 670. Monum. Slavor. merid. tom. I, p. 211.

CXLIV. 1344, 1 Octobris, Avenione.

Clemens PP. VI. „Stephano bano Bosnensi“, quem Deus „fidei luce perfusum ac imbutum doctrina evangelice veritatis, ad unitatem sancte romane . . . ecclesie evocavit“, ut „Valentinum episcopum Mucarensem in suo episcopatu, qui in terra ditionis eius subiecta existit“, foveat et iuvet.

Ingentem materiam . . . Dat. Avinione kal. Octobris, an. III.

Ex reg. orig. an. III, com. libr. II, par. 2, fol. 100. *Theiner*: Monum. Hung. tom. I, p. 675.

CXLV. 1346, 7 Januarii, Venetiis.

Capetaneo et gubernatoribus venetis revocatur in memoriam „compositio facta cum bano Bosne et Hungaris“, qua se obligarunt, quod nolint tenere vel occupare aliquid de terris Hungariae.

Ljubić: Listine II, 305.

CXLVI. 1346, 7 Januarii, Avenione.

Clemens PP. VI. Stephano bano Bosnensi praecipit, ne episcopum Catharensem in locis „de Chelmia, de Save, de Lipinch“ et aliis „ultra fluvium Save, Danubii et Drine versus Rassiam“ officium dioecesani exercere et decimas percipere impediat.

Ad fovendum . . . Dat. Avinione VII idus Januarii, an. IV.

Reg. an. IV, tom. I, ep. 254. *Theiner*: Monum. Slav. merid. t. I, p. 216.

CXLVII. 1346, 22 Februarii, Venetiis.

Committitur nuncio veneto ad banum Bosnae, ut fratri Peregrino exponat causam et scopum suae missionis.

Ljubić: Listine II, 323.

CXLVIII. 1346, 8 Aprilis, Venetiis.

Conceduntur bano Bossinae dona ad valorem 1000 duc. in rebus, eius ambaxatori de 100 duc. loquendo prius cum fr. Peregrino.

Ljubić: Listine II, 333.

CXLIX. 1346, 18 Aprilis, Venetiis.

Fr. Peregrino assignantur dona usque ad 100 duc. ambaxatoribus bani Bossine gratiae aguntur pro amore, quem erga Venetos gerit. Si banus posset reconciliare regem Hungariae cum Venetis, hi mitterent ad illum nuncios suos.

Ljubić: Listine II, 337.

CL. 1346, 29 Aprilis, Wissegrad.

Ludovicus rex capitulo Bosnensi mandat, ut ad requisitionem capituli Colocensis et Bacsiensis „hominem (mittant) pro testimonio ad faciendum citationes, inquisitiones etc.“

Ludovicus rex . . . capitulis etc. Datum in Wissegrad in octavis festi Pasche domini anno eiusdem MCCCXL. sexto.

Nagy Imre: Cod. diplom hungar. Andegaven. tom. IV. p. 585.

CLI. 1346, 9 Augusti, Venetiis.

Fratri Caterino, provinciali, qui fuit missus ad banum Bossinae, et fideliter et laudabiliter se gessit, assignantur L ducati.

Ljubić: Listine II, 368.

CLII. 1346, 26 Augusti, Venetii.

Scribitur bano Bossine, quod cum ambaxatoribus regis Hungariae nil perfectum sit, sed nuncii ad eundem exmissi; ipsi, tanquam suo amico, facta sua commendant. Idem scribitur fr. Peregrino.

Ljubić: Listine II, 377.

CLVIII. 1346, 4 Septembris, Venetiis.

Examinatis capitulis ambaxatae bani Bossinae per d. Helyam respondetur: unionem seu ligam, quam offert, non posse acceptari; comitem Gregorium „intuitu ipsius d. bani" recipient in gratiam, si recognoverit suum errorem; procurabunt, ut comes Mladinus abstineat se ab offensa contra banum; recipient etiam in gratiam recommendatos sibi comitem Johannem condam comitis Nelipcii et comitem Budislavum Ugrinich; mittent nuncios ad regem Serviae; Jadertinos recipient in gratiam, si intra octiduum tradiderint civitatem.

Ljubić: Listine II, 379.

CLIV. 1346, 26 Septembris, Venetiis.

Committitur ser Nicolao nuncio ituro ad banum Bossinae, ut ab ipso requirat auxilium, si banus Sclavoniae descenderet in subsidium Jadertinis.

Ljubić: Listine II, 387.

CLV. 1346, 11 Octobris, Venetiis.

Quum rex Hungariae respuerit nuncios venetos, committitur Nicolino nuncio in Bossina, ut bano offerat foedus.

Ljubić: Listine II, 395—396. Adurgetur responsum 17 nov. Ib. 406.

CLVI. 1346, 10 Novembris, Venetiis.

Scribitur bano Bossine, ut mandet Curiachis et comiti Budislavo Ugrignich, quo a praestandis Jaderae victualibus abstineant.

Ljubić: Listine II, 404.

CLVII. 1347, 11 Januarii, Venetiis.

Scribatur d. Helyae, melius esse, ut facta unionis et ligae in praesens remaneant in pendenti et secreta; permoveat banum, ut Venetos cum rege Hungariae reconciliet.

Ljubić: Listine II, 428.

CLVIII. 1347, 21 Martii, Avenione.

Clemens PP. VI. permittit fratribus minoribus Bosnae, ut duo loca „unum videlicet in civitate seu Punta Stagnensi et aliud in Diaco Quinque-ecclesiensis diocesis" recipere. et in iis monasteria aedificare possint.

Ex dono celestis . . Dat. Avinione XII. kal. Aprilis, an. V.

Ex reg. orig. an. V, libr. II, par. 2, fol. 198. *Theiner*: Monum. Hung. tom. I, p. 736.

CLIX. 1347, 3 Aprilis.

Anno MCCCXLVII. die III Aprilis. Exemplum supplicationum porrigendarum domino Pape nomine domini bani Bosnie missarum Amadeo notario in curia romana.

Significat sanctitati vestre humilis et devotus filius vester Stephanus banus Bosnensis, quod religiosus vir frater Peregrinus de Saxonia generalis ministri ordinis minorum in Bosna vicarius devote, fideliter et instanter in Bosna pro fide catholica et animarum salute laborans, paucos habet cooperatores secundum exigentiam et multitudinem animarum; propter quod negotium fidei non modicum retardatur. Quare cum absque sanctitatis vestre gratia non possit haberi modus, per quem dictus vicarius habere valeat cooperatores in fidei doctrina peritos et lingue sclavonice non ignaros vel saltem ad addiscendum aptos: supplicat idem banus, quod in obsequium eiusdem fidei orthodoxe et salutem animarum, qui nunc sunt in terris suis, prefato vicario, et qui pro tempore in officio erunt vocandi auctoritate apostolica fratres sui et aliorum approbatorum ordinum, et occupandi eos in obsequio memorato, et in quibuslibet ad hoc accomodis operibus pietatis concedere dignemini facultatem; et quod superiores seu prelati locorum, ordinum prefatorum huiusmodi fratres recreationis vel infirmitatis causa, de licentia eiusdem vicarii ad loca, de quibus eos vocari contingeret redeuntes, charitative recipiant atque tractent, et illos collocent in ipsis, quotiens pro causa huiusmodi per predictum vicarium fuerint requisiti, non obstantibus quibusvis privilegiis seu indulgentiis prefatis ordinibus vel personis eorum seu officiis sub quacunque forma verborum concessis. Item: quod in singulis conventibus magnis provinciarum vicinarum praedictorum ordinum singulos neophitos in huiusmodi conventibus in latina grammatica et in doctrina sancte romane ecclesie certo tempore instruendos, quando fuerit necesse, idem vicarius valeat auctoritate apostolica collocare. Item: Quod idem vicarius predicta auctoritate vocare et recipere ac tenere valeat sacerdotes et clericos saeculares, quos dicto fidei negotio et animarum saluti judicaverit opportunos, qui cum gentibus, non obstante quod sint excommunicatione ligate, communicare valeant, sicut fratres, quibus hoc in partibus infidelium per privilegia sedis apostolice dicitur esse concessum, possintque constitutis ibidem ministrare ecclesiastica sacramenta, et ab hiis generibus peccatorum absolvere penitentes, super quibus eisdem fratribus in partibus infidelium a sede prefata absolvendi licentia est concessa, vel prout eis idem vicarius iuxta eorum idoneitatem et casuum occurrentium necessitatem apostolica auctoritate duxerit committendum. Et quod iidem sacerdotes et clerici eandem de benignitate sedis apostolice habeant indulgentiam,

que per sedem prefatam eisdem fratribus in partibus infidelium dicitur esse concessa. Et quod hec omnia possint et habeant sacerdotes et clerici memorati, quamdiu in ipsa vicaria Bosnensi de licentia et voluntate vicarii prefati morantur. Item: Quod gratias, privilegia et indulgentias, que religiosis inter Tartaros et infideles et alios scismaticos pro ampliatione fidei catholice laborantibus conceduntur, etiam istis religiosis, qui pro eadem causa, in pari periculo, non cum minoribus angustiis, in Bosna laborant, dignemini misericorditer impertiri. Item supplicat idem banus, quod dicto bosnensi vicario recipiendi loca pro predicta vicaria in villis, castris et civitatibus provinciarum Hungarie et Sclavonie, in quibus nec eiusdem ordinis, nec aliorum approbatorum ordinum fratres habent loca, concedere dignemini facultatem. Item supplicat dicte vestre sanctitati idem banus, quatenus in persona dilecti capellani et nuncii sui Georgii, hominis Dei de Berito, alias dicti de Cipro, specialem gratiam facientes eidem Georgio, utpote benemerite et literate persone, de uno vel duobus beneficiis simplicibus ecclesiasticis sine cura vacantibus ad presens vel proxime vacaturis in civitate et diocesi Spalatensi usque ad valorem annuum LX florenorum auri, spectantibus ad collationem archiepiscopi Spalatensis, de speciali gratia dignemini providere, cum inhibitione, decreto et clausula antefferi. Non obstante quod idem Georgius canonicatum et prebendam in ecclesia Spalatensi, quorum fructus annui XII florenos non attingunt, et in Collonensi ecclesia insule Rhodi canonicatum, de quo nihil percipit, noscitur obtinere; sed ut dicta beneficia, que obtinet una cum obtinendis per huius vestram gratiam licite retinere valeat, dignemini de uberiori gratia misericorditer dispensare; et eum ceteris non obstantibus et clausulis opportunis et exequutoribus; et quod transeat sine alia lectione.

Šafarik: Glasnik srbs. učen. družtva. XI, 412. *Wenzel Gusstav*: Monum. Hung. historica (Acta extera) tom. II, p. 220. *Ljubić*: Listine II, 443. Documentum hocce ob ipsius gravitatem reproducitur.

CLX. 1348, 10 Januarii, Venetiis.

Ad petitionem bani „Bosne" eius „specialis servitor" Marinus Paulus de Jadra, qui tempore belli cum Jadertinis expulsus fuit Jadra, absolvitur.

Ljubić: Listine III, 48.

CLXI. 1348, 18 Februarii, Venetiis.

Conceditur, ut comes Gregorius Goysalich, vojvoda bani Bosne, extrahat Venetiis arma usque ad valorem duc. c, solvendo datium.

Ljubić: Listine III, 54.

CLXII. 1348, 18 Octobris, Venetiis.

Senatus Venetiarum, ad preces bani Bosnae, decernit fr. Peregrinum ord. minor. vicarium „in Bossina domino pape . . pro episcopatu Bosne" commendandum esse.

Ljubić: Listine III, p. 107.

CLXIII. 1349, 26 Januarii, Venetiis.

Scribatur bano „Bossine“ de „derobationibus“, per illius gentem factis Tragurinis.

Ljubić: Listine III, 111.

CLXIV. 1349, 28 Januarii, Avenione.

Clemens PP. VI. „Boniohanne“ episcopo Bosnensi ad ecclesiam Firmanam translato, fr. Peregrinum de Saxonia ecclesiae Bosnensi praeficit. Dum ad universas . . . Dat. Avinione v kal. Februarii, an. VII.

Ex reg. orig. an. VII, com. libr. IV, par. I, fol. 92.

In eundem modum: Capitulo Bosnensi, clero et populo civitatis et diocesis Bosnensis, vasallis ecclesie Bosnensis, archiepiscopo Colocensi et Ludovico regi Ungariae etc. Dat. ut supra.

Ibid. *Wadding*: Annal. minor. tom. VIII, p. 377. *Theiner*: Monum. Hung. tom. I, p. 768.

CLXV. 1349, 12 Martii, Venetiis.

Ad commendationem bani Bossine recomendetur papae archidiaconus tinniensis Doymus de Spalato pro episcopatu tinniensi.

Ljubić: Listine III, 114.

CLXVI. 1349, 6 Aprilis, Venetiis.

Nuntio exmisso ad „regem Seruie“ commendatur, ut tentet „concordiam inter regem Servie et banum Bossine“:

Ljubić: Listine III, 118.

CLXVII. 1349, 18 Aprilis, Venetiis.

Committitur nobilibus, ut dent suum consilium „super aliquibus litteris missis per banum Bossine pro territoriis, que dicit habere sub aliquibus ex terris“ venetis.

Ljubić: Listine III, 120.

CLXVIII. 1350, 22 Januarii.

Capitulum Bosnense testatur, quod in negotio quarundam possessionum, in comitatu Baranya existentium, magister „Phylipus“ filius „Laurencii de Korog“ . . . iuramentum deposuisset . . . contra iuramentum . . . magistri Denk (de Nehche) . . . quod . . . magister Denk in suorum forma verborum ipsum iuramentum deponendorum deerasset et deviasset“.

Nos capitulum ecclesiae Boznen. . . Datum feria sexta, videlicet in festo b. Vincencii martiris, anno domini MCCC quinquagesimo.

Nagy Imre: Cod. diplom. hungaric. Andegaven. tom. V, p. 354.

Ibid. p. 358 »magister de Nekche«.

CLXIX. 1350, 13 Aprilis, Venetiis.

Stephanus (Dušan) Serborum imperator per nuncium suum Michaelem de Buchia notum facit, quod amore Venetorum ducis banum Bosine „habuerit amicabiliter“; sed ipse banus depraedatur eius gentes et „acqui-

sivit de suis terris et locis"; hinc moneat eum, ut »faciat restitui damna", secus summet vindictam. Ad hoc respondet dominium venetum imperatori, quod optet, ut „inter partes sit quies et concordia"; scribet bano „litteras speciales", et sperat, quod sit reparaturus damna et cum imperatore victurus „amicabiliter et quiete".

Ljubić: Listine III, 175—178.

CLXX. 1350, 11 Julii, Venetiis.

„Mittantur duo solemnes ambaxatores" ad regem Raxiae et banum Bossine „ad procurandum quietem et concordiam inter eos".

Ljubić: Listine III, 189—190.

CLXXI. 1351, 20 Augusti, Venetiis.

Scribatur bano Bossinae „de receptione litterarum suarum"; comiti Sibenicensi demandatum, „ut secum et cum gentibus pacifice debeat se habere; id ipsum faciat banus erga subditos venetos.

Ljubić: Listine III, 219.

CLXXII. 1351, 4 Octobris, Venetiis.

Senatus reipublicae Venetae decernit fr. Peregrinum, ord. minorum, episcopum Bosnensem, pro expediendis suis negotiis commendandum esse Romae cardinalibus et procuratori reipublicae.

Ljubić: Listine III, p. 221. Peregrinus commemoratur in actis a. 1352. (Tkalčić: Monumenta hist. civ. zagr. I, 202, 204.)

CLXXIII. 1352, 29 Januarii, Avenione.

Clemens PP. VI. episcopos Quinqueecclesiensem et Bosnensem nec non et abbatem s. Nicolai Sibenic. dioces. nominat conservatores pro fratribus hospitalis s. Joanni Hierosolymit. in „Ungaria et Sclavonia."

Militanti etc. Dat. Avinione IIII kal. Februarii, an. X.

Ex reg. orig. an. X. com. libr. III, part. I, fol. 191. *Theiner:* Monum. Hung. tom. I, p. 805.

CLXXIV. 1352, 26 Aprilis, Budae.

Ludovicus „Nyklynum" filium Laurentii et fratrem eius, qui „Mariam sororem domini Stephani ducis Boznensis . . . domino Helsenneerio foedere matrimoniali copulatam ad civitatem Pazzowye (Passau)" magnis suis expensis comitati sunt, iubet in possessiones suas introduci.

„Nos Ludovicus rex significamus" Datum Bude feria quarta proxima post festum beati Georgii martiris anno domini MCCCL secundo.

Nagy Imre: Cod. diplom. hungaric. Andegaven. tom. V, p. 577.

CLXXV. 1355, 25 Maii, Tragurii.

Petrus Gradonico comes Tragurii duci Venetiarum Johanni Gradonico notum facit: „Banus bosinensis habuit castra, que fuerunt olim comitis Gregorii, olim vayvode, ac etiam habuit olim domine Chatarine, quod tenebatur per Novchum Ciprianich; et hoc fuit per concordium. Dictus banus reversus est in Donnam (sic), ubi erat mater eius, cum exercitu

suo; et ibi tractatur concordium intra dictum banum et comitem Johannem, quod concordium tractatur per vice-banum Tenini, et creditur, quod fiet".

Ljubić: Listine III, 271.

CLXXVI. 1355, 1 Septembris, in Visoko.

Tvrtko banus Bosnae una „cum nobilissimo iuvene Vuk fratre karissimo ac . . . domina Helena genitrice" confirmat Ragusinis omnia privilegia, quae ipsis olim concesserat Stephanus Bosnae banus, patruus suus.

Dat. . . in castro Vizoka . . . prima die . . . Septembris an. . . MCCCLV.

Dr. *Fr. Rački*: Rad knj. I, p. 145. *Ljubić*: Listine knj. III, p. 276.

CLXXVII. 1356, 29 Februarii Avenione.

Innocentius PP. VI. Petrum, ecclesiae Bosnensis lectorem, mortuo fr. Peregrino, a capitulo, licet contra reservationis decretum, in episcopum Bosnensem electum, confirmat.

Pastoralis officii. . . Dat. Avinione II kal. Marcii . . an. IV.

Reg. an. IV. Cod. chart. tom. 12, fol. 53. *Theiner*: Monum. Slavor. meridional. tom. I, p. 233. Idem Petrus commemoratur in aliis actis a. 1356, 1359, 1361. *Tkalčić*: Monum. histor. civ. zagrab. I, 212, 216, 228.

CLXXVIII. 1356, 14 Martii, Neretvae.

Tvrtko Bosnae banus una cum fratre comite Vulk et Helena matre omnia privilegia, quae olim Ragusei sub bano Stephano habuerunt, confirmat.

„Data in curia nostra in Nerethva" feria secunda post dominicam primam quadragesime an. domini MCCCLVI.

Dr. *F. Rački*: Rad knj. I, p. 149. *S. Ljubić*: Listine knj. III, p. 312.

CLXXIX. 1356, 7 Julii, Villaenovae.

Innocentius PP. VI. Petro electo Bosnensi, ut a quocumque antistite catbolico munus consecrationis obtinere possit.

Cum nos . Dat. apud Villamnovam Avinion. dioec. nonis Julii . . . an. IV.

Reg. an. IV. cod. chart. tom. 12, fol. 488. *Theiner*: Monum. Slavor. meridional. tom. I, p. 235.

CLXXX. 1358, 3 Junii, Višegradi.

Ludovicus rex Hungariae Petrum episcopum Bosnensem Ragusium mittit tanquam suum „procuratorem, actorem, factorem negotiorum . . . ad recipiendum . . . a rectoribus, iudicibus etc. civitatis Ragusine sacrametum fidelitatis et subiectionis etc. . . ."

Datum in Wyssegrad tertio die mensis Junii . . anno MCCCLVIII.

P. Matković: Starine, libr. I, p. 144.

CLXXXI. 1359, 13 Augusti, Ragusii.

Joannes de Bona rector Ragusii conqueritur coram rege Ludovico, bano Dalmaciae et Croatiae item bano Bossine de comite Chelmi

Voyslavo de Voyna, qui 6 augusti suo exercitu depraedatus est territorium Omblae, Razati et Zoncheti; et minatur, occupaturum se „puntam Stagni", quam dicit esse sedem „comitum Chelmi"; istud se in „mandatis a rege Raxie" habere.

I. Gelcich: Diplomatarium relationum reipublicae ragusinae cum regno Hungariae, p. 10—12.

CLXXXII. 1360, mense Februario, Ragusii.

Scribitur regi Ludovico, quod Ragusini comiti Voyslavo de Voyno, „non valentes eius tyranicae potentiae resistere", dederint 4000 yperperorum, ut ragusinum comitatum non devastet; sed ipse iterum minatur „velle auferre totum comitatum extra muros" Ragusii.

Gelcich: Diplomatarium p. 16.

CLXXXIII. 1360, 23 Aprilis, Avenione.

Innocentius PP. VI. Petro episcopo Bosnensi, ut, exigente necessitate, possit ad inquisitionis officium brachii saecularis auxilium invocare.

Ut inquisitionis . . Dat. Avinione VIII. kalendas Maii . . an. VIII.

Reg. an. VIII. tom. 24, fol. 255. *Theiner:* Monum. Slavor. meridional. tom. I, p. 240.

CLXXXIV. 1360, (circa) 17 Julii, Budae.

Gallus archidiaconus de Bexin Stephano episcopo Zagrabiensi scribit: inter Tvrtkum banum Bosnae et Ludovicum regem Hungariae pacem initam his conditionibus: „quod . . . banus totam terram Holmi cum omnibus castris in eadem existentibus pro iuribus domine regine iunioris eidem resignavit. E converso . . . dominus rex banatum Boznensem et Wzure eidem bano et fratri suo confirmavit. Ita videlicet quod idem banus omnes paterenos et hereticos de terra eiicere teneatur . . ."

Datum Bude in festo s. Alexii confessoris.

I. Kukuljević: Arkiv knj. II. Razděl I, p. 35.

CLXXXV. 1365, 18 Julii, Ragusii.

Rector Nicolaus Saracha Leoni de Dersa, nuncio ad banum Dalmatiae et Croatiae, demandat, ut ipsi exponat damna Ragusio per comitem Voislauum illata, item petat auxilium pro conservando Stagno.

Gelcich: Diplomatarium p. 25.

CLXXXVI. 1361, 19 Septembris, Ragusii.

Rector Andreas de Lucari committit Nicolao de Saraca, nuncio ad zupanum Sencho, ut huic agat gratias de ipsius erga Ragusium favore; item tentet pacem cum Voyslavo comite, expetatque contra eundem ipsius auxilium.

Gelcich: Diplomatarium p. 34.

CLXXXVII. 1364, 7 Septembris, Venetiis.

Laurentius Celsi dux Venetiarum edito scripto enunciat Tvrtkum „totius Bossine" banum comitem „Wolf" eius fratrem et Helenam eorum genitricem „in cives" reipublicae Venetiarum receptos esse.

Universis et singulis . . Datum in . . ducali palatio anno Dominicae incarnationis MCCCLXIV die septimo . . Septembris . .

Wenzel Gusztáv: Monum Hungariae historica (Acta extera) tom. II, p. 616. *Ljubić:* Listine IV, 74.

CLXXXVIII. 1366, 4 Februarii, Ragusii.

Rector Nifficus de Gallocono Pripce Ucolzich, nuncio ad banum Tvertchum, suum fratrem Volchichum et ipsorum matrem comitissam; iniungit, ut coram ipsis conqueratur de iniuriis factis in Bosna mercatoribus ragusinis. Super isto negotio loquatur etiam „cum Sencho et cum Dabissich et omnibus aliis baronibus". Informet se a fratre Francisco de Florencia.

Gelcich: Diplomatarium p. 44–5.

CLXXXIX. 1366, 29 Martii, in Bosna.

Tvrtko „Dei et domini . . . Ludovici regis gratia banus Bosnae" promittit se Venetorum iura conservaturum et falsam monetam cudentes opportune puniturum esse.

Scripta in Bosna dominica Ramis Palmarum an. MCCCLXVI

S. Ljubić: Listine knj. IV, p. 84. *Wenzel Gusztáv:* Monum. Hungar. histor. (Acta extera) tom. II, p. 646.

CXC. 1366, 11 Augusti, sub Prozor in Rama.

Banus Tvrtko vojvodae Vukac Hrvatinić, ob eius servitia in bello contra regem Ludovicum, donat castrum Sokol in Pleva.

Вь име ѡтца и сина и светога духа, аминь. Азь рабь божи и светога Грьгура а зовомь господинь бань Тврьтко, синь господина кнеза Владислава а синовьць великога и славнога господина бана Стѣпана, милостию божиѡмь господинь многимь земламь, Боснѣ и Соли и Ѕсорѣ и дольнимь краемь и Подринию и Хльмьски господинь, створихь милость свою господьску своему вѣрьнꙋ слꙋзѣ ѕ име воеводѣ Влькцѕ Хрьватиниħѕ за негову вѣрьнꙋ слꙋжбу ѕ ѡно врѣме, кьда се подвиже на ме ѕгрьски краль ѕ име Лꙋдовикь, и приходи ѕ Плѣвѕ подь Соколь, и ѡньдази ми воевода Влькьць вѣрьно послꙋжи; и за неговꙋ вѣрьнꙋ слꙋжбꙋ дахь мѕ градь ѕ Плѣвѣ у име Соколь сь вьсомь Плѣвомь ѡть мее до мее, ѡть Ѕскопла до Крьтовѕ Елѕ, а ѡть Дламоча по Витораю, а ѡть Лꙋжць до Рьчеве, а ѡть Лꙋке по зламене. Този дасмо градь Соколь сь вьсомь Плѣвомь воеводѣ Влькцу за племенито, нему и неговꙋ послѣднемꙋ ѕ вѣке аминь, безь вьсакога господьскога дохотка. А томѕ свѣдоци добри Бошнане: кнезь Влаи Добровоевиħь и сь братиѡмь, казнць Сьнко и сь братиѡмь, жѕпань Црьнꙋгъ и сь братиѡмь, жѕпань Бранко Прибиниħь и сь братиѡмь. тепьчиѣ Вльчихна и сь братиѡмь. А ѡть Ѕсоре свѣдоци: воевода Тврьтко и сь братиѡмь, казньць Стѣпое Чельничиħь и с братиѡмь, тепчиѣ Сладое Дивошевиħь и сь братиѡмь. А ѡть Лꙋжьць свѣдоци: жупань Стѣпко Вльковиħь и сь братиѡмь, жѕпань Мильтѣнь Хрьватиниħь и сь братиѡмь. А томѕ приставь кнезь Богдань Бѣльханиħь ѡть двора, а ѡть владаниѣ приставь Драгошь Шаньтиħь. А тко ѣе сие порећи или прѣтворити ѡть нась или ѡть нашихь по-

слѣднихь сѫродниковь или иноплеменьникь, да е проклеть ѡтьцемь и синомь и светѣмь дѫхомь и материю божиѡмь и д.ми еванѣелисти и вı.ма апостолома и о.ми и ѕ.ми изьбраними божими и вьсѣми бѫгѫ ѕгодивьшими ѕ си вѣкь и ѕ придѫщи, аминь; и да е причестникь Июдѣ Скариѡтскомѕ, кои прѣда сина божиѣ на распетие за л̃ сребрьнѣхь пѣнезн, и кои издиха ѕпиѣше: пропни, пропни, крьвь на нем̃ь и на чедѣхь его. А се писа Дражеславь диѣкь... по роениѣ божиѣ лѣть .ѵ. т. ѯ. ѕ. лѣто, и нашемѕ господствѣ гı̃. лѣто, мѣсеца авьгѫста по книзѣ .кı̃. дьнь. Под Прозоромь ѕ Рамѣ.

Autographum chart. in bibliotheca academiae scientiarum Zagrabiae. Starine XXI, 82.

CXCI. 1366.

Fr. Marcus a Viterbio, minister generalis ordinis minorum, ministro provinciali provinciae seraphicae scribit de felici progressu fratrum vicariae Bosnensis in Bulgaris ad fidem catholicam convertendis, zelo Ludovici regis, operariorum paucitate et Bulgarorum pia docilitate; hortaturque eum, ut cum fratribus festo „Portiunculae“ Assisii congregandis haec communicet, et ut in eas partes irent, provocet.

Apud *Wadding*: Annal. minor. tom. VIII, p. 196. *Urban. Fridrich*: in historia provinc. ss. Salvatoris p. 3.

CXCII. 1367, 1 Junii, Ragusii.

Tvrtko, Bosnae banus, una cum suis baronibus: comite Vlaj Dobrovoević, tepčija Sladoe et comite Vlkota Pribinić, confirmat privilegia Ragusinis concessa a bano Stephano, patruo suo. Scripsit diaconus Draževslav de genere Boić.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monum. serbica p. 176.

CXCIII. 1367, 21 Julii, Montefiascone.

Urbanus PP. V. Petrum, episcopum bosnensem, hortatur, ut fratres minores omni charitate foveat et eisdem in convertendis haereticis efficaciter assistat.

Cum sicut laetanter . . . Dat. apud Montemflasconum xıı kal. Augusti ann. vı.

Wadding: Annal. minor. tom. VIII, p. 207. *Farlati*: Illyr. sacr. tom. IV, p. 62.

CXCIV. 1368, 13 Julii, Montefiascone.

Urbanus PP. V., per fratres Joannem de Rheno et Andream a Perusio, ex partibus vicariae Bosnae venientes, de incremento fidei catholicae in iis oris informatus, laudat devotum Ludovici regis studium eumque hortatur, ut „archiepiscopo Colocensi et episcopo Cenadiensi“, quibus commissum est neoconversos sacris curionibus providere, assistat, et conversioni fidelium, in qua fratres minores laborant, ultro cooperetur.

Replevit ingenti gaudio . . . Dat. apud Montemflasconem ıı idus Julii an. vı.

Wadding: Annal. minor. tom. VIII, p. 206. *Odoric. Raynaldi*: Annal. eccles. tom. VIII, p. 169. *Farlati*: Illyr. sacr. tom. IV, p. 62. *Theiner*: Monum. Hung. tom II, p. 87.

*

CXCV. 1368, 13 Decembris, Romae.

Urbanus PP. V. fratri Bartholomeo ab Alvernia vicario Bosnensi concedit facultatem exterros missionarios inutiles ad suas provincias remittendi, et fratres ex natione Bosnensi ad munus missionis obeundum destinandi etc.

Dilecto filio .. vicario vicarie Bosne ordinis fratrum minorum salutem. Fide digna relacio ad nostrum perduxit auditum, quod nonnulli fratres ordinis fratrum minorum, de diversis provinciis, ad vicariam Bosne dicti ordinis ad predicandum catholicam fidem contra hereticos et scismaticos constitutos infra dicte vicarie terminos declinantes, et laudabiliter a primordiis vicariatus processu temporis in bonis inchoatum honestarunt operibus, agentes que (nunc) insolencius sepe vita destruunt, quod verbo de bonis moribus predicarunt. Cum itaque, si veritas suffragetur relacioni, tales non sint in illis partibus sustinendi, discrecioni tue de consilio aliquorum discretorum fratrum tue vicarie fratres ipsos, quos reputaveris minus laudabiliter vivere aut alias fore inutiles in vicaria prefata, ad suas provincias remittendi, fratres ex nacione Bosnensi, si tales putaveris cum dicto consilio ad provincias, de quibus expedire videbitur, destinandi ac mandandi auctoritate nostra universis ministris earumdem provinciarum, ut fratres ipsos remissos et destinatos recipiant et in eisdem provinciis collocent, plenam concedimus tenore presencium facultatem.

Datum Romae apud sanctum Petrum, idibus Decembris pontificatus nostri anno octavo.

Tabular. secret. vatican. *Urbani:* V. Regest. Avinionen. ann. VIII. tom. XXII. Part. I, fol. 39.

CXCVI. 1369, 13 Novembris, Romae.

Urbanus PP. V. Spalatensi et Ragusino archiepiscopis eorumque suffraganeis facit potestatem receptores hereticorum Bosnensium declarandi excommunicatos et subditis suis omne commercium cum iisdem haereticis prohibendi.

Ad orthodoxe .. Dat. Rome .. Idus Novembris .. an. VIII.

Reg. an. VIII. Secret. fol. 3. Theiner: Monum. Slavor. meridional. tom. I, p. 265.

CXCVII. 1369, 13 Decembris, Romae.

Urbanus PP. V. permittit fratribus vicariae Bosnensis, ut „extra vicariam Bosne tam in Ungarie quam Dalmatie et Chroatie partibus quascunque eleemosinas petere et recipere licite valeant".

Excolentes vineam .. Dat. Rome apud s. Petrum idibus Decembris an. VIII.

Ex reg. orig. an. VIII, com. fol. 16. *Wadding:* Annal. minor. VIII, p. 213. *Theiner:* Monum. Hung. tom. II, p. 92.

CXCVIII. 1369, 14 Decembris, Romae.

Urbanus PP. V. Stephano, bano Bosnae iuniori, ad patientiam et constantiam in fide catholica hortatur; et si ad urbem venerit, libenter eum videbit, „eidemque de palafredo, quem per Jacobum Gaberutii civem Racanatensem" miserat, gratias agit.

Littere quas nuper ... Dat. Rome apud s. Petrum XIX kal. Januarii an. VIII.

Ex reg. orig. an. VIII, com. fol. 9. *Theiner:* Monum. Hung. tom. II, p. 91.

CXCIX. 1369, 14 Decembris, Romae.

Urbanus PP. V. Ludovico regi Hungariae, ut Stephanum, banum Bosnae iuniorem, quem frater, senior banus, persequitur, protegat, in obtinenda haereditate iuvet, et quamdiu catholicus fuerit, impense sibi commendatum habeat.

Significavit nobis . . . Datum Rome apud s. Petrum XXI kal. Januarii an. VIII.

Ex reg. orig. an. VIII, com. fol. 8. *Theiner:* Monum. Hung. tom. II, p. 91 *Farlati D.:* Illyric. sacr. tom. IV, p. 61.

CC. 1370, 8 Aprilis, Romae.

Urbanus PP. V. „Twarcho, bano Bosne" inhibet, ne „puellam natam . . . nobilis viri Georgii, quondam Pauli ducis Dalmatie et Chroatie" . . . filio . . . regis Rascie scismatico, vel alicui heretico etc. tradat . . . nec fideli absque parentum expressa voluntate, sed eam ipsis parentibus vel regi Hungariae restituat.

Ad nostram pervenit . . . Dat. Rome apud s. Petrum VI idus Aprilis an. VIII.

Ex reg. orig. an. VIII, de curia fol. 70.

In eundem modum scribit Ludovico, regi Hungarie et Elisabeth reginae, sorori dicti bani Bosnensis.

Theiner: Monum. Hung. tom. II, p. 97.

CCI. 1371, mense Aprili, Ragusii.

Rector Andreas de Benessa nunciis in Hungaria Dobre de Calich et Johanni de Grede committit, ut coram rege conquerantur de periculis Ragusio imminentibus, a quo „Nicola zuppan de Altoman" occupavit terras Ragusio vicinas, qui requirit etiam ab ipso tributum 2000 hipperperorum, quod dabat regibus Rasciae. Unde ipse „zuppan" ob denegatum sibi tributum irruit in territorium ragusinum. Unde petitur a rege tutamen.

Aequali modo instruuntur circa suam missionem ad banum mačvensem Nicolaum de Gara.

Gelcich: Diplomatarium p. 48—56.

CCII. 1371, 7 Maii, Ragusii.

Nicolaus Gara certus redditur, quod Nicolaus iupanus Altoman, a quo per nuncium Michaelem Rosdi mandatum ab ipso percepit, magis saevierit in captivos ragusinos, a quibus ultra 4000 florenorum extorsit; neque ab illo tempore, quo suum vojvodam Radin Dubravcich miserat contra „comitatum" ragusinum, cesset illum suo exercitu vastare. Quaerunt auxilium.

Gelcich: Diplomatarium p. 58.

CCIII. 1371, 10 Junii, Ragusii.

Nicolaus de Georgi Cabogae, rector, Paolo Georgii nuncio exmisso ad Andream Pastrovich et Radiz kefaliam, homines Georgii Balsae, notum facit, quod ab Andrea Pastrovich acceperit epistolam, in qua significat,

quod Jura (Balšić) cum rege Volchassin et eius filio Marco sint sub Scutari, profecturi cum suo exercitu contra Nicolaum Altoman in Onogost; offertque ipsis raguseum exercitum in subsidium.

Gelcich: Diplomatarium p. 60.

CCIV. 1371, 18 Octobris, Avenione.

Gregorius PP. XI. Petro episcopo Bosnensi permittit, ut duabus personis idoneis „duas dignitates vel duos personatus seu duo officia sine cura . . . aliis quam canonicis ecclesie . . . Bosnensis" conferre valeat.

Personam tuam . . . Dat. Avinione xv kal. Novembris . . . an. I.

Reg. an. I, cod. chartac. tom. 2, fol. 215. *Theiner*: Monum. Slavor. meridional. tom. I, p. 272.

CCV. 1371, 18 Octobris, Avenione.

Gregorius PP. XI. Petro episcopo Bosnensi indulget, ut, hac vice solum, tribus idoneis praebendam et canonicatum in sua ecclesia conferre possit.

Personam tuam . . Dat. Avinione xv. kal. Novembris . . an. I.

Reg. an. I, cod. chartac. tom. I, fol. 600. *Theiner*: Monum. Slavor. meridional. tom. I, p. 270.

CCVI. 1372, 1 Junii, Avenione.

Gregorius PP. XI. ad conversionem infidelium et schismaticorum in primis „Wlachorum . . . quorum nonnulli in pascuis et tentoriis habitant", promovendam, potestatem facit fratribus minoribus vicariae Bosnae recipiendi sex loca et aedificandi monasteria „in metis Ungarie circa Sebest et maiorem Wlachiam ac circa metas Bosne in Alsan et Corbavia."

Inter ceteros ordines... Dat. Avinione kal. Junii an. III.

Ex reg. orig. an. III secr. de curia fol. 62. *Wadding*: Annal. minor. tom. VIII, p. 548. *Farlati*: Illyr sacr. tom. IV, p. 63 (ad an. 1373). *Theiner*: Monum. Hung. tom. II, p. 140.

CCVII. 1372, 16 Junii, Avenione.

Gregorius PP. XI. fratribus minoribus vicariae Bosnae permittit, ut accipiant „in territorio fori Roinich (Rudnik), spectante ad nobilem virum Nicholaum de Altamanich, sub dominio regis Rascie duo loca, et in contrata de Glas sub dominio . . regis Hungarie unum, et alia novem loca in . . . Bosne ac Rascie et Basarat civitatibus et partibus quibuscunque . ." et ibidem monasteria extruere possint.

Decet prudentiam. Dat. Avinione xvi. kal. Julii an. II.

Ex reg. orig. an. II, secr. fol. 35. *Wadding*: Annal. minor. tom. VIII, p. 262. *Theiner*: Monum. Hung. tom. I, p. 116.

CCVIII. 1372, 22 Junii, Avenione.

Gregorius PP. XI., fratre Berengario de Aragonia, vicarii bosnensis ad sanctam sedem nuncio, preces Ludovici regis Hungariae et vicarii Bosnae exponente, sub excommunicationis comminatione praecipit provincialibus ministris, custodibus et guardianis, ut „cupientibus ad . . . partes

Bosne ... ad predicandum ... fidem ... hereticis et scismaticis pergere .. si discretione, vita, moribus et literatura ydoneos esse" crediderint, „omni impedimento remoto ... liberam licentiam„ tribuant, quod et de fratribus laicis intelligendum. Pari modo et ministro provinciali provinciae seraphicae, et illo absente, custodi Assisiensi datur facultas fratres in Bosnam mittendi; mandatur insuper, ne vicarius Bosnae vel eius nuncius fr. Berengarius „ultra numerum sexaginta fratrum ... inter literatos et laycos ... recipere" audeat.

Salvatoris domini nostri. Dat. Avinione x. kal. Julii an. II.

Ex reg. orig. an. II, secr. de curia fol. 36. *Wadding:* Annal. minor. tom. VIII, p. 263. *Theiner:* Monum. Hung. tom. II, p. 117.

CCIX. 1372, 11 Septembris, Villae Novae.

Gregorius PP. XI. archiepiscopo Colocensi, ut concedat Nicolao de Gara militi facultatem aedificandi monasterium fratribus minoribus „iuxta ecclesiam beati Petri apostoli, per ipsum .. olim canonice ad opus eorumdem fratrum edificatam et fundatam, infra villam suam de Chewregh (Colocen.) dioecesis, que ... villa, ut asseritur, in confinibus scismaticorum Rassie sita existit, et multis Christi fidelibus est populata ....." modo si ibidem duodecim fratres congrue et absque praeiudicio ecclesiae parochialis sustentari possint.

Piis devotorum ... Dat. apud Villam novam Avinionen. diocesis III idus Septembris an. II.

Reg. an. II. cod. chartac. tom. 13, fol. 400. *Theiner:* Monum. Slavor. merid. tom. I, p. 278.

CCX. 1373, 3 Februarii, Avenione.

Gregorius PP. XI. fratribus minoribus Bosnae permittit, ut ob defectum aliorum presbyterorum „in metis Bosnae versus Hungariam sicut in loco vocato Glaz et aliis locis" possint omnia sacramenta ecclesiastica neoconversis administrare.

Animarum salutem .., Dat. Avinion. 3 non. Februar. an. III.

Wadding: Annal. minor. tom. VIII, p. 541. *Farlati D.*: Illyric. sacr. tom. IV. p. 63. *Katona*: Histor. critic. regni Hungariae tom. X. p. 551.

CCXI. 1373, 15 Maii, Ragusii.

Ragusini nunciant regi Ludovico, quod Veneti his diebus proxime elapsis miserint galeas suas cum uno ambaxiatore ad Georgium de Balsa ad tractandum cum ipso et zupano Nicola Altamano ad destructionem terrae Ragusii"; unde petunt, quo impediantur.

Gelcich: Diplomatarium p. 65.

CCXII. 1373, 5 Novembris, Avenione.

Gregorius PP. XI, supplicante fr. Bartholomaeo de Alverna vicario Bosnensi, iubet episcopum Corisopitensem et alios viros doctos proposita quaedam a dicto Bartholomaeo dubia examinare, declarare et ad „Corsice, Russie (Rassiae) et ultramarinas partes" extendere.

Dudum nos .. Dat. Avinione nonis Novembris an. III.

Ex reg. orig. an. III, secr. de curia fol. 80. *Theiner*: Monum. Hung. tom. II, p. 141.

CCXIII. 1373, Avenione.

Viginti trium dubiorum fr. Bartholomaei ab Alverna vicarii bosnensis, auctoritate Gregorii PP. XI. declaratio, qua nonnulla circa sacramentum baptismi, crismatis, poenitentiae et imprimis matrimonii, nec non et alia ad disciplinam ecclesiasticam in regno Bosnae spectantia, exponuntur.

Datum et actum Avinione . . anno dom. MCCCLXXIII.

Dr. *F. Rački*: In »Additamentis" ad II vol. Monum. Slavor. meridional. p. 327.

CCXIV. 1374, 12 Julii, Orgoni.

Gregorius PP. XI. concedit, „ut fratres in Bosne, Bulgarie et Wlachie aliisque vicinis eis partibus viventes . . . possint libros fratrum morientium in dictis partibus retinere . ."

Cum sicut audivimus . · Dat. apud Orgonum Avinionen. dioces IV idus Julii an. IV.

Ex reg. orig. an. IV, com. fol. 97. *Theiner*: Monum. Hung. tom. II, p. 147.

CCXV. 1374, 15 Julii, Novis.

Gregorius PP. XI. fratribus minoribus Bosnae permittit, ut „pro conversione nonnullorum hereticorum et scismaticorum et pro conversorum ab erroribus et scismaticis conservacione in fide catholica, in contratis Tininnj et Vilkriko (Urhrika) ac Verbas et Saue aliquas ecclesias et loca fundare et construere" possint.

Inter ceteros ordines . . . . Dat. Novis Avinionen. dioces. VIII. kal. Augusti an. IV.

Reg. orig. an. IV, libr. 285, fol. 50. *Wadding*: Annal. minor. tom. VIII, p. 563. *Farlati*: Illyric. secr. tom. IV, p. 63.

CCXVI. 1374, 9 Augusti, Novis.

Gregorius PP. XI. largitur indulgentiam omnibus Christi fidelibus, qui ecclesiae „s. Michaelis de Bresna" Bosnen. dioeces. adiutrices porrexerint manus.

Ex reg. orig. an. IV, com. fol. 117. *Theiner*: Monum. Hung. tom. II, p. 147.

CCXVII. 1374, 31 Octobris.

Gregorius PP. IX. donationem a Tvrtko, bano bosnensi, ecclesiae cathedrali sanctorum Petri et Pauli bosnensi factam, confirmat.

Ad perpetuam rei memoriam. Hiis, que pro ecclesiarum et ecclesiasticarum personarum utilitatibus provide acta sunt ut illibata consistant, libenter adicimus apostolici muniminis firmitatem. Sane peticio pro parte venerabilis fratris nostri Petri episcopi Boznen(sis) nobis nuper exhibita continebat, quod olim dilectus filius nobilis vir Tuertko banus Boznen(sis), attendens quod prefatus episcopus multifaria fidelissima servicia in eiusdem bani negociis exhibuerat, una cum dilecto filio nobili viro Stephano eius fratre iuniore bano Boznen., nec non dilecta in christo filia nobili muliere Helena ipsorum banorum genitrice ac nobilibus terre ipsorum unanimi et pari uoluntate prefato episcopo, tam pro premissis suis fidelibus serviciis et ipsorum seruiciorum digne meritis, quam eciam pro remedio et salute suarum ac parentum et predecessorum suorum animarum,

quandam possessionem dicti Tuertkonis Jelsauicha (Jelsauica) vocatam cum pertinenciis possessionibus prefate ecclesie Boznen. Dubnicha appellate adiacente Boznen. dioc(esi) cum omnibus suis utilitatibus, uidelicet (terris) arabilibus, silvis, pratis, aquis et nemoribus ac quibuslibet pertinenciis eiusdem, prefato Petro episcopo suisque successoribus et per eos ecclesie Boznen. prelibate donauit et contulit, perpetuo et irreuocabiliter per eos possidendam, tenendam pariter et habendam, prout in litteris antecitatis, inde confratris dicti Tuertkonis banni sigillo munitis, quarum tenorem de uerbo ad uerbum presentibus inferi fecimus, plenius continetur. Quare pro parte dicti episcopi nobis fuit humiliter supplicatum, ut premissis robur confirmacionis adicere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque premissis supplicacionibus inclinati huiusmodi donacionem et collacionem per dictum Tuertkonem banum, ut premittitur, factas, ratas habentes atque gratas ea ex certa sciencia auctoritate apostolica tenore presencium confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Tenor autem dictarum literarum talis est: Tuertko dei gracia banus Boznen. omnibus christifidelibus presentibus pariter et futuris presentem paginam intuentibus salutem in omnium saluatore. Quum obliuio nouerca est memorie, prouida et circumspecta mens hominum adinuenit res gestas literarum patrocinio perfulcire, proinde ad universorum noticiam harum serie uolumus peruenire: Quod, quia venerabilis in Christo pater et dominus, dominus Petrus, sancta Dei et apostolice sedis gracia episcopus ecclesie Boznen. in nonnullis arduis negociis et expedicionibus nostris, tam apud dominum regem Hungarie specialiter, quam eciam aliis ubilibet in locis debitis et temporibus opportunis sua fidelissima et multifaria seruicia studuit exhibere indefesse, ideo nos una cum Stephano fratre iuniore bano, nec non serenissima domina, domina Helena genitrice, nostris carissimis, ac nobilibus terre nostre unanimi et pari uoluntate sanoque et maturo consilio ac salubri deliberacione inter nos prehabitis, prefato domino episcopo tam pro suis fidelibus seruiciis et seruiciorum digne meritis, quam eciam pro remedio et salute nostrarum ac parentum et predecessorum nostrorum animarum, atque ad laudem et honorem beatissimorum Petri et Pauli apostolorum, in quorum honorem dicta ecclesia Boznen. fundata existit, maxime autem et specialiter, quia solempnitates nostrarum nuptiarum in possessione dicte ecclesie, que uulgariter Zenthilie nuncupatur, ymo vero apud eandem sedem solempniter celebrate extiterunt . . . et retribucionis brauium facere cupientes quandam possessionem, Jelsauicha vocatam, in pertinenciis possessionis prefate ecclesie Boznen. Dubnicha appellate adiacentem cum omnibus suis utilitatibus, uidelicet terris arabilibus, siluis, pratis, aquis et nemoribus ac quibuslibet pertinenciis eiusdem universis prenominato dicto Petro, episcopo suisque successoribus, nec non per eosdem ecclesie Boznen. prelibate dedimus, donauimus et contulimus perpetuo et irrevocabiliter possidendam, tenendam et habendam, vigore presencium literarum nostrarum mediante, nullum ius, nullamue proprietatem amodo et deinceps nobis et cuipiam alteri in eadem reseruantes. In cuius rei memoriam premisseque nostre donacionis firmitatem perpetuam presentes concessimus litteras nostras privilegiales pendentes et autencia sigilli nostri munimine roboratas.

Datum in uilla seu loco Elye in festo conceptionis beate Marie uirginis, anno domini millesimo trecentesimo septuagesimo quarto. Nulli ergo etc. nostre confirmacionis infringere etc. Datum Avinion. II. kal. Nouembris anno quinto.

Tabular. vatican. secret. Gregorii XI. Reg. an. V. libr. 286. fol. 186.

CCXVIII. 1375, 9 Februarii, sub Bobovac.

Tvrtko, Bosnae banus, Ragusinos liberat a solvendis portoriis in Bosna. Scripsit diaconus Brajan.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monum. serbic. p. 184.

CCXIX. 1375, 26 Februarii, Avenione.

Gregorius PP. XI. permittit, ut fratres minores bosnenses possint recipere conventum s. Francisci a Nicolao Gara, comite palatino Hungariae in loco Cheneng (Cheregh, Čerević) diocesis Colocensis ipsis extructum.

Sacre vestre religionis.. Dat. Avinione XIII kal. Marcii an. VI.

Reg. Gregor. XI. tom. 287, fol. 6. *Wadding*: Annal. minor. tom. VIII, p. 581.

CCXX. 1375, 31 Octobris, Avenione.

Gregorius PP. XI. Petro episcopo bosnensi petente, possessiones „Dyacou“ et „Bleznam“ in comitatu de „Vulko“ sitas, et per Belam regem Hungariae ecclesiae bosnensi olim donatas, confirmat, inserto donationis instrumento, in quo fines possessionum describuntur.

Romani pontificis... Dat. Avinione II kal. Novembris.. an. V.

Reg. an. V, cod. chartac. tom. 23 fol. 483. *Theiner*: Monum. Slavor. meridional. tom. I, p. 296. V. nr. LXIX.

CCXXI. 1376, 16 Januarii, Avenione.

Gregorius PP. XI. indulgentias concedit universis Christi fidelibus, visitantibus ecclesiam, „quam Valentinus episcopus quinqueecclesiensis in terra sua hereditaria inter scismaticos et infideles, in loco de Alsam (Alsan), quinqueecclesien. dioecesis situata... in honorem et sub vocabulo s. Francisci confessoris edificari et construi facere inceperit opere sumptuoso...“

Licet is de cuius munere... Dat. Avinione XVII. kal. Februarii an. VI.

Reg. orig. an. VI, com. fol. 28. Reg. orig. an. VI, bullar. divers. tom. 3, fol. 543. *Theiner*: Monum. Hung. tom. II, p. 157. Mooum. Slavor. meridional. tom. I, p. 301.

CCXXII. 1376, 23 Januarii, Avenione.

Gregorius PP. XI. Dominicum archiepiscopum Jadrensem transfert ad ecclesiam Bosnensem.

Romani pontifici.. Dat. Avinione X kal. Februarii.. an. VI.

Reg. an. VI, bull. divers. tom. 3, fol. 60. *Theiner*: Monum. Slavor. meridional. tom. I, p. 304.

CCXXIII. 1376, 27 Januarii, Avenione.

Gregorius PP. XI. committit episcopis zagrabien. et varadien. ut a Petro, a sede bosnensi ad jaurinensem translato, iuramentum fidelitatis recipiant.

Cum nuper.. Dat. Avinione VI. kal. Februarii an. VI.

Ex reg. orig. an. VI, com. fol. 3. *Theiner*: Monum. Hung. tom. II, p. 158.

CCXXIV. 1370—1376, 7 Februarii, Bobovac.

Tvrtko, Bosnae banus, Ragusinos orat, ut tributum quingentorum hyperperorum, quod sibi ratione Ston competit, tradant duobus mercatoribus.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monum. serbica, p. 185.

CCXXV. 1376, 13 Februarii, Avenione.

Gregorius PP. XI. iniungit archiepiscopo Strigoniensi et episcopo „Cenadiensi", ut a Dominico, olim jadrensi archiepiscopo, nunc ad bosnensem translato, fidelitatis iuramentum recipiant.

Cum nuper... Dat. Avinione idibus Februarii, an. VI.

Ex reg. orig. an. VI, com. fol. 4 *Theiner*: Monum. Hung. tom. II, p. 158.

CCXXVI. 1376, 16 Februarii, Avenione.

Gregorius PP. XI. Joanni de „Horuati" (Horvat) bano de „Machov", quinqueecclesien. dioecesis, dat facultatem extruendi monasterium „in dicta diocesi in loco ad hoc magis apto et condecenti et in feudo proprio ad honorem et laudem Dei ac beati Francisci . . . pro usu et habitatione fratrum.. qui ibidem divino cultui vacare et scismaticis ac patarenis... predicare verbum Dei valeant... fratribus vero huiusmodi locum recipiendi licentiam elargitur.

Sacre vestre religionis . . . Dat. Avinione XIIII kal. Marcii an. VI.

Archiv. Vatic. Gregor XI. Regest. tom. 287, fol. 44. *Wadding*: Annal. Minor. tom. VIII, p. 581. *Theiner*: Monum. Slavor. merid. tom. I, p. 308. *Koller*: Episcopat. quinqueecclesiensis, tom. III, p. 187.

CCXXVII. 1300—1376, 30 Maii, Konavlje.

Georgius dominus in Konavlje promittit Ragusinis quoad homines bani bosnensis securitatem in suo territorio.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monum. serbica, p. 185.

CCXXVIII. 1378, 10 Aprilis, Trstivnica.

Stephanus Tvrtko, rex Bosnae, una cum matre Helena et coniuge Dorothea, praesentibus regni magnatibus, confirmat in Žrnovnica ante urbem Ragusium omnia privilegia concessa Ragusio a progenitoribus suis Bosnae et Serbiae regibus; Ragusium vero regi vovet tributum 2000 hyperperorum, quod pridem dabat regibus Serbiae, quousque dominatus fuerit partibus maritimis, Travuniae, Konavlje et Dračevica. Praesentes primores: župan Branko Pribinić, comes palatinus Vlkosav Stefković, Dobrašin Stefanović, vojevoda Vlatko Vlković, comes (knez) Vlkašin

Milatović, comes Priboje Mostnović, župan Bielijak Seković, stavilac Tvrtko Blagjević.

Advenientibus postmodum ragusinis legatis in regiam aulam in Trstivnica iterum una cum Helena et Dorothea iuramento confirmat in ecclesia s. Gregorii. Primores: vojevoda Vlkac Hrvatinić, comes Vlkota Pribinić, comes Hegen (Eugen) Dragoslalić, Vlatko Vojevodić, župan Vlkac Črnugović, Radoslav Pribinić, Vlkmir Semković, Hranja Vlković, Purćja Hrvatinić, Bjelica Ižesalić, župan Dinica. Scripsit logothet Vlade.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monum. serbica, p. 186.

CCXXIX. 1378, 26 Junii, Zagrabiae.

Ludovicus I rex cambium inter heremitas et plebanum novo-villanum zagrabiensem confirmat. VP. fr. Dominico boznensi...

Tkalčić: Monum. histor. civ. zagrab. I, 272.

CCXXX. 1379, 26 Januarii, Ragusii.

Rector Jacobus de Menze in commissione data nuncio Nicolao de Gondola conqueritur de civibus Cattari, quod regem Bosnae, qui semper fuit bonus amicus Ragusinis, et anno praeterito (1378) suo exercitu illos defendebat contra Venetos, contra ipsos excitare tentaverint.

Gelcich: Diplomatarium, p. 84.

CCXXXI. 1382, 25 Julii, Venetiis.

Respondeatur „ambaxiatoribus d. regis Raxie" (i. e. Bosnae, Tvrtko), quod illi „duo brigentini", quos rex pro se petiit, sint Venetis necessarii „pro factis Tenedi" insulae.

Ljubić: Listine IV, 188.

CCXXXII. 1382, 2 Decembris, Bišće in Podgrada.

Stephanus Tvrtko, Bosnae rex ad petitionem Ragusii abolet salinas in župa Dračevica in parte maritima. Testes: comes palatinus Mirko Radojević, vojevoda Vlatko Vlković, comes Paval Jablanić.

Miklošić: Monum. serbica, p. 202.

CCXXXIII. 1382.

Maria, regina Hungariae, ad preces Ragusii, vetat, ne quis ex Croatia et Dalmatia vinum vel sal in castrum Novi, prope Dračevicam, a rege Tvrtko aedificatum, importare audeat, cum hoc esset contra privilegia Ragusii.

Kukuljević: »Izvadci listina bosanskih« Arkiv II. Razd. I, p. 13. *Katona*: Histor. critic. Hung. tom. XI, p. 35.

CCXXXIV. 1383, 1 Januarii, Romae.

Urbanus PP. VI. Cosmato Gentili, praeposito ecclesiae valvensis, ut exigat „duodecim millia florenorum" quae Dominicus episcopus bosnensis

in suo ultimo testamento legavit . . . camere apostolice . . . et dum viveret Ludovico regi Ungarie mutuaverat . . .

Intelleximus . . . Dat. Rome . . . kal. Januarii . . an. v.

Reg. an. V. secret. tom. I, fol. 292. *Theiner:* Monum. Slavor. meridional. tom. I, p. 337.

CCXXXV. 1383, 8 et 27 Martii, Venetiis.

Ad petitionem regis Bosnae per nuncium permittitur civi veneto nobili viro Nicolao Baseio, ut munus admiratus, ipsi per regem oblatum, suscipiat[1]; item conceditur ipsi una galea cum corredis.

Ljubić: Listine IV, 194—5.

CCXXXVI. 1383, 30 Julii, Venetiis.

Respublica veneta „Stephanum (Tvrtko) regem (Bossine) cum suis filiis et haeredibus in Venetos . . . cives . . .“ recipit.

Anthonius Venerio etc. Datum in nostro ducali palatio anno domini incarnationis MCCCLXXXIII. die penultimo Julii.

Wenzel Gusstav: Monum. Hungariae historica (Acta extera) tom. III, p. 521.

CCXXXVII. 1385, 28 Martii, Sutiscae.

„Stephanus Tuertcho . . . rex Rassie, Bosne etc.“ promittit „quod . . . domino Nicolao Garra regni Hungarie palatino . . . amico et compatri (suo) . . . praedilectisque sororibus (suis) Elizabeth et Marie Hungarie et Heduidis Polonie reginis“ fidelitatem sit servaturus illibatam.

Dat. in aula . . . regali Sutischa anno domini MCCCLXXXV. vicesima octava die mense Marcii.

Kukuljević: Arkiv knj. II, Razd. I, p. 36.

CCXXXVIII. 1385, 24 Aprilis, u Tuzeh blizu Ploče.

Balša, Dyrachii dux confirmat privilegia Ragusinis data ab imperatore Stephano et fratre Georgio.

Miklošić: Monum. serbica, p. 202.

CCXXXIX. 1385, 20 et 25 Julii, Venetiis.

Statutum, ut eligatur nuncius ad regem Bosnae, ut, quum civitas Cathari, uti fertur, data sit per reginam Hungariae regi Stephano Tvrtko, cum illo tractet „pacta et franchisias consuetas“ pro mercatoribus venetis.

Eligitur nuncius Blancus de Rippa.

Ljubić: Listine IV, 219.

CCXL. 1385, 23 Augusti, Sotesca.

„Stephanus Tvertcho . . rex Rassie, Bossine“ etc. confirmat privilegia mercatorum Venetorum, ut „cum suis . . . mercimoniis semper de consuetudine antiqua . . in civitate Cathari liberi et exempti ab omni dacio et gabella“ sint.

---

[1] 1384, 22 Decembris respublica veneta regem Bosnae rogat, ut eidem Nicolao solvat, quod ipsi debet.

„Hinc vestre universitatis... Datum in aula nostra regali Sotesca XXIII die mensis Augusti sub anno incarnationis MCCCLXXXV.

Wenzel Gusztav: Monum. Hungariae historica tom. III, pag. 590. *Ljubić*: Listine IV, 224.

CCXLI. 1386, 27 Januarii, pod Skadrom.

Georgius, Zetae et maritimae regionis dominus, confirmat Raguseorum privilegia a Stephano, a Stracimir, a Georgio et Balša olim concessa.

Miklošić: Monum. serbica, p. 203.

CCXLII. 1387, 9 Aprilis.

Rex Bosnae Stephanus Tvrtko init cum Ragusinis foedus contra omnes, excepta regina Hungariae Maria; confirmantur anteriora pacta; rex vovet, defensurum se territorium ragusinum suo exercitu.

Miklošić: Monum. serbica, p. 209—212.

CCXLIII. 1387, 22 Julii, in Sutrska.

Tvrtko, rex Bosnae, communitati Clissae privilegia a praedecessoribus suis „Mladino et Paulo" olim concessa confirmat.

Datum in aula nostra regali Sothesca 22 mensis Julii sub anno domini 1387.

Lučić: Memorie di Traù, p. 112. *Kukuljević*: Jura regni Croatiae et Slavoniae. Part. I, p. 493.

CCXLIV. 1387, 1 Augusti, Spalati.

Judices et consilium Spalatenses decernunt legatos in Bosnam mittendos, qui regi Tvrtco significarent, cives promptos esse ad eius voluntatem exequendam, modo a damnis civitati inferendis abstineret.

„Scripte Spaleti sub custodia sigilli nostri communitatis die 1 Augusti 1387.

(In margine) Non habuit locum, quia non ivit.

Lucić: Memor. di Traù, p. 332.

CCXLV. 1387, 17 Novembris, Nonae.

Albertus, prior Auranae, civibus Spalatensibus scribit, se „propter multitudinem et potentiam hereticorum Bosanensium in campo..." intravisse civitatem Nonam.

Datum None die 17 Novembris, recepte 1387, 25 Novembris.

Lučić: Memor. di Traù, p. 334.

CCXLVI. 1387, 29 Novembris, Budae.

Sigismundus rex concedit, ut mercatores ragusini „in terra... syrmiensi residentes a mercatoribus consociis eorum in terris Bozne et Rascie commorantibus argentum (possint) emere... emptum iisdem mercatoribus ragusinis venditioni exponere, ipsi (dein) mercatores ragusini illud (emptum) Ragusium secum portare valeant".

„Notum facimus... Bude in vigilia festi beati Andree apostoli, anno domini MCCCLXXXVII.

Wenzel Gusztav: Monum. Hungar. histor. (Acta extera) tom. III, pag. 650.

CCXLVII. 1388, 29 Aprilis, Venetiis.

Scribatur regi Bosnae, ut ipse, si quid dicere vult, nuncium suum mittat.

Ljubić: Listine IV, 249.

CCXLVIII. 1388, 3 Maii, Venetiis.

Conceditur, ut nuncius regis Bosnae „levetur super presentibus galeis Culphy" et deponatur „in Sclavonia".

Ljubić: Listine IV, 249.

CCXLIX. 1388, 6 Octobris.

Cives civitatum scardonensis, sibenicensis et spalatensis, „qui maxime per illustrissimum principem dominum Stephanum Tuarchonem, regem Bosne, et dominum fratrem Joannem de Palisna" affliguntur, „ad conservandum (sacre corone) fidelitatem ... fecerunt inter se et ordinaverunt ligam . ."

Dat. Scardone an. nativ. domini 1388. Indict. XI. die Martis, 6 Octobris.

Lucić: Memor. di Traù, p. 342.

CCL. 1389, 24 Martii, Spalati.

Spalatenses per legatos suos regi bosnensi significant, cupere se esse „servitores serenitatis (suae) sed eo modo, quo ... honor maiestatis (suae et ipsorum remaneret) sine nota proditorii nominis".

Scriptum Spalati 24 Martii 1389.

Lucić: Memorie di Traù, p. 437.

CCLI. 1389, 18 Maii, Spalati.

Judex et consilium spalatense regem Sigismundum per legatos rogant, aut succursum ipsis quamprimum mittat contra regem Bosnae, aut vero concedat, ut cum eodem rege de pace tractanda ipsi sibi provideant.

Scriptum Spalati 18. Maii 1389.

Lucić: Memorie di Traù, p. 345.

CCLII. 1389, 23 Maii Spalati.

„Die 23 Maii 1389" decretum est a Spalatensibus: mittantur ambasatores ad regem Bosne, ut dignetur prorogare terminum usque ad reditum ambasatorum ad regem Vngarie. , ." missorum.

Lucić: Memorie di Traù, p. 345.

CCLIII. 1389, 30 Junii.

Spalatenses per Johannem Marini legatum regi Tvrtko promittunt obedientiam . .

Datum 30 Junii 1389.

Lucić: Memorie di Traù, p. 347.

CCLIV. 1389, 1 Augusti, in Sutiska.

Stephanus Tvrtko, rex Bosnae Traguriensibus nuncium victoriae de Turcis, die 20 Junii habitae, mittit.

Datum in aula nostra Suthiste die prima mensis Augusti a. MCCCLXXXIX.

Lucić: De regn. Dalm. et Chroat. l. V. c. III, p. 415.

CCLV. 1389, 20 Octobris.

Collucius, cancellarius Florentiae, regi Tvrtko exprimit civitatis Florentinae gaudium et gratulationem ob victoriam de Turcis in campo Kosovo reportatam.

Kukuljević: »Izvadci listina bosanskih« Arkiv. II. Razd. I, p. 15. *Katona*: Histor. critic. Hung. tom. XI, p. 273. *Wenzel Gusztav:* Monum. Hungar. historica tom. III, p. 682. *Makušev*: Monum. historica Slavor. merid. I, 528.

CCLVI. 1390, 30 Januarii, Venetiis.

Mittatur nuncius ad regem et reginam Hungariae, qui referet „de his, que sentimus de partibus Bossine".

Ljubić: Listine IV, 274.

CCLVII. 1390, 8 Maii, Spalati.

Spalatenses per legatos agunt cum Tvrtko, Bosnae rege, de pace et concordia cum eodem ineunda, etc.

Spalati die 8 Maii 1390.

Lucić: Memor. di Traù, p. 351.

CCLVIII. 1390, 2 Junii, Sutiskae.

Tvrtko, rex Bosnae, territorii civitatis spalatinensis limites protendit et describit: „a monte Masaron versus orientem recto tramite sicut labitur flumen Salona; versus occidentem dividat et sit meta atque confinium inter nostrum castrum Clisiae et ipsos Spalatenses; ab alia parte antiqui muri Salone versus montem s. Michaelis usque ad columnam versus Tragurium; ex parte Almisi sit meta flumen Cetine usque ad verticem montis, qui dicitur Primorie, versus Spaletum inter nostros Spalatenses et castrum nostrum Delmisii. Legati: Triphon aulae protovestiarius, Michael de Ragusio electus tinniensis, comes Stanoe Jelašić et Vladoj logotheta.

Datum in nostre aule residentia Sutescha per manus .... domini Michaelis de Ragusio electi episcopi tininiensis... cancellarii sub dupplici sigillo pendenti presentibus... dominis comite Dabissa, comite Stipoye Hervatinich, comite Paulo Radinovich, comite Priboj Mestrovich, supano Biliaco Sancovich et Sladichio pincerna.. sub anno 1390 indictione XIII. die secundo mensis Junii.

Ljubić: Listine knj. IV, p. 281.

CCLIX. 1390, 11 Junii, in Sutiska.

Stephanus Tvrtko „Bosnie" rex etc. promittit Sibenicensibus se eorum libertates, a Ludovico rege concessas, servaturum esse; Sibenicenses spondent, se prestitum „omagium fidelitatis" eidem regi et successoribus suis observaturos.

Datum in aula nostra regali Soteske... sub anno domini millesimo tercentesimo nonagesimo, die 11 mensis Junii.

Fejér: Cod. diplomat. Hung. tom. 10, vol. 1, p. 615. *Kukuljević*: Jura regni Croatiae et Slavoniae, Part. I, p. 498.

CCLX. 1390, 23 Julii, in Suteska.

Stephanus Tvrtko „Bosnae“ rex iura et libertates insulae Bratiae, eidem a Ludovico rege concessa, confirmat.

Datum in aula nostra Suteschae . . . sub anno domini 1390. Ind. XIII. die 23 mensis Julii.

Cicareli: Osservazioni sull' isola della Brazza, Venezia 1802, p. 126. *Kukuljević:* Jura regni Croatiae et Slavoniae, Part. I, p. 495.

CCLXI. 1390, 30 Augusti, Venetiis.

Ambaxiatoribus regis Bossinae respondetur: gaudere „de exaltatione corone sue et status sui“; se non posse ob pacem cum rege Hungariae regi praestare auxilium contra Jaderam, quam occupare vellet, „sicut acquisivit alias civitates Dalmatiae“; gavisurum se, si contraxerit „parentelam“ cum duce Austriae; Venetos „generalem ligam“ cum rege inire non posse.

Ljubić: Listine IV, 284—6.

CCLXII. 1390, 30 Augusti, in Sutiska.

Stephanus Tvrtko „Rasciae, Bossinae et Maritimae rex“ rogante Andrea de Gualdo, archiepiscopo spalatensi, eumdem Andream, eius successores et ecclesiam spalatensem, eiusque „nobiles et villanos nec non possessiones, terras . . . iura et bona ipsorum . . . cum universis possessionibus, terris, tenutis etc. . . . sub protectione et tutela“ sua recipit et confirmat, praecipiendo „Paulo Clesich vaivodae regni Crovatiae“ ut sedulo caveat, ne quis eadem iura invaderet et laederet.

Datum in aula nostra regali Sutescka . . . per manus Thomae de Luzach praefatae aulae vicecancellarii sub anno domini MCCCXC, XXX die Augusti mensis, XIII indictione.

Farlati. D: Illyric. sacr. tom. III, p. 334. *Kukuljević:* Jura regni Croatiae et Slavoniae, Part. I, p. 498.

CCLXIII. 1390, 12 Octobris, Romae.

Bonifacius PP. IX. Michaeli, „Pauli bani“ filio, canonicatum in ecclesia bosnensi confert.

Nobiles generis . . . Dat. Romae apud s. Petrum quarto idus Octobris an. I.

Monumenta vaticana Hungariae, tom. III. p. 69.

CCLXIV. 1390, 18 Novembris, Romae.

Bonifacius PP. IX. Nicolao „Martini“, canonico quinqueecclesiensi, praebendam ecclesiae bosnensis confert.

Vite et morum . . . Dat. Rome apud s. Petrum decimoquarto kal. Decembris, an. II.

Monumenta vaticana Hungariae, tom. III, p. 91.

CCLXV. 1391, 6 Februarii, Romae.

Bonifacius PP. IX. „Jacobo de Bredenscheyd" canonicatum in ecclesia bosnensi confert.

Vite ac morum . . . Dat. Romae apud s. Petrum v. Idus Februarii an. II.

Monumenta vaticana Hungariae, tom. III, p. 137.

CCLXVI. 1391, 15 Aprilis.

Belijak županus et Radić vojevoda Sanković, memorando prisca iura Ragusii in Konavlje etc. et recognoscendo beneficia, quae Ragusini dominis Rasciae, Bosnae et Zachulmiae, et inprimis genitori suo Sanko, praestiterunt, dignum censent, ut župas Konavlje et Vitalina cum arcibus et pertinentiis (Dolnja gora et Sokol) reipublicae ragusinae tradant, prout et tradunt. Scripsit Grubanac Hlapčić.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monum. serbica, p. 217.

CCLXVII. 1391, 12 Maii, Romae.

Bonifacius PP. IX. episcopo Tudensi, praeposito ac lectori s. Petri de Possega, ad preces „Pauli filii Stephani, canonici bosnensis" iniungit, ut controversiam de canonicatu inter dictum Paulum et Barnabam Thomae vertentem dirimant.

Exhibita . . Dat. Rome apud s. Petrum quarto idus Maii, an. v.

Monumenta vaticana Hungariae, tom. III, p. 154.

CCLXVIII. 1391, 15 Maii, Zabore.

Radić vojevoda, filius Sanko et dominae Radosavae, cum consensu suae uxoris Gojsavae statuit posse Ragusinos in terra sua libere mercaturam exercere. Scripsit diaconus Raśko.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monum. serbica, p. 220.

CCLXIX. 1391, 1 Junii, Venetiis.

Rex Bosnae Stephanus Dabissa eligitur in civem venetum.

Ljubić: Listine IV, 201.

CCLXX. 1391, 17 Julii, Gaietae.

Ladislaus rex Hrvojae, vojevodae bosnensi, et eius fratri bano Vulco, ob illorum in se et patrem insignia merita, opemque in adquirendo et defendendo regno Hungariae praestitam, donat et confirmat banatum Dalmatiae et Croatiae cum omnibus iuribus.

Regestr. Andegaven. in tabular. Neapolitano, vol. 362, fol. 40—41. Dr. *Fr. Rački* Arkiv VII (Zagrabiae 1863) p. 32.

CCLXXI. 1392, 20 Januarii, Herosolymis.

De religiosis Hierosolymis ob fidem Christi interemptis.

In nomine domini Amen. Ad laudem, gloriam et honorem omnipotentis Dei . . . Noverint universi praesentes litteras inspecturi, quod anno domini MCCCXC primo, quatuor fratres ordinis minorum diversarium provinciarum in Hierusalem in conventu montis Syon, viri utique virtutibus adornati ac Deo

devotissimi, prelatis suis obedientissimi et probatissimi, quorum nomina haec sunt: fr. Deodatus de Ruticinio provinciae Aquitanie, Petrus de Narbona, provincie Provincie, Nicolaus provincie Sclavonie, Stephanus provincie romanae, qui etiam perfectione religionis morati sunt annis pluribus, aliqui in Vicaria Bosne, aliqui in vicaria Corsice, dein magna devotione ad sanctam se transtulerunt civitatem Hierusalem, ubi morati sunt in observantia regulari annis pluribus, durissimum pro Christo martyrium sustinuerunt (gladiis Saracenorum necati sunt)...

Tabular. vatican. secret. Regest. Clementis VII (schismatici) Avinionens. ann. XIV. P. II. tom. LXVI. fol. 80.

CCLXXII. 1392, 6 Martii.

Bosnae rex Stephanus Dabiša fidem facit, quod Dragoje Gučetić persolverit censum conductum pro portorio in Kamenica habito sub rege Tvrtko octo annorum spatio, item pro portorio habito cum Novak Maćedol in Srebrnica et Ponor. Testes: palatinus Gojak Dragoslavić, stavilac Ivan Radivojević, protovestiarius Žore et capellanus Milac.

Pucić: Споменици српски, II, 33.

CCLXXIII. 1392, 17 Junii, Lušci.

Rex Bosnae Stephanus Dabiša, ad petitionem Ragusii per nuncios Stephanum Lukarević et Raphaelem Gučetić, qui ad regiam curiam in Trstivnica exmissi sunt, consentiente ipsius uxore Helena privilegia Ragusinis a prioribus regibus, imprimis Stephano Tvrtko, concessa confirmat. Primores regni: vojvoda Hrvoje, vojvoda Usorae Vlatko, comes Stipoje Hrvatinić, comes Radosav Prebinić, comes Dobrosav Divošević, tepačija Batalo, comes Gojak Dragosalić, župan Tvrdislav Tuica, comes Vlčihna Vlatković, comes Voisav Voevodić, comes Vlkac Nartičić, župan Radoje Radosalić, župan Juraj Tihčinović, comes palatinus Stanac Priekušić. Scripsit logotheta Thomas.

Miklošić: Monumenta serbica, p. 220—222.

CCLXXIV. 1392, 3 et 21 Augusti.

Rex Stephanus Dabiša mittit Ragusium comitem Stanoje Elaščić ad recipiendum tributum serbicum et stagnense 2500 hyper.

Pucić: Споменици српски II, 36. Idem rex exigit medio protovestiarii sui Žore de Bochsa tributum stagnense 500 hyp. litteris datis in Sutisca 18 Februarii 1393. Ibid. p. 37.

CCLXXV. 1392, 10 Octobris, in Podlisie.

Vuk Vucić „Dalmatiae et Croatiae banus“ suo et regis Dabišae nomine Andreae, archiepiscopo spalatensi, permittit „quandam domum sive curiam, fortalicium seu reductum, super territorio ipsius ecclesiae spalatensis.. iuxta mare in loco Lucaz dicto.. aedificare.

Dat. In Podlisie.. die x. Octobris, anno domini 1392.

Farlati D.: Illyric. sacr. tom. III, p. 336. (Edit. Venet. 1765).

CCLXXVI. 1392, 19 Octobris, Gaietae.

Ladislaus rex fratribus Petro, Milošio, Dionysio, Joanni, Stephano et Blasio, filiis Pauli, vicevojevodae bosnensis, ob servitia sibi praestita donat plures villas in comitatu Verbasensi et possessionem Starigrad in comitatu Požegano.

Regest. Andegaven. in tabul. Neapolitano, vol. 363, fol. 167. Dr. *Fr. Rački*: Arkiv VII, p. 41.

CCLXXVII. 1392, 10 Decembris, Perusii.

Bonifacius PP. IX. Ladislao de Nagypatak, presbytero strigoniensi, canonicatum ecclesiae bosnensis confert.

Dudum siquidem .. Dat. Perusii IV idus Decembris anno IV.

Monumenta vatic. Hungariae, tom. III, p. 208.

CCLXXVIII. 1393, 12 Maii, Perusii.

Bonifacius PP. IX. Nicolao Jacobi, rectori „ecclesiae s. Nicolai de Dobronetk" canonicatum ecclesiae bosnensis confert.

Vite ac morum .. Dat. Perusii, IV idus Maii, an. IV.

Monumenta vaticana Hungariae, tom. III, p. 216.

CCLXXIX. 1393, 13 Julii, Venetiis.

Dux Antonius Venerio „Chervoje voyvodae, filio condam voyvodae bossinensis", eiusque fratri Volcho bano donat ius civitatis.

Ljubić: Listine IV, 309—310.

CCLXXX. 1393, 23 Augusti in castro Luchan.

Hrvoje vojvoda bosnensis promittit regi Sigismundo et eius coniugi Mariae fidelitatem contra omnes principes excepto rege Bosnae Dabissa, quousque hicce contra Sigismundum et Mariam non insurgeret.

Fejér: Cod. dipl. Hung. X, 2 p. 158.

CCLXXXI. 1393, 29 Septembris.

Stephanus Dabiša, post mortem „senioris fratris Stephani Tvrtko" in terris genitorum et progenitorum suorum successor, una cum regina Helena facit fidem, quod ipsius protovestiarius Žore Ragusinus deposuerit rationes de conductis sibi sub Tvrtko portoriis et cameris. Testes: banus Ivaniš, vojvoda Hrvoje, tepacija Batalo, comes Priboje, comes Dobroslav, Georgius Stepanić, Georgius Radivojević, vojvoda Koča, Petrus Pavlović. Scripsit logotheta Tomaš.

Pucić: Споменици српски, II, 39—40.

CCLXXXII. 1393, 18 Octobris, Romae.

Bonifacius PP. IX. Nicolao Laurentii, canonico bosnensi, archidiaconatum de „Aziag" (Osiek) in ecclesia quinqueecclesiènsi confert.

Vite ac morum .. Dat. Romae apud s. Petrum XV kal. Novembris an. IV.

Monumenta vaticana Hungariae, tom. III, p. 229.

CCLXXXIII. 1394, 16 Januarii, Romae.

Bonifacius PP. IX. „Georgium Gurle clericum, perpetuum beneficiatum ad altare b. Petri, situm in ecclesia bosnensi", nominat canonicum in eadem ecclesia.

Dat. Rome apud s. Petrum XVII Februarii, an. v.

Monumenta vaticana Hungariae, tom. III, p. 246.

CCLXXXIV. 1394, 2 Februarii, Sutiscae.

Stephanus Dabiša rex Bosnae reipublicae venetae, ut Michaeli Dominici, presbytero ragusino et legato suo, fidem habeat.

Data in aula nostra Suthisce die secunda .. Februarii an. MCCCLXXXXIIII.

Ljubić: Listine knj. IV, p. 323.

CCLXXXV. 1394, 2 Aprilis, Sutiska.

Stephanus Dabiša, rex Bosnae, Gojko Marnavitio roganti, ut sibi conferat „plemenscinium" litteris consignat Vojnitium et Godaliensium campum. Testes: comes Paulus Radinović, palatinus Sandalius, comes Marcus Radojević, comes Priboje Masnović, comes Radoslav Pribinić, tepacius Batalo; ex inferioribus partibus: palatinus Hrvoje, Paulus Klesić, comes Stephanus Ostoić; e Tribunia palatinus Vlatko; e chelmensi terra: Georgius Radevojević, comes Gregorius Milatović; ex aula: marsalcus aulicus Ostojica Obrinović; ex Croatia: marsalcus comes Joannes Grubetić.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monum. serbica, p. 224. Dubiae fidei.

CCLXXXVI. 1394, 31 Maii, Curzolae.

Consilium communitatis curzul. decernit, ne quis audeat nemus conventus s. Mariae fratrum vicariae bosnensis sine eorum licentia incidere etc.

MCCCLXXXXIIII. Indic. 2-da die ultimo Maii. In pleno generali et sufficienti consilio Curzolae in ecclesia sancti Marci coadunato ad sonum campanae, ut moris est, in quo fuerunt consiliarii quadraginta quinque.

Ad precem et petitionem reverendissimi in Christo patris et domini domini fratris Bartholomei de Tuscia vicari(i) vicariatus Bosnae et suorum fratrum habitantium et colentium monasterium sanctae Mariae de Scolio Magno, posito ante civitatem Curzulae, captum, obtentum et firmatum fuit, quod aliquis homo vel persona, cuiuscumque status et conditionis existat, non audeat vel praesumat nemus incidere unquam, (nec) aliquo tempore volendo fas(?) facere sive seminare circa ipsam ecclesiam in ipso Scolio, ubicunque possunt fratres videre et visum eorum prolungare stando iuxta ipsam ecclesiam, nec in valle, quae pendet versus ipsam ecclesiam sanctae Mariae, (sub) poena perperorum quinquaginta sine voluntate et expressa licentia ipsorum fratrum, et (sub) poena perdendi totum laborium, quod facerent, ut supra, quod deveniat in commune Curzulae.

»Istoria ecclesiastico-profana di Corzola del dottor Antonio Paulini« str. 488, na novo tiskano u »Glasniku jugoslovj. Franjevaca« god. 1889 br. 7 str. 118.

CCLXXXVII. 1394, 3 Junii, Romae.

Bonifacius PP. IX. iubet archiepiscopum neopactensem ord. praedicatorum in „ecclesiis et locis . . . Dalmatie, Croatiae, Bosne et Sclavonie regnis“ populos et magnatos inducere ad persequendum adhaerentes antipapae Roberto in Sicilia.

Notorium est. Dat. Rome apud s. Petrum III nonas Junii a. v.

Monum. vaticana Hungariae, tom. III, p. 259.

CCLXXXVIII. 1394, 17 Julii.

Ladislaus rex bosnensi duci Hrvoje eiusque fratri Vuk confirmat banatum Dalmatiae et Croatiae ob servitia patri Carolo et sibi praestita „in aquisitione regni Ungariae ac praeservatione tam regni praedicti quam regni Siciliae ab insultibus et perversis conatibus aemulorum et rebellium regiorum“.

In r. archivo Neapoli. Rad, XVIII, 234.

CCLXXXIX. 1394, 15 Octobris.

Ladislaus rex bano mačvanensi Joanni et suo vicario bosnensi, duci et Croatiae bano Hervojae tribuit facultatem aggratiandi rebelles, qui ad fidelitatem reverterentur.

In r. archivo Neapoli. Rad XVIII, 234.

CCXC. 1394, 24 Novembris, Budae.

Paulus de Armaninis legatus magnifici domini Francisci de Mantua scribit, se, dum Budam 11 Novembris venisset, regem ibi non invenisse, qui „gressus suos direxit versus Bossenam, quoniam rex ille (sc. Bosnae), mortuus, et barones regni querebant acquirere regnum illud, quod maximum fecit detrimentum illi regi, „dum rex Bossene tempore vite suae erat cum infidelibus alligatus; sed nunc ipso mortuo dicitur, quod illi de Bossena apetunt regem istum in suum regem et dominum; et demum usque ad confines vel iuxta equitavit...“

In archivo mantuano. *Makušev*: Monum. Slavor. merid. II, 24. Idem ferre in epistola 27 Nov. Ibid. p. 24.

CCXCI. 1394.

Rationes, ob quas fratres minores vicariae Bosnensis inde ab anno 1344 perseverarunt in administrandis sacramentis populo fideli peninsulam Rat inhabitanti etc. exponuntur.

In nomine Domini Amen. MCCCLXXXXIIII. Propter puncta et motiva infrascripta fratres minores vicarie Bosne commorantes in Puncta Stagni cum bona conscientia usque modo per annos quinquaginta ministraverunt sacramenta divina populo illi et usi sunt privilegio eis concesso a sede apostolica inter infideles et schismaticos, licet per praelatos et alios multas patiantur contrarietates et:

Primo. Cum illa terra, antequam perveniret ad manus dominorum de Rhacusio, fuerit subiecta schismaticis et Patarenis per annos forte trecentos, nec erat mentio ibi de cultu catholicae fidei, immo Calughieri et

sacerdotes Rasiani ibi habitabant. Postmodum vero Deo disponente, cum praedicti domini terram illam occupassent sub certo tributo dando regi Rasie vel bano Bosne singulis annis mille perperos, et insuper volentes Punctam illam conservare et tenere contra potentiam schismaticorum et haereticorum fecerunt castra duo fortissima, et perduxerunt murum magnum cum turribus ab uno castro usque aliud per unum milliare, in quibus aedificiis et aliis necessitatibus expenderunt circa centum viginti millia ducatorum de camera communi, et sub pacto tenendi ibi Calughieros et sacerdotes praedictos, tamen sicut catholici volentes fidem ibi romanam plantaverunt et propterea collocaverunt fratres praedictos, et locum eis construxerunt, qui fratres, Dei gratia operante, populum illum converterunt et baptizaverunt et usque modo convertunt venientes quotidie de terris schismaticorum ad terram illam, et hoc pure propter Deum nullius lucri causa.

Videtur eis praedictam curam illius populi dimittere non debere iuxta consilium doctorum eis datum, donec per apostolicam sedem de populo illo aliud fuerit ordinatum. Ad hanc autem conclusionem tenendam roborantur privilegiis apostolicis, de quibus infrascriptae clausulae sunt extractae:

Et primo in privilegio[1] domini Joannis papae continetur haec clausula: „ut autem ministerium nostrum honoretur, plenius et honorabilius impleatur, praesentium vobis auctoritate concedimus in terris, quae adhuc magisterio sedis apostolicae non intendunt, proponere verbum Dei, et constitutis ibidem, non obstante, si aliqui sunt excommunicatione ligati, in verbis officio, et cibo ac in aliis secure communicare, et ipsos seu etiam alios converti ad unitatem christiane fidei cupientes recipere, baptizare et aggregare filiis sancte ecclesie positis etc.“ Et infra:

„Et ad hec sit vobis absolvendi potestas occisores clericorum et religiosarum personarum in illis partibus constitutarum; fundandi de novo ecclesias et reconciliandi illas, que sunt casu aliquo profanate, et de novo fundatis de rectoribus idoneis providendi.“

Et iterum in declaratione[2] facta per dominum Gregorium PP. XI. super 23 dubia tangentia opera fidei in dicta vicaria Bosne habentur due clausule iste responsive ad tria dubia 8, 9 et 10.

Et iterum ad 8 articulum, in quo queritur etc. respondemus: „Quod cum Bosna cum suis metis et terminis seu circuitibus inclusive, ubi infideles et schismatici habitant, sit fratrum commissum regimen, dicimus: dictos fratres licite posse supplere defectum sacerdotum absentium in administratione sacramentorum virtute privilegii, non obstante, quod dicte patrie sub dominatione christianorum existant, maxime cum in dictis metis seu terminis sit defectus sacerdotum, nec sunt parochie ordinate, prout presens articulus presupponit“. Et

Et iterum ad 9 articulum, in quo queritur etc. respondemus: „Quod sicut commissum est fratribus et concessum per dominum papam infideles et schismaticos unitati sancte ecclesie aggregare, ita etiam in fide nutrire et conservare per ecclesiastica sacramenta, donec ipsis conversis

[1] Bulla Joannis PP. XXII. Cum hora undecima. Dat. Avenione X kalend. Novembr. an. VI. = 1321.

[2] Vide: *August Theiner:* Monum. Slavor. meridional. Vol. II. (edidit Dr. Franc. Rački, qui et additamenta adiecit), p. 327.

sit provisum de ecclesiis et curatis, nec de opposito cavetur in privilegio, ut patet intuenti, quo circa dicti fratres in administratione sacramentorum impediri nullatenus debent a prefatis sacerdotibus venientibus sive missis".

Et iterum ad 10 articulum, in quo queritur etc. si sacerdotes etc. respondemus: „Quod cum solis fratribus privilegium dirigatur sacerdotes ibi commorantes vel de novo advenientes eandem vel similem nullatenus habeant vel obtinuerint potestatem".

Et item in quadam Bulla[1] domini pape Gregorii dicti concessa pro loco habetur ista clausula: „Et nos animarum saluti providere cupientes, opportunis remediis vobis et singulis vestrum in predicto Glas et aliis locis huiusmodi, usque ad partes infidelium, in quibus distincte parochie et rectores ecclesiarum parochialium instituti, utendi omnibus potestatibus seu facultatibus et privilegiis vobis in terris schismaticorum, hereticorum et aliorum infidelium a memorata sede concessis, plenam concedimus tenore presentium facultatem".

Et item dominus Urbanus papa VI. in quadam copiosa bulla concessa predictis fratribus sic dictis: „Et concedimus etiam et declaramus, quod dicto privilegio Joannis pape uti possitis quoad omnia in eo contenta, non obstante, quod episcopus catholicus in locis seu partibus ipsis resideat vel presens existat, dummodo clerum vel sacerdotes aut curatorum copiam non habeat, qui fidelibus suis noviter conversis valeant in ministrando eis ecclesiastica sacramenta et fidem catholicam predicando etc.

His rationibus sequentia addidit scriptor Fr. Laurentius Zekinić Ragusinus: Questi sono li privilegii, delli quali una volta si servivano li frati nostri delli sudetti quatro conventi di Stagno, Slano, Ombla e Canali, benchè erano nel dominio catolico della republica di Ragusa; però erano uniti alla vicaria di Bosna e non vi era tanta copia de sacerdoti secolari, preti, come è presentemente ... ma adesso servono solamente per memoria dell' antichità e gloria della religione serafica ed onore della provincia.

Istoria e privilegii dell' osservante provincia di Ragusa raccolti da diversi luogi e posti qui in un volume dal P. Fr. Lorenzo (Zekinić) di Ragusa minor. osserv. nell' anno 1741. mss. p. 67. Servatur Ragusii in conventu fratrum minorum in cella praelatorum.

CCXCII. 1395, 14 Januarii, Romae.

Bonifacius PP. IX. Laurentio, custodi ecclesiae bosnensis, concedit ut „in romana curia vel in aliqua beneficiorum (suorum) residendo, aut litterarum studio in loco, ubi illud vigeat generale", a loco residentiae absens fructus percipere valeat.

Dat. Rome apud s. Petrum idib. Januarii an. VI.

Monumenta vaticana Hungariae, tom. III, p. 285.

CCXCIII. 1395, 26 Aprilis, Sutjeska.

Stephanus Dabiša, rex Bosnae et Serbiae etc. una cum uxore Helena Stanae filiae suae donat pagum Velijake in terra Chlmensi, qui ea mortua ad Georgium Radivojević, et eius posteros, pertineat. Testes: ex Bosna

[1] Animarum salutem etc. Avenione III nonas Februar. anno III — 1373.

comes Mirko Radoiević cum fratribus, comes Paulus Radenović, comes Priboje Mastnović, tepačija Batalo, voevoda Sandal, comes Dragić Hrvatinić, comes Vlkosav Nikolić; ex inferioribus partibus: voevoda Hrvoje, comes Mladen Stančić; ex Usora: voevoda Vlčihna, comes Stjepan Ostoić; ex aula: pristav Vlkac Vladisalić; ex affinibus: Vlk Niemičić. Scripsit logotheta Tomas Lušac.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monumenta serbica, p. 224.

CCXCIV. 1395, 17 Maii.

Stephanus Dabiša, rex Bosnae, župano Vlkmir Semković et fratribus eius Tvrtko et Stephano donat pagum Kolo in Dlmno, quem ipsis dederat rex Tvrtko pro alio pago Elšenica, dum incolae pagi Kolo altercarentur, rex vero eum occupaverat. Restituit vero pagum Kolo fratribus Semković, ut eorum servitia, praeprimis „in bellis turcicis", gratificaret. Testes: ex Bosna comes Paulus Radinović, comes Preboje Masnović, tepačija Batalo, Vlkota Priebinić, voevoda Sandal, Gregorius Vilhanić, Georgius Radivoević; ex inferioribus partibus: vojvoda Hrvoje, comes Mladin Stančić; ex Usora: voevoda Vlčihna, comes Stipac Bitošević; ex aula pristav župan Radoe Radosalić; ex affinibus Branko Simčić. Scripsit logotheta Tomaš.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monumenta serbica, p. 226.

CCXCV. 1395, 29 Septembris, Megye.

Sigismundus rex curiae magistro Stephano de Kanisa confert honorem simigiensis comitatus, qui „nunc per mortem Dabisse regis Bozne" vacans redditus est.

Fejér: Cod. dipl. X, 2 p. 276.

CCXCVI. 1396, 21 Aprilis, Romae.

Bonifacius PP. IX. Lectori ecclesiae bosnensis, ut Antonio zagrabiensi dioc., cui „Johannes episcopus bosnensis parochialem ecclesiam" s. Laurentii martyris de „Diaco" (Diacovo) contulerat, auctoritate apostolica conferat, si modo „bene legere, bene construere et bene cantare ac congrue loqui latinis verbis" sciverit.

Dignum arbitramur.. Dat. apud s. Petrum XI. kal. Maii an. VII.

Ex reg. orig. an. VII, de curia libr. VII, fol. 42. *Theiner*: Monum. Hung. tom. II, p. 167.

CCXCVII. 1396, fer. 4 post festum s. Spiritus, in Kozara.

Vlkač comes de Zana e mandato Hrvoje vojvodae dat mercatoribus, in specie Martino filio Dragamir et Petro Sculavecz de Kosecz facultatem in comitatu de Zana libere mercandi.

Fejér: Cod. dipl. X, 2 p. 406.

CCXCVIII. 1396, Julii, Venetiis.

Antonius Venerio, dux Venetiarum, donat ius civitatis „domino Sandali de Chosachi militi, Rassie Bosneque magno voyvode, ac Budue et Zente domino", qui per nuncium suum Theodorum archidiaconum Scutariensem praestat fidelitatis iuramentum.

Ljubić: Listine, IV, 378.

CCXCIX. 1396, 27 Decembris, Ragusii.

Ragusini Helenae, reginae Serbiae et Bosnae, scribunt, se ex ipsius epistola, missa per nuncium Thomam, percepisse, regimen eiusdem convalidatum esse; una notificant, missuros se privilegia ipsis a regibus Tvrtko et Dabiša concessa.

Pucić: Споменици српски I, 4.

CCC. 1397, 11 Februarii, Zagrabiae.

Carolus Petrucii notarius testatur, cives grechenses in ecclesia cathedrali excomunicatos fuisse. Praesentibus . . Andrea spalatensi, Johanne boznensi . . episcopis.

Iv. Tkalčić: Monumenta historica civ. zagrabiensis. I, 389.

CCCI. 1397, 25 Martii, Ljuta in Canali.

Paulus Radinović, filius quondam comitis Radin Jablanić, permittit Ragusinos in terra sua mercaturam exercere. Testes: Goic Gaočić, Čeprna Gradisalić, Vukša Gaočić, e parte maritima Vukosav Kobilačić, Lubiša Bogdančić, Vukosav Poznanović. Scripsit diaconus Radosav Milosalić.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monumenta serbica, p. 229.

CCCII. 1397, 13 Maii, Sutiska.

Helena, regina Bosnae, Stephani Dabiša uxor, capto consilio cum vojvoda Hrvoje, comite Paulo, vojvoda Sandal et tepačija Batalo aliisque primoribus, abrogat portorium Ragusinis impositum in Maslina prope Ston et in Slano.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monumenta serbica, p. 229.

CCCIII. 1397, 22 Maii.

Regina Bosnae (Helena Gruba) requirit per nuncium suum comitem Gregorium Milatović a Ragusinis tributum regibus Serbiae, dein Bosnae, Tvrtko et Stephano Dabisae, pendi solitum.

Fucić: Споменици српски, II, 40. Idem litteris 15 Novembris 1397 per domesticum suum Thomam Stanoević missis. Ibid. V, p. 42.

CCCIV. 1397, 15 Octobris, Ragusii.

Commune ragusinum bosnensi vojvodae Sandalo revocat in memoriam amicitiam habitam cum suo patruo vojvoda Vlatko; item meminisse eum vult, se esse civem ragusinum; unde miratur, quod quidam e suis officialibus permittat vendere sal Novii et in Sutorina, in obversum privilegii concessi Ragusinis a quondam rege Tvrtko. In eadem re scribit commune Sandali uxori Helenae die 15 Novembris e. a.

Pučić. Споменици српски, I, 11—12.

CCCV. 1397, 13 Decembris.

Sigismundus rex filios Joannis de Kanisa, Joannem, Stephanum et Nicolaum remuneratur ob merita illorum in occupando „castro Dobor in

districtu Uzurae regni Boznae" contra infideles Boznenses, qui iam regna Dalmatiae et Croatiae occupaverant; dein castro Dobor obtento reobtenta est etiam Dalmatia et Croatia et regnum Boznae cum rege et incolis suis statum reductum in pristinum."

Fejér: Cod. dipl. Hung. X, 2 p. 438—53.

CCCVI. 1398, 18 Januarii, sub Bobovac.

Regina Bosnae (Helena) communi Ragusino rationes cum protovestiario Žore rite conclusas refert.

Pucić: Споменици српски, II, 41.

CCCVII. 1398, 20 Martii, Ragusii.

Commune Ragusii vojvodae bosnensi Sandali notum facit, quod miserit ad „Starigrad" nauigia pro excipienda ipsius coniuge Helena.

Scribit item Helenae, ut notum reddat, an sit Ragusium ventura.

Pucić: Споменици српски, I, 12—13.

CCCVIII. 1398, 17 Maii, Ragusii.

Commune Ragusinum župano Radoslavo et Ljubiša scribit de sua erga comitem Paulum a longo tempore amicitia.

Pucić: Споменици српски I, 13.

CCCIX. 1398, 1 Junii, Ragusii.

Commune ragusinum comiti Vlčić, ne propter debita detineat apud se cuparios ragusinos.

Pucić; Споменици српски, I, 15.

CCCX. 1398, 3 Julii, Ragusii.

Commune ragusinum bosnensi regi Ostojae respondet ad eiusdem litteras circa Georgium Radičević: Ragusium esse ab antiquo liberum et amicabile regno Bosniae.

Pucić: Споменици српски, I, 15.

CCCXI. 1398, 23 Augusti, Ragusii.

Commune Ragusinum vojvodae Radić (Sanković) respondet quoad protovestiarium Žore, huic se iussurum, ne ipsius vojvodae hominibus molestus sit.

Pucić: Споменици српски, I, 16.

CCCXII. 1398, 20 Novembris, Dumno.

Stephanus Ostoja, rex Serbiae, Bosnae, partibus maritimis, Chulmi, occidentalibus et inferioribus partibus, Usorae, Sali et Podriniae promittit Ragusinis, se debita Stephani Tvrtko regis exsoluturum. Testes et sponsores: vojvoda Hrvoje, tepačija Batalo, vojvoda Vukašić, vojvoda Paulus Klešić, comes Stephanus Hlapčić. Scripsit diaconus Stephanus Dobrenović.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monum. serbica, p. 231.

CCCXIII. 1399, 15 Januarii, na Usori u Lišnici.

Stephanus Ostoja, rex Bosnae, 24 pagos in parte maritima sitos a Kurilo ad Stagnum cedit Ragusinis, nimirum Kurilo, Osalnik, Lubaač, Gromača, Orašaac, Trsteno, Mrčevo, Brsečevo, Mravniac, Dulgo, Maljkove, Slaano, Trnova, Podgora, Čepikuče, Podiimoč, Kotezi, Zaton, Visočani, Točilnik, Smokovlani, Ošle et Topola. Testes: vojvoda Hrvoje, comes Paulus Radinović, vojvoda Sandal, tepačija Batalo, vojuoda Vlatko Tvrtković, vojvoda Vukašin Milatović. vojvoda Paulus Klešić, comes Preboje Masnović, comes Radoje Radosalić, comes Radoje Dragosalić, comes Vojsav Voevodić, comes Vukašin Zlatonosović, comes Kovač Diničić. Scripsit diaconus Stephanus Dobrinović.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monum. serbica, p. 233. Eadem die requirit rex tributum per nuncios Stephanum magistrum et comitem Raup. *Pucić:* Споменици српски II, 43. Scripsit diac. Hrvatić.

CCCXIV. 1399, 5 Februarii, in Sutiska.

Stephanus Ostoja, rex Bosnae una cum uxore regina Kujava ratihabet privilegia Ragusinorum, ipsis a praedecessoribus, praeprimis rege Tvrtko concessa. Testes: vojvoda Hrvoje, comes Paulus Radinović, tepačija Batalo, vojvoda Sandal, vojvoda Paulus Klešić, vojvoda Vlatko Tvrtković, vojvoda Vukašin Milatović, comes Radoje Radosalić, comes Voislav, comes Vukašin Zlatonosović, comes Radoje Dragosalić, comeš Preboje Masnović, comes Vuk Tepčić et comes Kovač Diničić. Scripsit diaconus Hrvatin.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monum. serbica, p. 235.

CCCXV. 1399, 25 Februarii, Ragusii.

Comes, nobiles et totum commune Ragusii Hervoje vojevodam inter nobiles cooptant, palatiumque, quod prius erat dominae Philippae, ei donant. Scripsit: Rusko logotheta.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monum. serbica, p. 237.

CCCXVI. 1399, 25 Februarii, Ragusii.

Comes, nobiles et totum commune Ragusii Ostojam, regem Bosnae, in ordinem nobilium cooptant et palatium, quod prius erat nobilis Marini Bunić, ei donant.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monum. serbica, p. 239.

CCCXVII. 1399, 13 Martii, Ragusii.

Commune ragusinum bosnensi reginae Grube ad ipsius litteras per nuncium Petren respondet, deposita in ragusiensi camera pretiosa eidem tradita esse; requiritque certam summam pro Naleško.

Pucić: Споменици српски, I, 18.

CCCXVIII. 1399, 30 Martii, Ragusii.

Commune ragusinum vojvodae Radić (Sanković) excusat se, quod ipsius petitioni per županum Radosavum de mutuo ipsi dando, quod etiam regi Sigismundo denegarunt, satis facere non possit.

Pucić: Споменици српски, I, 18—19.

CCCXIX. 1399, 5 Aprilis, Ragusii.

Commune ragusinum primoribus Trebinii et Canalis respondet, se cuidam Radonjae asylum in civitate et territorio suo non daturum.

Pucić: Споменици српски, I, 19—20.

CCCXX. 1399, 6 Aprilis, Ragusii.

Commune ragusinum dominae Vladae, comiti Georgio et Vlčić conqueritur de ipsorum hominibus župano Vlčeta, Radoslavo Bakulić et Gojak Mirošević, eo quod Ragusinos mercatores Stephanum Mazarak et Radotam Pribislavić depraedati sint; item quod alii mercatores in Drievo commorantes de iniuriis illatis lamententur.

Pucić: Споменици српски, I, 20.

CCCXXI. 1399, 24 Aprilis, Romae.

Bonifacius PP. IX. ordinat, ut Heningo Kerzendorp, presbytero Brandenburgensi, cui olim „venerabilis frater . . . Johannes episcopus Boznensis lectoratum (ecclesiae bosnensis) contulit", iterum „contemplatione Sigismundi regis Ungarie pro ipso Heningo . . . supplicantis" conferatur, „cuius fructus . . viginti marcharum argenti valorem annuum non excedit."

Litterarum scientia . . . Dat. Rome apud s. Petrum VIII. kal. Aprilis ann. x.

Monumenta vaticana Hungariae, tom. IV, p. 117.

CCCXXII. 1399, 28 Aprilis, Romae.

Bonifacius PP. IX. „Jacobo Pauli de Ivanda-Zenthgurg" rectori „altaris s. Petri siti in ecclesia Boznensi" canonicatum et praebendam eiusdem ecclesiae bosnensis confert, „non obstantibus quod prefatus Jacobus . . . altare predictum et parochialem ecclesiam plebaniam nuncupatam b. Marie virginis de Bratounch bosnensis diocesis, quorum fructus . . . sexaginta florenorum auri valorem non concedunt noscitur obtinere . ."

Exhibita nobis . . . Datum Rome apud s. Petrum IV kal. Maii, an. x.

Monumenta vaticana Hungariae, tom. IV, p. 127.

CCCXXIII. 1399, 17 Maii, Ragusii.

Commune ragusinum vojvodae Radić (Sanković) respondet, terras ipsius haereditarias, obtento prius consensu regis et totius Bosnae, emptas fuisse.

Pucić: Споменици српски, I, 20—21.

CCCXXIV. 1399, 10 Junii, Venetiis.

Antonius Venerio, dux Venetiarum, Stephano Ostoya regi Rassiae et Bosnae donat ius civitatis.

Ljubić: Listine IV, 420.

CCCXXV. 1399, 6 Augusti, Ragusii.

Commune ragusinum conqueritur dominae Helenae, uxori vojvodae Sandali, contra Bogčin Korenić, qui conquerentibus Nikšićensibus incolis, vectigal exigit in Ljuta a transeuntibus versus Ragusium vel Catharum.

In hoc sensu idem commune requirit die 10 Augusti regem Bosnae Stephanum Ostojam, ut prohibeat exigere vectigal in Ljuta in Canali, nam hac exactione Bosnenses avertuntur a Ragusio; praeterea ab antiquo exigebatur vectigal in uno solummodo loco, Ledenice nimirum.

Pucić: Споменици србски, I, 22—23.

CCCXXVI. 1399, 13 Augusti, Ragusii.

Commune ragusinum vojvodam Radić (Sanković), perceptis ipsius litteris per nuncios Budisav et Mileva, invitat Ragusium venire.

Pucić: Споменици србски, I, 24.

CCCXXVII. 1399, 25 Augusti, Ragusii.

Vojvoda Radić Sanković, ratione habita amicitiae inter praedecessores suos, inprimis patrem Sanko et županum Belijak et Ragusium, reflectendo item, quod rex Stephanus Ostoja Ragusio donaverit totam regionem maritimam a Kurilo usque ad Imotice, eidem donat in perpetuum suum pagum Lisac in regione maritima. Testes: županus Dabiživ Čihorić, Stiepko Ozroević, Hrebelan Bogoslalić, župan Božičko Brlić, comes Budislav Uporničić. Scripsit logotheta Mileta Popović.

Miklošić: Monum. serbica, I, 241—3.

CCCXXVIII. 1399, 3 Octobris, Ragusii.

Commune ragusinum župano Ozren, qui, prouti et comes Paulus, retulit Turcam Ragusium progredi, gratias agit.

Pucić: Споменици србски, I, 24.

CCCXXIX. 1399, 3 Octobris, Ragusii.

Commune ragusinum vojvodae Radić (Sanković) respondet circa Radonjam, qui Ragusium venit; item notum ipsi facit, Turcas, fama teste, in Serbia adunari ad aggrediendam Zetam.

Pucić: Споменици србски, I, 25.

CCCXXX. 1399, 27 Octobris, Ragusii.

Rector et commune significant Stephano Ostojae, regi Bosnae, se non posse pascua Branko et Vlatko valachis cedere, cum ea ad leges reipublicae inter patricios iam sint divisa.

Pucić: Споменици србски, p. 26.

CCCXXXI. 1400, 8 Aprilis, Ragusii.

Rector et commune ragusinum Hervoje vojevodae scribunt: Ostojam Bosnae regem omnino iniuste conqueri ob turcicos legatos in prosequendo suo itinere impeditos, cum id inscio senatu evenisset.

M. Pucić: Споменици србски, p. 27.

CCCXXXII. 1400, 2 Septembris, Ragusii.

Rector et commune ragusinum Stephano Ostojae, regi Bosnae, scribunt, se praecepisse, ne quis suorum audeat emere vel vendere homines etc., rogantque, ut eodem sensu et ipse agat; Radišam Dobrković et Borić Sladenović detineri in carcere.

Eodem anno et die etiam Hrvoje vojevodae eundem in modum scriptum est.

M. Pucić: Споменици србски, p. 30 et 31.

CCCXXXIII. 1400, 30 Novembris, Ragusii.

Rector et commune ragusinum comiti Paulo, quod neminem ex eius hominibus in locum Popovo susceperint, nisi quos tempore conventionis ibidem deprehenderant; adiungunt insuper quemque exterum in urbem refugii causa, secundam antiquas leges, venire posse; prouti ipsi notum est, qui ab infantia vixit in aula regis Tvrtko. A navigiis venetis auditum, quod imperator Turcarum coeperit magnam Sevastiam, Bajazetum morari Brussae.

M. Pucić: Споменици србски, p. 32.

CCCXXXIV. 1400, 6 Decembris, Romae.

Bonifacius PP. IX. praeposito ecclesiae bosnensis, ut . . „Petro Thomae" canonico bosnensi canonicatum „Baciensis" ecclesiae conferat, „non obstantibus . . . quod ipse Petrus . . . canonicatum et praebendam ecclesie boznensis, quorum fructus . . . viginti florenorum auri . . . valorem non excedunt, noscitur obtinere . ."

Cum itaque. Dat. Romae apud s. Petrum VIII idus Decembris an. XII.

Monumenta vaticana Hungariae, tom. IV, p. 285.

CCCXXXV. 1400, 8 Decembris, Sutiska.

Stephanus Ostoja, rex Bosnae, donat Hrvoje vojevodae eiusque filio Balsae et posteris castellum et župam Hlivno a Zavod usque Vrhovina. Testes: ex Bosna comes Paval Radinović, comes Mirko Radojević, vojvoda Sandal, tepačija Batalo; ex terra Hum vojvoda Radić Sanković, vojvoda Vukašin Milatović, comes Juraj Radivoević; ex partibus inferioribus Vladisav Dubravčić; ex Usora vojvoda Vukmir; ex Podrinje Dragiša Dumčić. Pristav aulicus Juraj Dragičević, ex propinquis Hrvatin Smokvić. Scripsit diaconus Vukorije.

Kukuljević: Arkiv knj. II. Razděl I, p. 36. Dr. *Fr. Miklošić*: Monum. serbica, p. 247.

CCCXXXVI. 1400, Ragusii.

Comes, nobiles et totum commune Ragusi significant Hervoje, duci Spalati, se eius litteras accepisse.

Miklošić: Monum. serbica, p. 250.

CCCXXXVII. 1401, 7 Januarii, Romae.

Bonifacius PP. IX. episcopo tudensi . . . praeposito ac lectori s. Petri de Posega quinqueecclesiensi dioeces. iniungit, ut „Georgii Johannis

parochialis ecclesiae omnium sanctorum de Draczacino Bosnensis dioecesis" ius in ecclesiam praefatam defendant etc.

Exhibita nobis. Dat. Rome apud s. Petrum VII Januarii anno XII.

Reg. an. XII, libr. 20, fol. 132. Monum. vatic. Hung. tom. IV, p. 304.

CCCXXXVIII. 1401, 22 Martii, Romae.

Bonifacius PP. IX. episcopo concordiensi, praeposito s. Petri de Posega praecipit, ut Thomae Nicolai rectori „ecclesiae s. Martini de Breztovich Quinqueecclesiensis" canonicatum, praebendam et lectoratum ecclesiae bosnensis conferant.

Vite ac morum... Dat. Rome apud s. Petrum XI. kal. Aprilis an. XII.

Monum. vatic. Hungar. tom. IV, p. 312.

CCCXXXIX. 1401, 3 Augusti, Ragusii.

Rector et commune ragusinum Radić vojevodae, ut Borilo Radičević, qui 367 numos aureos Maroje Gundulić patricio restituere tenetur, in urbem adduci curet.

M. Pucić: Споменици србски, p. 33.

CCCXL. 1401, 5 Septembris, Ragusii.

Rector et commune ragusinum Stephano Ostojae, regi Bosnae, consilium, quod ob grassantem morbum epidemicum nunc primum convocari potuit, decrevisse, ut per nuncios de debitis ratione Ston etc. eidem regi quamprimum respondeatur.

M. Pucić: Споменици србски, p. 34.

CCCXLI. 1401, 5 Septembris, Ragusii.

Rector et commune ragusinum Radić vojevodae, ut quemdam Pokranac Šasović, reipublicae calumniatorem, pro merito puniat.

M. Pucić: Споменици србски, p. 34.

CCCXLII. 1401, 18 Octobris, Ragusii.

Rector et commune ragusinum respondet Hrvoje vojevodae: vires regis Hungariae et eiusdem vojevodae solas, ad comitem Markulj, qui Almisium occupaverat, pro merito compescendum, sufficere.

M. Pucić: Споменици србски, p. 35.

CCCXLIII. 1401, 21 Decembris, Ragusii.

Rector et commune ragusinum Radić (Sanković) vojevodae: rempublicam non solere cuiquam pecunias mutuo dare; legatis mandatum esse, ut eius (Radić) negotium apud regem et Hervoje tractent.

M. Pucić: Споменици србски, p. 36.

CCCXLIV. 1401, 28 Decembris, Venetiis.

Nuncio vojvodae Hrvoje Ludovico de Mathafaris respondeatur, quod non possit ipsi succurri contra inimicos „de Spalato", qui „occupaverunt eiusdem locum Almisii".

Ljubić: Listine IV, 451.

CCCXLV. 1401.

„Hervoye supremus voyvoda regni Bosnae ac vicarius generalis ... regum Vladislai et Ostoyae ...“ privilegia concedit civitati spalatensi.

Datum in campo ... anno Domini MCDI.

Lučić: De regno Dalmatiae et Croatiae, libr. V, cap. IV, p. 418.

CCCXLVI. 1402, 18 Januarii, Romae.

Bonifacius PP. IX. episcopo waradiensi „ut guardianum domus b. Marie in Zalard ... qui in regno Bosne inter scismaticos consistunt“, contra impetitores defendat.

Tunc digne. Dat. Rome apud s. Petrum XV. kal. Februarii an. XIII.

Monum. vatic. Hungar. tom. IV, p. 406.

CCCXLVII. 1402, 1 Martii, Ragusii.

Rector et commune ragusinum Hrvoje vojevodae, ut cuidam civi ragusino, Petun dicto, in quibusdam recuperandis assistat.

M. Pucić: Споменици српски, p. 37.

CCCXLVIII. 1402, 7 Martii, Romae.

Bonifacius PP. IX., audito fr. Bartholomaeo vicario Bosnae, statuit „quod nullus fratrum ... pro eadem vicaria debite receptus et in posterum recipiendus ... absque speciali vicarii dictae vicariae ... vel eius locumtenentis in scriptis obtenta licentia ... ab eadem vicaria et partibus illis recedere vel absentare se quocunque modo presumat“. Collectoribus tamen eleemosynae, rationabilibus de causis destinatis, hospitia praelatorum et saecularium personarum, „alias tamen honesta“, intrare permittitur.

Ex iniuncto nobis. Dat. Rome apud s. Petrum nonis Martii an. I.

Reg. vatic. libr. 2. *Wadding*: Annal. minor. tom. IX, p. 471. Monumenta vaticana Hungariae tom. IV, p. 418.

CCCXLIX. 1402, 23 Aprilis, Venetiis.

Respondeatur oratori d. regis Bossine, quod ipse pro lubitu construat „pro utilitate et commoditate regni sui et subditorum suorum unum locum et unum fortalicium ad marinam cum portu“; sed quod non posset illi dari „favorem in casu, quo aliqui vellent obstare sibi.“

Ljubić: Listine IV, 460.

CCCL. 1402, mense Aprili, Ragusii.

Rector et commune ragusinum Sandali vojevodae, ut Catarenses, subditos suos, qui nuper ragusinas naves animo inimico adorti erant, puniat, et alias similia tentare prohibeat. Unam navem conduxerat Venetiis redux archiepiscopus barensis Marinus et cum eo unus dulcinensis incola.

M. Pucić: Споменици српски, p. 38.

CCCLI. 1402, 1 Maii, Venetiis.

Nuncio regis Bosnae, qui pro parte regis attulit unum equum et unum austurem, qui donentur marchioni ferrariensi, donentur 150 ducati.

Ljubić: Listine IV, 461.

CCCLII. 1402, 13 Maii, Ragusii.

Rector et commune ragusinum Hrvoje vojevodae edicunt, se promissa regi et proceribus Bosnae omnino praestituros esse, non obstante iuramento fidelitatis, quo regi Hungariae obligantur.

M. Pucić: Споменици српски, p. 39.

CCCLIII. 1402, 13 Maii, Cetinae.

Hrvoja vojevoda et Joannes Cetine atque Clisie comes auctoritate et nomine regis Bosnae, Ostojae, Sibenicensibus antiqua iura confirmant, nova privilegia et quaedam terrena iisdem concedunt.

Datum in Cetina sub castro Fsin die 13 mensis maii 1402.

Lučić: Memor. di Traù, p. 376. *Ljubić*: Listine IV, 463. Has privilegiales confirmat rex Stephanus Ostoja »sub castro Visoki« die 15 Junii e. a. *Fejér*: cod. dipl. X, 4 p. 801—5.

CCCLIV. 1402, Julio, villa Grede.

Fr. Emericus Bubek, ordinis s. Joannis hyerosol. prior, comes de Dubica et Dalmatiae, Croatiae ac Sclavoniae vicarius, regi Sigismundo refert, quod ipsius mandato edito a. 1398 „de sub castro Orbaz", dum cum exercitu „in villa Grede" existeret, de reformandis metis terrarum heremitarum ord. s. Pauli primi heremitae claustri b. Virginis de promontorio Dubicensi, satisfacere non potuerit, „quia mox post regis ex ipsa Greda reversum perditionis filius Herwoya waywoda cum certis sibi adherentibus Boznensibus comitatum de Dubicha manu violenta indebite occupans usque ad haec tempora detinere hostiliter non expavit", quousque nuper dictus comitatus auxilio Eberhardi zagr. episcopi et aliorum nobilium fatorum regnorum reocupatus non esset.

Originale in archivo regnic. zagr. inter acta monasterii dubicensis, nr. 20.

CCCLV. 1402, Ragusii.

Rector et commune ragusinum Stephano Ostojae, regi Bosnae, significant, ipsum a republica omni honore dignum censeri et sincere amari; ex subditis eiusdem profugis neminem in territorium ragusinum admissum esse.

M. Pucić: Споменици српски, p. 40.

CCCLVI. 1403, 11 Januarii, Ragusii.

Rector et commune ragusinum Stephano Ostojae, regi Bosnae, respondet rempublicam concedere, ut frumentum navibus ragusinis transferatur Almisium.

Pucić: Споменици српски, p. 44.

CCCLVII. 1403, 27 Januarii, Ragusii.

Rector et commune ragusinum comiti Raup, ut apud regem Ostojam et Hrvojam ageret, ne venditio salis in Sutorina, contra antiquas leges et privilegia a regibus Tvrtko etc. introducta, continuetur.

Pucić: Споменици српски, p. 44.

CCCLVIII. 1403, 7 Februarii, Ragusii.

Rector et commune ragusinum vojvodae Hrvoje respondent, litteras liberi conductus, quae referente Ratko Mišanović Ragusium pervenissent, a se necdum perceptas fuisse.

Pucić: Споменици српски, I, 45.

CCCLIX. 1403, 17 Februarii, Ragusii.

Comes, nobiles et totum commune Ragusii fatentur se ab Helena, uxore vojevodae Sandali et filia Serbiae despoti Lazari, accepisse depositum duorum millium aureorum, transpositum per eiusdem nuncios: starac Dmitar, Radonjam Pripčić et diaconum Brajan.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monum. serbica, p. 251. Inseruit logotheta Rusko.

CCCLX. 1403, 13 Martii, Ragusii.

Rector et commune ragusinum comiti Mirko promittunt, se pro filio suo et aliis bosnensibus, qui Constantinopoli captivi detinentur, eliberandis, apud imperatorem quaeque diligentur tentaturos esse.

Eodem anno et die etiam comiti Vlkašin et vojevodae Vlkmir in eundem modum scriptum est de eliberandis duobus patruelibus, qui in Kosovo polje capti erant.

Pari modo et vojevodae Hrvoje.

Domino insulae Mitylene, ut nuncio, ad reducendos e captivitate turcica, misso consilio et opera assistat.

Pucić: Споменици српски, p. 46 et 47.

CCCLXI. 1403, 20 Aprilis, Venetiis.

Respondeatur nuncio regis Bossinae, contentari, quod teneat „in mari pro custodia terrarum suarum duos brigantinos armatos", ne tamen damnificent navigia veneta.

Ljubić: Listine, V, 4.

CCCLXII. 1403, 2 Junii, Romae.

Bonifacius PP. IX. Angelo tit. s. Laurentii in Damaso suo ad regna „Ungarie . . . Sclavonie, Dalmatie, Croatie, Rame, Valachie, Bulgarie" legato permittit, ut apostolica auctoritate 50 viros ecclesiasticos a debito residentiae dispensare possit.

Cum te . . Dat. Rome apud s. Petrum IV nonas Junii an. XIV.

Monum. vatic. hungar. tom. IV, p. 534.

CCCLXIII. 1403, 10 Junii, Ragusii.

Rector Aloysius de Goze et commune ragusinum nuncio suo ad Bosinae regem Paolo de Gondola iniungit, ut a rege postulet intacta servari pacta inita cum Ragusio sub ipsius praedecessoribus, praeprimis avia Elisabetha; item ut ipsum persvadeat, commune non posse rumpere pacta cum Hungaria, denegasse tamen regi Ludovico tributum Bossinae dari solitum, regi autem Sigismundo extradari familiam Radivoevich.

Gelcich: Diplomatarium, p. 115.

CCCLXIV. 1403, 13 Junii, Ragusii.

Rector Aloysius de Goze et commune ragusinum Stephano de Luchari, nuncio suo ad vojvodam Hervoje, scribit, veritati non niti, quod per suum nuncium Ratcho Misanovich ipsi pertulerat ad notitiam, videlicet commune cum rege Sigismundo conspirare contra Bossinae regem Hostoiam, seque a fide data huic regi, vojvodae et „toti Bossinae“ non recessurum; nunciat, Paulum Mastrovich, qui deliberaverat ire primum ad ducem Mediolani vel ad dominum Raimundum, postea ad regem Cypri, transivisse tandem per Sclavoniam in Valachiam; dicat vojvodae, cum Ragusium sit civitas libera, Radissichium extradari non posse, prouti nec Hungaris tradita fuerat familia Jurachi Radivoevich; tandem exprimat admirationem supra requisitione regis Ostoiae, ut Ragusium ipsi sese submittat et Bosnae vexilla elevet; mirari quidem eo magis, quod commune eundem regem, nuper „in Bissize“ commorantem, invitaret, ut Ragusium veniat.

Gelcich: Diplomatarium, p. 116—117.

CCCLXV. 1403, 11 Julii, Jadrae.

Matheus de S. Miniato cancellario florentino Colucio de Salutatis scribit inter caetera: „Heri huc applicuit vayvoda regni Bossine, cui nomen Chervoya, princeps magnus et potentissimus omnium regni illius, qui quidem fuit causa potissima, ut regnum Dalmatie et omnes partes Sclavoniae ad d. Ladislaum regem diverterent. Hic regem expectat cum comitiva maxima. Homo ipse patarenus est; sed datur ordo, ut d cardinalis crismate eum confirmet et reducat ad lumen vere salutis; et sic ipse iam assentiri videtur sub spe, ut d. rex ipsum constituat marchionem in partibus Bossine, prout mihi asserit d. archiepiscopus spalatensis, amicus suus et vicinus . . .

Archivo storico italiano IV, 1 p. 216.

CCCLXVI. 1403, 1 Augusti, Ragusii.

Rector communis Ragusii Johannes Menze cum minori consilio rogatorum fratrem Marinum de „Bodaza“, ordinis s. Francisci „in vicariatu Bossine“ custodem, „Jadram . . . ad regem Ladizlaum ac ad certos barones“ mittit committendo ei, ut ea, quae scriptis mandata sunt, exequatur. Petitur auxilium contra Bosnae regem Ostoiam, qui, quum commune sese ipsi subiicere nollet, eius districtum cum exercitu aggressus est.

Nuncius adeat etiam vojvodam Chervoie, „si tunc erit in Jadra", ipsi eandem querelam renovando.

Gelcich et L. Thallóczy: Diplomatarium ... reipublicae ragusanae, Budapestini 1887, pag. 117.

CCCLXVII. 1403, 11 et 23 Augusti, Ragusii.

Commune ragusinum regi Sigismundo, „in Bossine partibus potencialiter constituto", per nuncios suos perfert ad notitiam, „principem Celopiam contra fratrem obtinuisse victoriam"; despotam Serviae, „qui victe parti foverat", Constantinopolim aufugisse, quem imperator inde „cum galleis suis versus Vlachie partes remigare fecisse fertur; post que dux Voch, illius frater, cum nepote Lazaro, quos in auxiliatores habuerit victor, versus Rassie partes tenderet, opponens se silvis Auranis".

Gelcich: Diplomatarium, p. 123—4.

CCCLXVIII. 1403, 1, 20, 27 Septembris, Venetiis.

Libere expediatur nuncius „ad partes Dalmisse" et ad regem Bossine „ad videndum locum, ubi vult mercatores venetos debere esse", et audiendas conditiones, sub quibus vellet mercatoribus venetis permittere in Bosnia mercaturam. Nuncius regis Bossine nobilis vir Gregorius revertatur; venetus expediatur ad regem.

Ljubić: Listine V, 14, 17.

CCCLXIX. 1403, 24 Septembris, Ragusii.

Rector Clemens de Goze et commune ragusinum Raphaeli de Goze et Michaeli de Resti, nunciis suis in Bosnam ad regem Sigismundum, comitem Paulum et vojvodam Sandal etc. committit, ut Paulo et Sandalo amicitiam communis in memoriam revocent; ipsisque, si fama de bosnensis exercitus dissipatione vera est, coram rege Sigismundo interventum offerant.

Gelcich: Diplomatarium, p. 127—131.

CCCLXX. 1403, 9 Octobris, Venetiis.

Nuncio veneto ad regem Bossinae Marco Dandulo committitur, ut examinet locum Dalmisse, quem rex offert pro statione mercatorum venetorum, item investiget, an non daretur aptior locus; offerat regi salem Istriae.

Nuncio datae quoque litterae pro „magno vaivoda Bosinensi Hervoja".

Ljubić: Listine, V, 21.

CCCLXXI. 1403, 4 Novembris, Spalati.

„Die 4 Novembris 1403 ... presente ... domino Peregrino archiepiscopo (spalatensi) ... Hervoye, dux Spalati .. ac Bosnae summus voyvoda .. pacem et concordiam „inter nobiles cives Spalatenses, videlicet intrinsecos ex una parte et extrinsecos ex alia", stabilit.

Lucić: Memorie di Traù, p. 384.

CCCLXXII. 1403, 13 Novembris, Venetiis.

Ragusino communi ad ipsius litteras 9 Octobris „de insultibus et novitatibus factis per Bossinenses contra ipsos Raguseos“ respondeatur, quod non sit dandum auxilium Bossinensibus, quia Veneti non solent dare „alicui favorem contra christianos“; se tamen cum rege Bossine, qui „est nobilis et civis noster et amicus carissimus nostri dominii“, in amicitia perseveraturos.

Ljubić: Listine, V, 26—28.

CCCLXXIII. 1403, 16 Novembris, Ragusii.

Rector Marinus de Buzignolo et consilium ragusinum Michaeli de Resti et Franco de Baxeio, nunciis ad regem Hungariae, committunt, ut primum invisendo Hervojam ipsi congratulentur de sua in ducatum exaltatione; dein requirant, ut regem Ostojam avertat a bello contra Ragusium; duci ponant ob oculos ingratitudinem regis Ostojae erga illum, quum tamen, quamvis „humilis conditionis“ esset, iliius ope rex factus sit; duci offerant auxilium, si ipse ad Bosnae solium aspirat; quod si respueret, recordentur, digniores inter Cotromanich rege Ostoja adesse; promptitudinem ducis de pace inter Bosnam et Ragusium paranda acceptent.

Gelcich: Diplomatarium, p. 131—143.

CCCLXXIV. 1403, 11 Decembris, Ragusii.

Rector Marius de Chaboga cum consilio Paschali de Resti, Natali de Procullo et Theodoro de Prodanello, nunciis suis Catharum exmissis, inter caetera committit: commune ragusinum compulsum est ad bellum Bosnensibus inferendum, in quo neutralitatem Catharensium requirant.

Gelcich: Diplomatarium, p. 146. Iidem nuncii praeterea instruuntur, qualiter Bosnensibus damnum inferent et contra illos gentes suscitabunt. Ibid. p. 148—150.

CCCLXXV. 1403, 19 Decembris, Ragusii.

Rector et consilium ragusinum suis in Hungaria nunciis Michaeli de Resti et Franco de Baxeio notificat, sibi banum de Morouich litteris notum reddidisse, regem Ostojam a rege Sigismundo iterum in prius servitium receptum esse; ita etiam Ragusinis veterem usum in Bosnia velut tempore regis Tvrtko restitutum, ipsorumque terras, a rege Ostoja ob Paulum Radissich ablatas, revindicandas. Transponuntur nunciis plures litterae regum et primorum Bosnae de terris Ragusio cessis.

Gelcich: Diplomatarium, p. 150—5.

CCCLXXVI. 1403, 27 Decembris, Ragusii.

Rector etc. Hrvoje, duci spalatensi, inuunt se cuncta, quae ipse dux cum rege Bosnae tractaverat, a Ratko intellexisse, qui et responsum referret.

Pucić: Споменици србски, p. 51.

CCCLXXVII. 1403, 27 Decembris, Ragusii.

Rector et commune ragusinum duci Hrvoje ad ipsius litteras missas per nuncios Ratko et Vlahuša, in quibus notas reddit dissensiones suas cum rege Ostoja, respondent.

Pucić: Споменици србски, I, 51.

CCCLXXVIII. 1404, 7 Januarii, in „Pod Visoko".

Stephanus Ostoja, rex Bosnae, arces et possessiones Paulo Klesić vojevodae ereptas, nominatim castrum in Dlamoč, et possessiones in Dlmno et Bosna, unico castro Visuki et maritima reservatis, a se eidem restitutas, traditasque ad manus senioris (дѣдь), ipsius presbyteris (стропникомь) et toti bosnensi ecclesiae, reipublicae ragusinae annunciat.

Pucić: Споменици србски, p. 50.

CCCLXXIX. 1404, 8 Januarii, in Janići.

Episcopus „ecclesiae Bosnensis" (Patarenae) pro hospitio Paulo Klesić praestito gratias agit reipublicae, rogatque, ut eadem dicto Paulo etiam apud regem favere velit.

Nuncii regis Ostojae et episcopi (дѣдь): starac Mišljen, starac Lelko, christianus Stojan, christianus Ratko, christianus Radosav, christianus Radak, et christianus Dobrašin.

Pucić: Споменици србски, p. 50.

CCCLXXX. 1404, 15 Januarii, Zvečaj.

Hrvoje, dux Spalati, et commune Ragusii ineunt foedus contra Ostojam, regem Bosnae. Hrvoje sese obligat, exercitum suum missurum in terram Hum et ibi Paulum Radišić proclamaturum in regem Bosnae, illumque sua potentia succolaturum. Scripsit diaconus Milivoj.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monum. serbica, p. 252.

CCCLXXXI. 1404, 1 Martii, Ragusii.

Rector et commune ragusinum permittunt, ut domina Vlčica cum suis natis Vlk et Branivoj, tempore belli bosnensis, in urbe Ragusii ad libitum commorari possit.

Pucić: Споменици србски, p. 52.

CCCLXXXII. 1404, 13 Martii, Venetiis.

Nuncio Marco Dandulo ad litteras 29 Decembris (1403) Spalato, ubi invenit ducem Hrvoje, missas, respondeatur, ut a rege Bossine interea requirat „patentia privilegia atque litteras", „per que Veneti libere et secure et sine solutione" in Bosnia „mercari" possent; decisum vero circa Dalmissam subsecuturum, postquam Venetias reversus fuerit.

Eidem committitur similiter cum duce Hrvoje tractare „de franchisiis, libertatibus et beneficiis, que videtur esse dispositus facere mercatoribus venetis".

Ljubić: Listine, V, 36—38.

CCCLXXXIII. 1404, 14 Martii, Ragusii.

Rector et commune ragusinum regem Ostojam requirunt, ut territorium, quod durante bello occupaverat, nunc, iudice Sigismundo rege, reipublicae ragusinae restituat, et cum illa pacem ineat.

Pucić: Споменици србски, p. 52.

CCCLXXXIV. 1404, 14 Martii, Ragusii.

Rector et commune ragusinum Hrvoje, duci Spalatensi, gratulantur de pace cum Ostoja, rege Bosnae, inita, orantque, ut et rempublicam in pace, cum dicto rege firmanda, iuvet.

Pucić: Споменици српски, p. 52.

CCCLXXXV. 1404, 15 Martii, Ragusii.

Rector et commune ragusinum Sandali vojevodae enunciant, se hominem eius Nenad dictum, hucdum retentum, intercessione Hervoje eidem duci liberum remittere; orantque ut et ipse captivos ragusinos remittere non omittat.

Pucić: Споменици српски, p. 53.

CCCLXXXVI. 1404, 26 Martii, Ragusii.

Rector et commune ragusinum Hrvoje, duci Spalati, significant, comitem Paulum inter urbis amicos adoptatum esse, prouti adoptati erant comes Vukac et vojvoda Sandal.

Pucić: Споменици српски, p. 54.

CCCLXXXVII. 1404, 30 Martii, Ragusii.

Rector Marinus de Bodaza Marino de Caboga et Nicolao de Poza nunciis apud regem Bosnae committit, ut requirant, quo rex hominibus vojvodae Radiz iniungeret, ne molestarent terras circa Stagnum; et si pax inter regem Bosnae et Hungariae concluderetur, ut privilegia ragusinorum mercatorum inviolata manerent.

Gelcich: Diplomatarium, p. 155—6.

CCCLXXXVIII. 1404, 1 Aprilis, Neapoli.

Ladislaus rex Hrvojae, vojevodae Bosnae, suoque in Hungaria, Dalmatia et Croatia vicario generali mandat, ut procuratorem Ostojae, regis Bosnae, in possessionem proventuum medietatis tricesimi in civitatibus Tragurii et Sibenici aliisque Dalmatiae partibus, a se eidem donatorum inducat, et accurate pendi faciat.

Item Dragissae de Glas donat possessiones rebellium filiorum Berislavi in comitatu de Posega.

Regest. Andegaven. in tabular. neapolitano, vol. 367, fol. 17. Dr. *Fr. Rački*: in Arkiv VII, p. 53—4.

CCCLXXXIX. 1404, 6 Aprilis, Posonii.

Sigismundus rex recensens merita mačvanensis bani Joannis de Maroth ait inter caetera: „Dum valida potentia Turcarum cum Bosnensibus fluvium Savam transfretasset et de Posega hostiliter subintrasset, idem Joannes stragem inter eosdem perpetravit. Tandem dum nonnulli praelati proceresque regem Ladislaum ... in hoc regnum nostrum inducere voluissent, Emericusque Bebek prior Auranae, qui ferme tocius rebellionis et defectionis auctor fuerat et causa efficiens, Paulum Bissenum de Eurghede, Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae banum, captivassent, captumque

praedicto Ladislao pro encenio destinassent, tunc idem Joannes banus eundem priorem de regno Slavoniae ad regnum Bosniae simul cum suis sequacibus expulit".

Fejér: Cod. dipl. X, 4 p. 255–302.

CCCXC. 1404, 20 Aprilis, Ragusii.

Rector cum consilio suis nunciis in Hungaria Michaeli de Resti et Francho de Baxeia admirationem exprimit, quod post litteras per Millovez adportatas 12 Martii nil de determinatione regis Sigismundi quoad Bosnae regem Ostojam retulerint, praeter quam nuncio Ostojae Porunzae imposuerit, velle ut Ragusio restituantur terrae per Bosnenses in bello occupatae; praeterea notum facit, quod de voluntate ipsius regis Bosnae miserint ad ipsum nuncios Marinum de Chaboga et Nicolaum P. de Poza, qui regi occurrerunt in Bissize, eumque usque ad „Podvixochi" comitati sunt. Res ragusinas commendent Sigismundo.

Gelcich: Diplomatarium, p. 157—9.

CCCXCI. 1404, 22 Aprilis, „apud Visochum".

„Hostoia Rassie, Bossine et partis maritimae" etc. rex inito cum nuncio Marco Dandulo tractatu et habito consilio cum comite Paulo Radinovich, vayvoda Vochomir Jurievich, vayvoda Paval Clisich et vayvoda Radiz Sanchovich et comite Radoe Radosalich, suis baronibus, concedit Venetis privilegiales de libero mercaturae exercitio in regno Bosnae, et „quod flumen Narenti et omnia alia flumina et omnes alie aque dulces et salse tocius regni sint aperte Venetis".

Ljubić: Listine V, 39—41.

CCCXCII. 1404, 30 Aprilis, Ragusii.

Rector nunciis in Bosna Marino de Chaboga et Nicolao P. de Poza ad ipsorum litteras die 25 Aprilis datas in Podvixochi, in quibus retulerunt de tractatu circa ragusina negotia in conventu (sboro) inter regem et barones Bosinae, respondet, ut expositis Ragusio in bello illatis damnis agant de pace, utque, si eadem non succederet, scribant ragusinis nunciis in Hungaria, litterasque Illochum ad manus Georgii de Palmotta expediant.

Gelcich: Diplomatarium, p. 159—161.

CCCXCIII. 1404, 27 Maii, Ragusii.

Rector et commune ragusinum Hrvoje duci spalatensi scribit, se per legatos exposuisse Sigismundo regi omnes iniurias, quas Ostoja, rex Bosnae, reipublicae fecerat.

Pucich: Споменици српски, p. 54.

CCCXCIV. 1404, 16 Junii, Neapoli.

Ladislaus rex „Hervoyam . . . ducem . . . in regnis Hungarie, Dalmatie, Croatie et Bozne, vicarium consiliarium . (et) fideles . . . omnes dictorum

regnorum . . . Bosnae, Dalmatiae, Croatiae etc.“ duci et consilio Venetiarum commendat.

Dat in castro novo Neapoli . . die 16 Junii, 12 indict. i. e. 1404.

Lucić: Memorie di Traù, p. 385.

CCCXCV. 1404, 16 Junii, Ragusii.

Rector et commune ragusinum requirunt Sandal vojevodam, agat, ne subditi ragusini in partibus maritimis per eius homines iniuria afficiantur, et ut ipsis bona iam erepta restituantur. Dolet, quod nuncii ragusini, primores Bosnae in conventu coadunatos non adreperientes et ducem Hervojam invisentes, ipsum vojvodam non adinvenerint.

Pucić: Споменици српски, p. 54.

CCCXCVI. 1404, 18 Julii, Ragusii.

Rector et commune ragusinum comiti Paulo, qui a protovestiario Nikola plumbum titulo debiti ademerat, illudque Ragusium mittere decreverat, significat, eundem Nikolam nobilibus ragusinis debitorem esse, qui circa plumbum ius peterent.

Pucić: Споменици српски, p. 56.

CCCXCVII. 1404, 31 Julii, Venetiis.

Congratulantur Hervoje, qui per suum nuncium significaverat, „d. regem Ladislaum constituisse ipsum ducham et dominum civitatis Spaleti et vicarium generalem in partibus Dalmatie et Croatie“. Ad notitiam, „quod barones Bossine concorditer expulerint Ostoiam olim regem Bossine de regno, et instituerint alium regem Bossine, videlicet filium Tvertchonis, olim regem Bossine, qui erat civis noster“, respondeatur: memoria teneri, utrumque Tverthcum fuisse Venetis amicos; sed et de Ostoja non nisi bona dici posse, desiderarique „bonum et pacificum statum“ regni Bossine. Quod Chervoye significat, „quod non velimus habere pro malo, si inferret malum Georgio Balsa et suo filio, qui inferunt multa damna civitati et hominibus Catari“, „offerendo propterea, quod habebunt salvos et securos nostros mercatores in partibus praedictis“, advertitur, „quod dictus Georgius de Balsa et filius suus fuerunt et sunt nostri nobiles et cives“; dux vero sciet „providere taliter“, ut „amici sui et nostri poterunt vivere“ conformiter honori et utilitati suae „et nostri dominii“. Ad requisitionem, ut respublica veneta sese non immisceat in „factum Almisii“, respondetur, ipsius intentionis non esse „facere rem“, quae ei esset „molesta“. Ad petitionem concedi sibi litteras, „quod secure possit armare barchas, brigantinos et galeas“ Spalati et alibi contra sibi inobedientes, respondeatur, sui „moris non esse, impedire se in guerris alienis“.

Ljubić: Listine, V, 45—7.

CCCXCVIII. 1404, 3 Augusti, Venetiis.

„Quod serenissimus dominus rex Bossine sit noster civis Venetiarum . . . cum suis filiis et heredibus, sicut solitum est fieri aliis suis predecessoribus“.

Ljubić: Listine, V, 47.

CCCCXIX. 1404, 4 Augusti, Ragusii.

Rector et commune ragusinum Sandal vojevode respondent, se oppidum Lis'c occupavisse tanquam proprium, ab universitate bosnensi et gente Radić olim sibi legitime cessum.

Pucić: Споменици србски, p. 56.

CCCC 1404, 8 Augusti, Ragusii.

Nicolaus Gundulić Sandal vojevodae, ut, qui apud regem Tvrtko et ducem Spalati plurimum posset, reipublicae ragusinae faveat.

Pucić: Споменици србски, p. 56.

CCCCI. 1404, 14 Augusti, Ragusii.

Rector et commune ragusinum Sandal vojevodae de eius in partes maritimas proximo adventu gaudium suum litteris exprimunt.

Pucić: Споменици србски, p. 57.

CCCCII. 1404, 16 Augusti, Ragusii.

Rector et commune ragusinum Hrvoje duci supplicant, ut permitteret sal, a mercatoribus in loco Dreva portatum, divendere.

Pucić: Споменици србски, p. 58.

CCCCIII. 1404, 21 Augusti, Ragusii.

Rector et commune ragusinum Georgio et Leš Gjurašević significant, se consentire, ut milites navibus reipublicae in territorium Sandali, qui communis inimicus censetur, transvehantur.

Pucić: Споменици србски, p. 49.

CCCCIV. 1404, 26 Septembris, Ragusii.

Rector nunciis in Hungaria Michaeli de Resti et Francisco de Baxeio, ut in reditu, si rex Sigismundus iret versus Savam vel partes maritimas, ipsum sequantur; adeant quoque ducem Hrvoje.

Gelcich: Diplomatarium, p. 161—2.

CCCCV. 1405, 4 Januarii, Ragusii.

Rector etc. domino Mrkša conqueruntur, quod ipsorum mercatores contra omne ius male habuerit, et quaedam de debitis quorumdam privatorum adiungunt.

Pucić: Споменици србски, p. 73.

CCCCVI. 1405, 23 Januarii, Ragusii.

Rector etc. Hrvoje ducem requirunt, ageret, ut Joannes Trentaćević, civis ragusinus, quem Neapolitani et Dalmatini Jadrae captivum tenent, libertati restituatur.

Pucić: Споменици србски, p. 74.

CCCCVII. 1405, 6 Februarii, Ragusii.

Rector etc. Hrvoje ducem requirunt, ut suos subditos Spalatenses, qui reipublicae insulas (Curzolam) infestant, loca invadunt, diripiunt et depraedantur, puniat et a similibus patrandis cohibeat.

Pucić: Споменици српски, p. 58.

CCCCVIII. 1405, 18 Martii, Ragusii.

Rector cum consilio ragusino nuncio suo in Hungaria Francisco de Baxeio scribunt, quod Bosnenses parent se terra et mari ad aggrediendas insulas et terras ragusinas. Petat protectionem regis Sigismundi.

Gelcich: Diplomatarium, p. 162–3.

CCCCIX. 1405, 23 Martii, Ragusii.

Rector etc. Hrvoje duci de nova dignitate congratulantur, annunciant se famae, quae ad ipsos perlata est, nullam fidem habere; commendant ipsi Ragusium sciendo, quod quae ipse vult, fiant in Bosna.

Pucić: Споменици српски, p. 59.

CCCCX. 1405, 23 Martii, Ragusii.

Rector etc. gratias agunt comiti Paulo pro favore, ipsorum apud regem et ducem Hervoje legatis exhibito, quum ipse sit ex antiquis Bosnensibus et discipulus bonae memoriae regis Tvrtko.

Pucić: Споменици српски, p. 60.

CCCCXI. 1405, 24 Martii, Venetiis.

Respondeatur oratoribus Chervoie ad requisitionem de duabus galeis „cum suis fulcimentis necessariis", quod ipsa respublica veneta propter bella, quae gerit, multis opus habeat.

Ljubić: Listine, V, 53.

CCCCXII. 1405, 7 Aprilis, Ragusii.

Rector cum consilio Nicolao de Goze nuncio suo in Bosna notum facit, e litteris nuncii in Hungaria Franchi de Baxeio perspectum esse parari bellum contra ducham Chervoe, desiderari itaque, ut ipse cum rege Sigismundo rem componat. Petat a rege Bossine confirmationem privilegiorum Ragusio datorum. Procuret colloquium cum vojvoda Sandal.

Gelcich: Diplomatarium p. 163—166.

CCCCXIII. 1405, 7 Maii, Venetiis.

Nicolao Fusculo et Eustachio Caucho, oratoribus, committitur, ut vadant „ad d. Sandalem", eumque rogent auxilium ad recuperandum Scutarum et Drivastum, offerendo ipsi 3000 duc.

Ljubić: Listine, V, 54.

CCCCXIV. 1405, 23 Maii, Ragusii.

Rector etc. Sandal vojevodae significant, mandatum esse, ut omnis profugus regis, in Ston deprehensus, ad propria repellatur.

Pucić Споменици српски, p. 64.

CCCCXV. 1405, 10 Junii, Ragusii.

Rector etc. Sandal vojevodae de quodam Vlken, qui pecuniam sibi a Sandal commissam partim expenderat partim vero occultaverat, referunt.

Pucić: Споменици српски, p. 64.

CCCCXVI. 1405, 17 Junii, Ragusii.

Rector etc. Sandal vojevodam monent, equum, quo Vlken famulus utebatur, eidem vojevodae remissum esse.

Pucić: Споменици српски, p. 65.

CCCCXVII. 1405, 24 Junii, na Belih Selištih u Trstivnici.

Stephanus Tvrtko Tvrtković, rex Bosnae, habito consilio cum duce Hrvoje et comite Paolo Radinović et vojvoda Sandal, pace inita, confirmat donationem factam Ragusinis totius Primorje pagorum Lisac, Imotica et Trnovica, quae usque ad bellum cum rege Ostoja pacifice possederant. De damnis tempore belli illatis Ragusaeis iudicet comes Vlkac Hranić cum altero Bosnensi. Jurant cum rege: dux Hrvoje, comes Paulus Radinović, comes Vukac Hranić, vojvoda Sandal Hranić, comes Baoša Hercegović, comes Radoe Radosalić, comes Radoe Dragosalić, comes Batić Merković, comes Radosav Priboević, comes Vladisav Demčić, comes Vuk Rogatić et comes Belica Belhanić Scripsit regis diaconus Novak Goičinić.

Dr. *Fr. Miklošić:* Monum. serbica, p. 253.

CCCCXVIII. 1405, 27 Junii, Ragusii.

Rector etc. comiti Hrebeljan fratribusque eius dant potestatem in urbem veniendi, et ibi ad libitum commorandi.

Pucić: Споменици српски, p. 65.

CCCCXIX. 1405, 3 Julii, Ragusii.

Comes, nobiles et totum commune Ragusii comitem Vukac et fratrem eius Sandal et eorum masculam prolem recipiunt inter nobiles et senatores, donant eis palatium in urbe prius Radić Sankovićio donatum, terramque in Primorje et promittunt se comitem Vukac et fratrem eius Sandal et uxores et liberos eorum in urbem recepturos esse. Scripsit logotheta Rusko.

Dr. *Fr. Miklošić:* Monum. serbica, p. 257.

CCCCXX. 1405, 29 Augusti.

Rex Sigismundus bano mačvensi Joanni de Maroth privilegia et bona firmando merita eius extollit: „Joannes banus d. Ozthoyam regem Boznae, alias nostrae celsitudinis rebellem . . . ad nostra beneplacita in tantum alicere et inducere valuit et scivit, ut idem rex Ozthoya . . . cum cunctis regnicolis suis nostrae maiestatis ditioni sese obligavit. Tandem nonnulli magnates regni Boznae ipsum regem Ozthoyam de dicto regno suo excludere volentes, ipsoque Ozthoye rege ea de causa Budam accedente a nostra maiestate auxilium sibi dare postulavit". Exmissus cum exercitu

banus Joannes „castrum principale ipsius regis Ozthoyae Babulch (Bobovac) vocatum, ubi corona ipsius regni Boznae conservatur et consors regis Ozthoyae cum liberis residebat, obtinuit", quod a duobus annis retinetur in manibus regis Sigismundi.

Fejér: Cod. dipl. X, 4 p. 385.

CCCCXXI. 1405, 13 Septembris, Venetiis.

Oratoribus regis „Bossine" et Chervoye ad requisitionem „de factis Catari" respondetur, quod respublica se in haecce immiscere nolit; loca vero Dulcigno, Buduam et Antivari se tanquam „bene ac iuste acquisita" tenere.

In senatu die 18 e. m. celebrato eliguntur comites pro Dulcigno, Antivari, Drivasto et Budua.

Ljubić: Listine, V, 63—4.

CCCCXXII. 1405, 22 Septembris, Ragusii.

Comes, nobiles et totum commune Ragusii Stephanum Tvrtko Tvrtković, regem Bosnae, pace composita, inter nobiles et senatores cooptant, eique palatium in urbe, quod prius fuerat regis Ostojae, et terram in Primorje donant.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monum. serbica, p. 260.

CCCCXXIII. 1405, 5 Octobris, Ragusii.

Rector etc. županо Toliša scripto enunciant, Ragusium esse urbem liberam, in quam aditus cuique patet; unde libere venire poterit, si compelleretur exercitu hungarico.

Pucić: Споменици србски, p. 65.

CCCCXXIV. 1405, 15 Octobris, Ragusii.

Rector etc. Hrvoje, duci Spalati, candide aperiunt, rempublicam nihil inimicitiae in eundem ducem et Dalmatinos meditari.

Pucić: Споменици србски, p. 66.

CCCCXXV. 1405, 21 Octobris, Ragusii.

Rector etc. Tvrtko Tvrtković, regi Bosnae, supplicant, ut merces ragusinas, ex navi veneta vi ablatas et Jadram portatas, restitui curet, quum Ragusium foveat pacem cum Bosna.

Eodem anno et die in eundem modum etiam Hrvoje duci, et Sandali vojevodae scriptum est.

Pucić: Споменици србски, p. 66, 67, 69.

CCCCXXVI. 1405, 22 Octobris, Ragusii.

Rector etc. comiti Paulo, quod Ragusium venire et ibidem libere commorari possit, nunciant.

Pucić: Споменици србски, p. 69.

CCCCXXVII. 1405, 23 Octobris, Viterbii.

Innocentius PP. VII. concedit, ut fratres Bosnenses possint recipere conventum, quem „Joannes de Maroth, banus machoviensis quinqueecclesiensis diocesis ... in ... suo oppido Athia nuncupato dicte dioecesis ... pro sue anime salute ... sub vocabulo ... s. Spiritus, pro usu et habitatione unius guardiani et fratrum, qui ibidem resideant ... canonice fundaverat".

Sacre religionis ... Dat. Viterbii x. kal. Novembris an. i.

Wadding: Annal. minor. tom. IX, p. 492.

CCCCXXVIII. 1405, 27 Octobris, Ragusii.

Rector etc. Hrvoje duci protestantur, se nihil in Dalmatinos moliri; rogant ut merces, nuper Ragusinis vi ereptae, eius auctoritate, restituantur.

Pucić: Споменици српски, p. 69.

CCCCXXIX. 1405, 15 Novembris, Ragusii.

Rector etc. Hrvoje duci gratias agunt, pro industria in restituendis mercibus locata, et significant fr. Laurentium eorum legatum destinatum esse, qui dictas merces Ragusium reveheret.

Pucić: Споменици српски, p. 71.

CCCCXXX. 1405, 23 Novembris.

Sigismundus rex Petro de Peren filiisque Simeoni et Joanni confirmat privilegia ob merita sibi praestita, praecipue contra Hrvoje ducem „partes Boznae hostiliter detinentem".

Fejér: Cod. dipl. X, 4 p. 398.

CCCCXXXI. 1405, mense Novembris, Ragusii.

Rector etc. Sandal vojevodae indicant, mercatores ragusinos, quibus nuper merces per bosnensium amicos ereptae sunt, mercaturam in Bosna facere non posse; rogant proin, ut et ille de iis restituendis ageret; desiderari, ut inter Bosnam et Hungariam pax sit.

Pucić: Споменици српски, p. 70.

CCCCXXXII. 1405, 27 Decembris, Ragusii.

Rector etc. regem Stephanum Tvrtko Tvrtković significari sibi requirunt, quando et quorsum ad unum e tribus locis (Popovo, Trebinje, Konavlje) duos nuncios mittant, qui iuxta decretum regni cum comite Vukac Hranić et alio Bosnensi damna, praeterito bello a comite Paulo et Sandali vojevoda reipublicae illata, expenderent, et erepta tandem restitui decernerent.

Pucić: Споменици српски, p. 72.

CCCCXXXIII. 1405, 27 Decembris, Ragusii.

Rector etc. rogant a comite Vlk'c informari de loco, in quo exmissi regii, pro recognoscendis reipublicae limitibus, conventuri sint.

Pucić: Споменици српски, p. 73.

CCCCXXXIV. 1406, 20 Martii, Ragusii.

Rector etc. orant Hrvoje ducem, indicet, qua via Spalatum petiturus sit, ut legatum opportune mittere valeant.

Pucić: Споменици србски, p. 78.

CCCCXXXV. 1406, 4 Maii, Ragusii.

Commune ragusinum fidem facit de percepto per nuncium Pribisavum Pohvalić deposito Annae, relictae quondam bani Vlk Vlkčić, nomine ipsius et vojvodae Sandal eiusque uxoris Catharinae (Сандалиевице).

Pucić: Споменици србски II, 49—51. Ad hocce depositum referuntur plura documenta 1406—7. Ibid. p. 51—60.

CCCCXXXVI. 1406. 15 Maii, Vesela Straža.

Fr. Marinus a Spalato vicarius Bosnae ordinis s. Francisci commendat memoriae, „quomodo rex Ostoya de Bozna, considerando servitia, quibus servierunt praedecessores comitis Brajano Ohmuchevich Gargurich et specialiter vajvoda Granisav Ohmuchevich, pater denominati c. Brajani, tum suis praedecessoribus quam sibi, nec non ipse comes Brajano et eius filii Radivoj, Stephanus et Radlav, „transeunte heri aula per istum locum Vesela Straža intravit ecclesiam et facta oratione praedictus rex Ostoja et cum illo comes Brajano venit ad nos ad capitulum", ubi dictum c. Brajanum cum filiis „propter illorum fidelia servitia tempore, quo me expulit Bozna, quo in sola civitate Bobovaz detinebar", concredidit protectioni ecclesiae una cum illius bonis et possessionibus.

Fejér: Cod. dipl. X, 4 p. 552.

CCCCXXXVII. 1406, 19 Maii, Ragusii.

Senatus reipublicae ragusinae significat Sigismundo, regi se „litteras ... regiae maiestatis datas Budae die primo Aprilis per venerabilem fratrem Petrum, guardianum Corbavie", recepisse atque intellexisse" quae „super matrimonio" idem frater Petrus recitaverat.

J. Gelcich et L. Thallóczy: diplomatarium ... reipublicae ragusanae Budapestini 1887 p. 167.

CCCCXXXVIII. 1406, 8 Junii, Venetiis.

Oratoribus regis Ladislai et ducis Chervoye ad requisitionem, ut Sandali, „qui est dominus in partibus Albanie", terrae per Venetos acceptae restituantur d. Helenae condam Georgii Strazimiri et eius filii Balsae, respondetur, illas terras a Venetis emptas fuisse, quum per Georgium Strazimiri et Balsam sibi oblatae essent, quia eas contra Turcas tenere non poterant.

Ljubić: Listine, V, 78—9.

CCCCXXXIX. 1406, 12 Junii, Venetiis.

Oratoribus regis Ladislai et ducis Chervoye ad requisitionem, ut Budua et Catarum restituantur Sandali, respondetur, brevi mittendos esse Venetos nobiles ad illas partes informationis gratia, postmodum responsum accepturi.

Ljubić: Listine V, 80—81.

CCCCXL. 1406, 16 Julii, Ragusii.

Rector cum consilio nuncio suo in Bosna committit, ut vojvodae Sandal, si de novis in Hungaria ipsum interrogaret, respondeat, agi de pace inter regem Hungariae et ducem Austriae.

Gelcich: Diplomatarium, p. 170.

CCCCXLI. 1406, 13 Septembris, Ragusii.

Rector etc. Ostojae, regi Bosnae ad ipsius epistolam missam per Vlcum Uzinović renunciant, liberum esse illi una cum suis urbem petere et ibidem ad libitum commorari; debita sua, quod attinet, ipse eadem cum creditoribus solus componat.

Pucić: Споменици српски, p. 79.

CCCCXLII. 1406, 15 Septembris, Neapoli.

Ladislaus rex duci Hrvoje suo consiliario donat castrum Prozor, ab eodem aedificatum, cum universis pertinentiis; nobilibus vero, praecipue illis „qui sunt de genere Ciubranich" item Johanni „Misilenovich" ceterisque villanis et iobagionibus, ut „serviant et servire teneantur dicto domino duci".

Arkiv VII, 58.

CCCCXLIII. 1406, 15 Septembris, Neapoli.

„Eodem die factae sunt pro eodem viro magnifico Ervoye, duce Spaleti et suis heredibus masculini sexus . . . in perpetuum de concessione castri Sriny in regno Sclavoniae siti et habiti, quod fuit Pauli de Srinio, rebellis nostri notorii et per eum indebite detenti ad praesens per ipsius utique Pauli rebellionem et lese nostre maiestatis crimen, quod incurrit adherendo, parendo et assistendo Sigismundo, olim marchioni Brandeburgico. Sub data ut supra".

Regest. Andegaven. in tabular. Neapolitano vol. 369 fol. 91. Dr. *Fr. Rački:* in Arkiv VII, p. 59.

CCCCXLIV. 1406, 15 Septembris, Neapoli.

„Eodem die similes factae sunt pro magnifico viro Sandali, summo vojvoda regni Bozne de cessione infrascriptarum villarum, locorum et tenuitarum, scilicet: Arestulini, Cetin et Sluny in regno nostro Sclavonie sitarum, quae fuerunt Nicholai, olim Segnie, Veglie et Modrusii comitis et olim comitum Corbaviae, nostrorum notoriorum rebellium. Sub. dat. ut supra.

Regest. Andegaven. in tabular. neapolitano, vol. 369. Dr. *Fr. Rački:* Arkiv VII, p. 60.

CCCCXLV. 1406, 20 Septembris, Ragusii.

Rector etc. Sandal vojevodae respondent, stemma gentilitium in fronte eius palatii, prout desiderat, positum iri; regem Ostojam, qui in urbe refugium quaerit, ingressu urbis prohiberi non posse.

Pucić: Споменици српски, p. 80.

CCCCXLVI. 1406, 22 Octobris, Ragusii.

Rector etc. Sandal vojevodae scribunt, neminem ex eius subditis in territorium reipublicae scienter receptum esse, et adiungunt quaedam de sale vendito.

Pucić: Споменици србски, p. 80.

CCCCXLVII. 1406, 22 Octobris, Ragusii.

Rector etc. ducem Hrvoje requirunt, prohibeat cuidam, Jakubuč dicto, ne ragusinis iniurias inferat, et quaedam de sale addunt.

Pucić: Споменици србски, p. 81.

CCCCXLVIII. 1406, 1 Novembris, Ragusii.

Rector etc. Tvrtko Tvrtković, regi Bosnae, renunciant, se non posse permittere, ut valachi Kujavić in territorio reipublicae hiemarent.

Pucić: Споменици србски, p. 82.

CCCCIL. 1406, 20 Novembris, Ragusii.

Rector etc. Sandal vojevodae significant, quod certam pensionem „mogoriš“ dictam, quae ipsos attineret, non acceperint etc.

Sandal vojevoda consilio reipublicae, ut homini suo, quem miserat, pensionem „mogoriš“ dictam tradant.

Pucić: Споменици србски, p. 82.

CCCCL. 1406, 26 Novembris, Ragusii.

Rector etc. Sandal vojevodae notum faciunt, navem esse paratam, quae regem Ostojam, si ex Bobovac exiret et Ragusium petere vellet, exceptum in urbem deduceret.

Pucić: Споменици србски, p. 82.

CCCCLI. 1406, 27 Novembris, Ragusii.

Rector etc. Hrvoje duci nunciant navem ragusinam in promptu esse, quae regem Ostojam, qui Bobovac derelinquere intendit, ex loco Dreva in urbem transveheret; porro rogant, ut merces, quas capitaneus Jadrensis abstulerat, ragusinis restitui curet.

Pucić: Споменици србски, p. 83.

CCCCLII. 1406, 6 Decembris, Ragusii.

Rector etc. requirunt Hrvoje ducem, ut rempublicam benevolentiae regis Ladislai commendare velit.

Pucić: Споменици србски, p. 83.

CCCCLIII. 1406, 15 Decembris, Ragusii.

Rector etc. respondent regi Bosnae, Tvrtko Tvrtković, se non posse concedere, ut valachi, qui alias ibidem hiemando multa damna reipublicae intulerant, in territorio ragusino hybernarent.

Pucić: Споменици србски, p. 84.

CCCCLIV. 1406.

Ladislaus Hungariae, Croatiae rex etc. Tvrtkum II. qua regem Bosnae confirmat omniaquae iura, privilegia et consvetudines rata habet.

Datae in castro . . . prope Neapolim . . . an. MCDVI die XXVI Augusti.

Lucić: De regn. Dalm. et Croat. libr. V, cap. IV, p. 422.

CCCCLV. 1407, 22 Januarii, Ragusii.

Rector etc. vojvodae Georgio et comiti Sanko rescribunt, non posse rempublicam minoris momenti damna, quae tempore belli bosnensis per suos homines illata fuerant, resarcire.

Pucić: Споменици српски, p. 85.

CCCCLVI. 1407, 12 Februarii, Ragusii.

Stevo et Mihoč Lukarević vojvodae Sandal exprimunt dolorem de eius cum fratre Vlkac discordia.

Pucić: Споменици српски, I, 85.

CCCCLVII. 1407, 15 Martii, Ragusii.

Rector etc. Annae banicae, Sandal vojevodae et Catharinae Sandaljević significant, se duos cingulos pretiosos, in urbe depositos, tradidisse ipsorum famulo Pribisav Pohvalić, a quo etiam acceperunt numeratos 8564 nummos turcicos (aspre).

Pucić: Споменици српски, p. 85.

CCCCLVIII. 1407, 15 Martii, Beneventi.

Ladislaus rex civitati et communitati sibenicensi iterum confirmat possessiones et molendina data illi a suo generali vicario Hrvoja, supremo vojvoda Rasciae et Bosnae.

Regest. Andegaven. in tabulario neapolitano, vol. 369 fol. 75. Dr. *Fr. Rački*: Arkiv, VII, p. 162. *Ljubić*: Listine, V, 93.

CCCCLIX. 1407, 23 Martii, Fogiae.

Ladislaus rex duci Hrvojae, suo vicario generali, mandat, ut nobilem puellam Pelegrinam seu comitem „Petriczam“ in possessionem villae „Radosich“ ad confinia regii castri Clissii sitae, regia auctoritate introducat.

Regesta Andegaven. in tabular. neapolitano, vol. 369 fol. 144. Dr. *Fr. Rački*: Arkiv VII, p. 68.

CCCCLX. 1407, 23 Martii, Fogiae.

Ladislaus rex „Zandalio“ summo vojevodae bosnensi, confirmat omnes donationes a se illi factas et praecipue castrorum „Ostrovich et Scardonae, ac privilegia et litteras . . . exinde subsequutas et subsequuta“, in quarum possessionem vult illum induci per Julianum de Rogerio, suum in Dalmatia commissarium.

Regest. Andegaven. in tabular. neapolitano, vol. 369, fol. 144. Dr. *Fr. Rački* Arkiv VII, p. 66.

CCCCLXI. 1407, 1 Aprilis, Ragusii.

Rector etc. duci Hrvoje indicant, dolere se, quod rex Ostoja, reipublicae diffidens, in urbem venire nolit.

Pucić: Споменици србски, p. 86.

CCCCLXII. 1407, 4 Maii, Ragusii.

Rector etc. Sandal vojevodae conqueruntur, quod a rege Ladislao tanquam inimici tractentur.

Pucić: Споменици србски, p. 86.

CCCCLXIII. 1407, 2 Junii, Ragusii.

Rector etc. scriptis Sandal vojevodae litteris conqueruntur ob damna, quae Ladislaus rex ipsis continuo infert.

Pucić: Споменици србски, p. 87.

CCCCLXIV. 1407, 8 Julii, Ragusii.

Rector cum consilio regi Sigismundo inter caetera referunt: „Nostri mercatores testantur, quod Teucri omnes, habitantes Bossinam et alias ultramarinas partes, continuo ad priores transeunt lares".

Gelcich: Diplomatarium p. 173.

CCCCLXV. 1407, 23 Julii, Ragusii.

Rector cum consilio regi Hungariae Sigismundo inter caetera referunt, percepisse se, nuncium domini Teucrorum „se dedisse versus partes Bossine ad Hervoi cum securitate, deinde ad vestram regiam maiestatem inter ipsam et dictum Chervoi concordium querere fictis simulationibus, ut huius querende pacis velamine felices inceptus ipsius maiestatis blande decoctione temporum tardarentur".

Gelcich: Diplomatarium p. 172.

CCCCLXVI. 1407, 13 Augusti, Ragusii.

Rector etc. Georgio vojevodae respondent, facultatem urbem intrandi, ipsi anno adhuc 1396 concessam, in suo vigore continuo permanere.

Pucić: Споменици србски, p. 88.

CCCCLXVII. 1407, 2 Septembris, Ragusii.

Rector et commune ragusinum duci spalatensi Hrvoje contestatur suam amicitiam.

Pucić: Споменици србски, I, 89.

CCCCLXVIII. 1407, 3 Septembris, Ragusii.

Rector cum consilio nuncio suo in Hungaria Marino Junii de Bona committunt, ut praepediat, ne rex Sigismundus terram Epidauri cum vicinis, quae elapso bello cum Bosnensibus multam passae sunt, aliis offerat.

Gelcich: Diplomatarium p. 174.

CCCCLXIX. 1407, 5 Septembris, Ragusii.

Rector etc. comiti Paulo, quod libere possit in Ston vel urbem intrare.

M. Pucić: Споменици србски, p. 90.

CCCCLXX. 1407, 13 Septembris, Ragusii.

Rector etc. Sandal vojevodae declarant comitem Georgium Vlkasović, amicum Ragusinorum, posse, cum libuerit, urbem ingredi.

Pucić: Споменици србски, p. 90.

CCCCLXXI. 1407, 22 Septembris, Toplice.

„Nos Hrvoye d. g. dux Spalati, inferiorumque partium comes, nec non vicarius generalis serenissimi principis d. Vladislai d. g. regis Hungar., Hierusal., Sicil., Dalm. et Croatiae regis incliti."

Datum sub castro nostro Toplice feria quarta post festum b. Mathei apost. et evang. anno domini 1407.

Lucić: Memor. di Trau, p. 390.

CCCCLXXII. 1407, 29 Octobris, Ragusii.

Rector etc. gaudium suum Sandal vojvodae manifestant ob bellum inter Sigismundum regem et vojevodam ipsum feliciter evitatum.

M. Pucić: Споменици србски, p. 90.

CCCCLXXIII. 1407, 9 Novembris, Senis.

Gregorius PP. XII. omnes fideles ad sequenda Sigismundi regis, bellum in Turcos parantis, signa sollicitat, commedata in hostem concordia et noxarum venia proposita. „Nam, ait pontifex, pars magna christianorum per huiusmodi Turcos . . de regnis et partibus Constantinopolitanis, Valachiae, Hungariae, Bosnae, Dalmatiae, Crovatiae, Ramae, Serviae, Comaniae, Bulgariae et aliis circumiacentibus regionibus, ad partes huiusmodi infidelium in captivitatum angustias sunt deducta . . ."

In venia domini... Dat. Senis v. idus Novembris, an. 1.

Odoric. Raynaldi: Annal. eccles. tom. VIII, p. 192.

CCCCLXXIV. 1407, 10 Novembris, Ragusii.

Rector etc. dominae Vlkavae concedit, quod possit tempore belli urbem ingredi et ibidem commorari.

M. Pucić: Споменици србски, p. 91.

CCCCLXXV. 1407, 13 Novembris, Ragusii.

Rector etc. Tvrtko Tvrtković, regem Bosnae, edocent, Valachos Kićurići in territorium reipublicae irruendo civibus magna damna intulisse; rogant regem, ut id mali impediat.

M. Pucić: Споменици србски, p. 91.

CCCCLXXVI. 1407, 13 Novembris, Ragusii.

Rector cum consilio regi Sigismundo: oblivioni dari iacturam, quam „per singulas Bossine regiones ipsi intulerint accessus"; se concipere

„Bossinam undique tam mestam, tam dubiam, tam prostratam et debilem fuisse adeo, quod quevis eciam potencia armorum debilis ipsos prostratos . . . sepeliret".

Gelcich: Diplomatarium p. 176.

CCCCLXXVII. 1407, 15 Decembris, Venetiis.

Eligantur oratores, qui cum Chervoya et Sandali agent „super facto habendi a nobis Buduam et Antivari", offerendo se, quod velint suis gentibus conservare „reliquas terras" venetas.

Ljubić: Listine V, 107.

CCCCLXXVIII. 1407, 23 Decembris, Venetiis.

Oratoribus regis Bossine et ducis Chervoye respondetur, ducem Chervoyam, comitem Joannem, summum voyvodam regni Bossine Sandal, quos commendant in cives venetos eligendos, tales iam esse; commendatos vero Georgium quondam „Radivovizi" vaivodae terrae Comi (Cholmi) ac Georgii fratrem „d. Vochizi" proxime eligendos. Unionem cum rege Bossine et duce Chervoye posse concludi eo sensu, quod ambae partes maneant obligatae „non dare aliquod auxilium aliquibus gentibus, quae vellent ire ad damna et offensiones dictarum partium vel alicuius earum". Reipublicae necessaria non esse in territoriis regis Bossinae et ducis Chervoyae, prouti offerunt, loca „apta et accomoda pro habendo portum", quum mercatores veneti libere in illis territoriis mercaturam exerceant. Vaivodae Sandal offertur Budua, si sese obligaverit, „quod cum suis gentibus velit reducere totum territorium Cente inferioris ad obedientiam dominationis venetae, et similiter expellere omnino Balsam Strazimir . . . et manutenere illum de Centa superiori . . . . et istud compleverit cum effectu usque per totum mensem Maii proximum".

Ljubić: Listine V, 107—110.

CCCCLXXIX. 1408, 4 Martii, Ragusii.

Rector cum consilio regi Sigismundo gratias agit, quod suis litteris datis „Brisii sabato proximo post diem solepnitatis katedre b. Petri apostoli" significaverit „signa fidelitatis de regno Bossine, tangentia honorem et commodum" ipsius diadematis.

Gelcich: Diplomatarium p. 178.

CCCCLXXX. 1408, 20 Aprilis, Budae.

Rex Sigismundus remuneratur virtutem Nicolai filii Stephani Garazda de Keresztur et Ladislai filii Nicolai de Zilagy, qui „nobis in aestate proxime exacta . . nostrorum aemulorum, Turcorum videlicet et Boznensium, tyranicam rebellionem tolerare non valentibus et contra eosdem validissimo nostro instaurato exercitu . . . regnum Boznae intrantibus et quamplurima castra et castella nostrae ditioni triumphaliter subiugantibus . . . castrum Branich . . . in terra Uzurae fortissimum et excelsum . . . viriliter et potenter obtinuerunt et nostris regiis manibus applicarunt".

Fejér: Cod. dipl. X, 4 p. 654.

CCCCLXXXI. 1408, 12 Julii.

Rex Sigismundus Nicolao de Gara (Gorjani) palatino et Joanni, filiis quondam palatini Nicolai, confirmat omnes possessiones ob merita sibi praestita, in specie in „reobtentione castri Dobor in Usura situati, de quo Paulus episcopus (zagrab.) infidelis . . nostros regnicolas indesinenter offendebat"; quo audito Dabissa rex Boznae" accedens ad regom se cum subditis subiecit; tum in recuperandis regnis Dalmatiae et Croatiae „per violentas manus Wolk bani" occupatis.

Fejér: Cod. dipl. X, 4 p. 752.

CCCCLXXXII. 1408, 28 Decembris, in Bosna.

Ostoja, rex Bosnae, capitaneo Georgio, comiti „Vucichio" eorumque filiis et posteris diversas possessiones in Dalmatia et Hercegovina confert.

In nomine sanctissime et individue Trinitatis Amen. Nos Ostoja, Dei gratia rex Bosnie, Vsorie, Inferioris partis, Hungarie (?) et Sclavonie (?) etc. Per has nostras patentes literas pateat omnibus ad quos pertinet, quod propter fidem et optimam servitutem nobis, Ostoje regi et filio nostro Stephano, per capitaneum Georgium et comitem Vucichium, fratres Radivojevich et eorum filios, praestitam tunc, quando a Bosnensibus expulsi fuimus, et stetimus in quodam loco, nuncupato Bobovaz, quorum opere et optima servitute ac fide erga nos praestita iterum in regnum nostrum repositi fuimus, tanquam hi, quos regnare decet, — quocirca propter eorum erga nos bene merita et fidem indubitatam, Nos Ostoja rex iureiurando in animam nostram regiam filiique nostri Stephani predicti dedimus eidem capitaneo Georgio, comiti Vucichio, eorum filiis posterisque eorum, ut quidquid aliquis eorum vel ipsorum antecessores peccaverint, aut aliquid contrarium egerint nobis aut nostratibus aut antecessoribus nostris usque ad presens, omnia (con)donavimus eis, et quod nunquam in perfidiam illis possit adscribi, nec propter hoc ipsi possint aliquod damnum pati, aliqua data opera vel ex proposito, neque clam neque palam nobis viventibus, neque in posterum, neque illi, neque eorum posteri in sempiternum.

Insuper propter hanc fidelitatem nobis Ostoje regi et filio nostro Stephano per dictum capitaneum Georgium et comitem Vucichium et eorum filios prestitam, predicto capitaneo Georgio, comiti Vucichio, eorum filiis ceterisque posteris dedimus et adscripsimus in patrimonium in secula seculorum:

Almissium civitatem una cum Primorje, ab utroque latere Cettine, videlicet Primorje usque ad Zarnovizam, cum omnibus iuribus et territoriis, que pertinent Almissio, et quod pertinebat ad Almissium temporibus regum Ludovici et Sigismundi.

Provinciam Cisalpinam et Transalpinam, dictam Gorscam Zupam, cum omnibus iuribus et territoriis.

Civitatem Crussevaz et Blato cum omnibus iuribus et territoriis.

Brochno provinciam cum omnibus iuribus et territoriis.

Lucam provinciam ab utroque latere Narente, exceptis iuribus capitanei Sandagli et eiusdem famulorum.

Et gabelas subtus Visochium.

Et barcaneum na Volivina.
Et barcaneum na Norin.
Et aliam partem Drinscoga.
Et provinciam Vechenicum usque ad Narentam, cum omnibus iuribus et territoriis, exceptis iuribus, que sunt illorum de Millatovich et Budisaljich.
Oppidum Imoschi cum provincia Imota et Posusije cum omnibus iuribus et territoriis.
Locum Duarum cum provincia Radobilie et provinciam Podsusie cum omnibus iuribus et territoriis.
Provinciam Rachitno cum omnibus iuribus et territoriis.
Provinciam Drezniza cum omnibus iuribus et territoriis.
Oppidum na Poglich et ipsa Poglia.
Provinciam Planinam cum omnibus iuribus et territoriis.
Regionem Crainam a Narenta usque ad Cetinam cum omnibus valachiis existentibus inter Narentam et Cetinam.
Neumscam regionem cum omnibus iuribus et territoriis, cum confinibus et aquis et montibus et gabellis, barcaneis et terraticis jam dicto capitaneo Georgio, comiti Vucichio, eorum filiis et posteris dedimus et damus libenti munere et alacri animo, in patrimonium in secula seculorum; nec possit istud perverti nec annulari, nec aliquid addi, nec detrahi, eidem capitaneo Georgio, comiti Vucichio et eorum filiis et posteris, et hoc aliqua de causa neque ullo modo excogitari possit, neque propter aliquod suprascriptorum delictum, quousque non incurrerint in futurum aliquam infidelitatem iidem capitaneus Georgius, comes Vuchich, et ipsorum filii Stephanus, Paulus, Nicolaus, Vlaticus, Vuk Vuchichievich et eorum posteri, que cognosci debeat Ungarica, Bosnica, Venetica et Ragusana iustitia, propter quam infidelitatem huiusmodi iustitia cognoscet eos capite puniri dignos; itaque non possint intus regnum nostrum condemnari ad vincula, neque in bonis iidem capitaneus Georgius, comes Vuchich, eorum filii et posteri.
Insuper propter maiorem erga nos gratiam et maiora benemerita dictorum capitanei Georgii, comitis Vuchichii, eorum filiorum, nos Ostoja rex et filius noster Stephanus, confirmamus iam dicto capitaneo Georgio et comiti Vuchichio, eorum filiis et posteris, omnia privilegia nostra et predecessorum nostrorum, que habent a quibuscunque regibus et potentatibus quocunque modo vel opere; et quicumque vellet contradicere huic nostre concessioni, voluntate, iustitia vel litteris vel aliquo alio opere huiusmodi contradicente. Nos Ostoja rex et filius noster Stephanus iuramus et iuravimus, quod suprascripte concessioni et privilegiis ne utique derogare volumus, nec ea in aliqua parte abrogare; et ideo iureiurando iuravimus per Deum viventem et eius genitricem Mariam virginem, per quatuor evangelistas, duodecim apostolos, quadraginta electos et omnes beneplacitos, quod nos rex Ostoja et noster filius Stephanus, vel aliquis nostrorum posterorum non contraveniemus his, que supra concessimus eisdem capitaneo Georgio, comiti Vuchichio, eorum filiis et posteris, ulla data opera nisi propter infidelitatem, prout diximus; alioquin maledicimur a sanctissima Trinitate et ab omnibus sanctis suprascriptis, et quod abiuremur Deo fidem, iustitiam et angelum Dei in die extremi iudicii Dei.

Huic adsunt testes: dominus rex cum fratribus, comes Paulus cum fratribus, comes Radoje cum fratribus, comes Butrech cum fratribus et prestantioribus Bosne, comes Radam Dragoevich et procurator comes Gjura Georgii Dragichievich. Datum Bosne, die Innocentium, in die Veneris mensis Decembris, anno millesimo quatricentesimo octavo.

1684 addi 26 Settembre. Almissa.

Gli attestati privilegi, di carte 14, furono fatti copiare da me cancelliere infrascritto, per mano a me fedele, e restarano incontrati, parola per parola, con gli autentici esistenti nella cassa della comunità d' Almissa che perciò restano corroborati con la mia sottoscrizione:

(L. S. S. N.) Gioachin Cadamuro cancelliere pretorio.

Lauro Moller cancelliere pretorio. Lauro Moller d'Almissa ho fatto copiar d' altra simile autentica esistente in un libro incontrato, sottoscritto e sigillato.

(L. S. S. M.) Lauro Moller cancelliere pretorio.

Edidit G. Alačević in Bulletino di Archeologia e Storia Dalmata per cura di G. consil. Alačević e Fr. prof. Bulić, anno VII, Dicembre 1884 p. 1888. Confer et Lucić: Memorie di Traù p. 391 ubi pars huius documenti edita est. Sublestae fidei. Versio e slavo.

CCCCLXXXIII. 1408, 29 Decembris.

Sigismundus rex, diplomate edito, Nicolai Garazda et Vladislai Szilagyi, qui in primis in expugnando castro Branić ceterisque arcibus etc. Bosnae occupandis, eminuerunt, merita extollit.

Kukuljević: Izvadci listina bosanskih, in Arkiv. II. Razd. I, p. 20. *Katona:* Histor. Critic. tom. XI, p. 750.

CCCCLXXXIV. 1409, 9 Februarii, Ragusii.

Rector etc. Hrvoje duci gratulantur ob pacem, quae inter ipsum et regem Sigismundum inita est; optant insuper, ut privilegia mercatoribus reipublicae olim concessa, in antiquo vigore suo permaneant.

M. Fucić: Споменици српски, p. 94.

CCCCLXXXV. 1409, mense Martio.

Sigismundus, Hungariae rex, Nicolaum et Dionysium Garazda, nec non Vladislaum Szilagyi inter nobiles regni cooptat, ob servitia sibi praestita, cum arcem Srebernik contra Bosnenses quatuor annos strenue defenderent; nunciat etiam pacem cum Bosnensibus et duce Hrvoja initam esse.

Kukuljević: Izvadci listina bosanskih, in Arkiv II, Razd. I, p. 21. *Katona:* Histor. Critic. tom. XI, p. 377,

CCCCLXXXVI. 1409, feria 3 ante festum purificationis.

Rex Sigismundus Paulo, filio Pauli de Ezdege, pridem Dalm. Croat. et Slav. bano et Stephano filio Gregorii de Berench donat castrum Thorna ob praestita sibi servitia. Paulus captus per condam Emericum priorem Auranae, Hervoyae assignatus, ab hoc regi Ladislao traditus, liberatus „sua cum potentia contra insultus et tumultus Ladislai et Hervoyae trans fluvium Zavae hostili cum impetu properando castrum et civitatem Byheg, quod et quae per gentes Ladislai et Hervoyae detinebantur, viriliter expugnavit".

Fejér: Cod. dipl. X, 4 p. 721.

CCCCLXXXVII. 1409, 24 Februarii.

Rex Sigismundus Nicolao et Dionysio Garazda de Mechinche et Ladislao de Szilagy confert nobilitatis insignia ob praestita sibi servitia, inprimis castrum Zrebernik in partibus Boznae per annos ferre quatuor contra Hervojam „ducem Spaleti et partium inferiorum comitem et alios Boznae barones" strenue defendendo.

Fejér: Cod. dipl. X, 4 p. 760.

CCCCLXXXVIII. 1409, 21 Julii, Ragusii.

Rector cum consilio regi Sigismundo significant, classem regis Apuliae 7 dicti mensis „gressus direxisse ad partem vetustae civitatis Ragusii, occasione loquendi cum Sandaglia, quod tamen peragere nequiverat ad alia occupato Sandaglia".

Gelcich: Diplomatarium p. 186.

CCCCLXXXIX. 1409, 21 Julii, Ragusii.

Rector etc. Hrvoje duci de navibus, quibus Jadrenses ad fidem servandam compellerentur, adunandis, rescribunt.

M. Pucić: Споменици србски, p. 96.

CCCCXC. 1409, 5 Augusti, Ragusii.

Rector etc. Sandal vojevodae respondent, rempublicam paci et amicitiae, quae inter se et vojevodam iam pridem obtinebat, serio studere.

M. Pucić: Споменици србски, p. 97.

CCCCXCI. 1409, 13 Augusti, Ragusii.

Rector etc. Hrvoje duci patefaciunt, praeceptum esse mercatoribus in loco Dreva, ut praescriptum vectigal pendant.

Pucić: Споменици србски, 98.

CCCCXCII. 1409, 27 Augusti, Venetiis.

Venetis provisoribus Jadre respondetur, senatui placere, ut nuncius ducis Chervoye veniat Venetias.

Ljubić: Listine, VI, 4.

CCCCXCIII. 1409, 5 Octobris, Ragusii.

Rector etc. Ostojae, regi Bosnae, enunciant, se tributum, ad quod throno Bosnensi obligantur, illico soluturos esse, quum res publicae regni ordinatae fuerint.

Pučić. Споменици србски, p. 100.

CCCCXCIV. 1409, 4 Decembris, sub Visoko.

Stephanus Ostoja, cum regina Kujava et filio Stephano, et nobilibus approbat omnia privilegia a regibus Bosnae, Serbiae et Rasciae concessa Ragusinis. Jurant cum rege: comes palatinus Stephanus Ostoić, comes Tvrtko filius Vladisavi Črnčić, comes Stephanus et comes Ostoja Tepčić,

comes Vukašin Mlatković regis nepos, comes Grgur Galešić, comes Dragić Golozlović, et comes Vlatko Octović. Scripsit logotheta Tomaš Bućaninin.
Dr. *Fr. Miklošić*: Monum. serbica, p. 272.

CCCCXCV. 1410, 11 Martii, Ragusii.

Rector cum consilio querulatur regi Sigismundo: „Hac die quarto presentis mensis stipendiarii vestre maiestatis, morantes in Vranduchi, armata manu accesserunt sub castro Vissochi, et quasi omnes cives Ragusinos, nobiles et populares... cum omnibus suis mercanciis et rebus predatario more ligatos funis, secum duxerunt, et partim vulneratos..."
Gelcich: Diplomatarium p. 191.

CCCCXCVI. 1410, 23 Martii, Ragusii.

Rector cum consilio regi Sigismundo conqueruntur de atrocitate „Besini Pauli bani, castellani Vranduchi", in mercatores ragusinos „in Sottovisochi"; se vero insuper intellexisse, eundem Paulum alios duos Ragusinos gravibus tormentis Vranduchi afflixisse, et ab ipsis 2000 duc. pro redemptione exigere, eliberatos tandem per Vochinium Slatonosovich voivodam.
Gelcich: Diplomatarium p. 192.

CCCCXCVII. 30 Maii, Ragusii.

Rector cum consilio regi Sigismundo agit gratias, quod bano Paulo scripserit „pro captivorum relassacione", quamvis intellexerit „ipsos adhuc Vranduchi detineri captivos a Stephano Besseno"; vix veritate niti, quod ragusei mercatores adhaeserint in bello Bosnensibus. „Ragusei illic mercantes ad commodum non inutile serenitatis gentibus conservantibus Dobovac et in aliis castellis... fuere. Illic sic mercantibus sero ante capturam a Sottovisochi absentavit se rex Hostoia; in crepusculo vero prefati bani gentes Raguseorum solas invaserunt domos... Bossinensium domus" intactas permiserunt.
Gelcich: Diplomatarium p. 193—5.

CCCCXCVIII. 1410, 21 Octobris, Ragusii.

Rector cum consilio nunciis suis Raphaeli de Goze et Michaeli de Resti committunt, ut exponant, vires Ragusii nimis debiles esse, ut Venetas naves et exercitum Sibenicensem adoriantur; deliberatum esse, ut duo ragusini nuncii assistant „coronationi regis nostri in regem Rassae et Bosnae"; requirant territorium Canalis et Dračevice, et si obtineri non posset, eo quod sit Sandali et Pauli, offerant in concambium comiti Paulo pagum Obod, aliumque pro lubitu pagum Sandalio. Comitentur regem, si reverteretur, usque ad trans Savum.
Gelcich: Diplomatarium p. 195—201.

CCCCXCIX. 1410, 31 Decembris, Ragusii.

Comes, nobiles et totum commune Ragusii Ostojae, regi Bosnae, domum in urbe, agros in Primorje et redditus restituunt; ipsumque, filium eius Stephanum, eiusque posteros inter nobiles et senatores Ragusii cooptant.
Dr. *Fr. Miklošić*: Monum. serbica, p. 274.

D. 1410, in Dračevica in Novo.

Sandal vojvoda iurat matrem suam, Anka banica, se in domo sua filiali cum pietate habiturum esse.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monum. serbica, p. 274.

DI. 1411, 5 Januarii, Venetiis.

Magnus voyvoda regni Bossine Sandal cooptatur inter cives venetos.

Ljubić: Listine VI, 127.

DII. 1411, 6 et 10 Januarii, Venetiis.

Assignantur 5000 duc. pro castro Ostrovice, nuper obtento „a magnifico Sandali".

Joannes Mauroceno mittitur „ad partes Jadre", ut pecuniam pro dicto castro pendat. Deinde vadat „ad castrum Novi citra civitatem Cathari", et ibi se praesentet Sandalio, illi diploma „citadinantie" venetae traditurus.

Ljubić: Listine VI, 131—2.

DIII. 1411, 12 Januarii, Venetiis.

Scribatur duci Chervoye, impediat Spalatenses dare subsidium Sibenicensibus, cum quibus venetum dominium gerit bellum.

Ljubić: Listine, VI, 132.

DIV. 1411, 10 Martis, Ragusii.

Rector etc. Sandal vojevodae, ut pro deposito levando necessaria scripta mittat.

Pucić: Споменици србски, p. 102.

DV. 1411, 13 Aprilis.

Theodorus archidiaconus Bosnensis, Sandal, supremi vojevodae Bosnensis nec non consortis eius Catharinae et socrae Sandali Annae, relictae Volzi bani, procurator, castrum Ostrovica et alia Venetis pretio quinque millium ducatorum vendit.

MCDXI. XIII. mensis Aprilis.

Ljubić: Listine VI, 147.

DVI. 1411, 27 Aprilis, in Jajce.

Hrvoje „dux Spalati" civibus et consilio Spalatensi iniungit, ut donationem regi Ostojae factam, quia „Turchis et rebellibus Bosnen... contra Sigismundum r. Hung." favent, revocent.

Scripta in castro nostro Ovi die 27 men. Aprilis 1411.

Lucić: Memor. di Traù, p. 391.

DVII. 1411, 28 Aprilis, Ragusii.

Rector etc. Sandal vojevodam requirunt, ut certa vectigalia, quae a mercatoribus ragusinis divisim exigi solent, quoddammodo uniat.

Pucić: Споменици србски, p. 102.

DVIII. 1411, 8 et 25 Maii, Venetiis.

Nunciis vojvodae Sandali ad huiusce „capitula" respondetur: conceditur fratri vojvodae navis veneta pro transitu in Apuliam ad regem; datur libertas „collegio" agendi cum nunciis Sandali et Catharinorum de negotiis civitatis Cathari.

Senatus offert suam interventionem inter Sandal, qui „habet secum, ut dicitur, septem millia Turchorum", et civitatem Catharum.

Ljubić: Listine VI, 157—8. 160.

DIX. 1411, 21 Maii, Romae.

Gregorius PP. XII confirmat Breve Innocentii PP. VII „Sacre religionis" ... Dat. Viterbii x kal. Novembris an. I. quo fratribus Bosnensibus datur licentia acceptandi conventum s. Spiritus in Athia dioec. quinque-ecclesien. a Joanne Maroth, bano Machov., aedificandum.

Provisionis nostre ... Dat. Rome apud s. Petrum XII kal. Junii an. I.

Original. in tabular. provinciae fratr. minor. ss. Salvatoris Hung. conv. Gyöngyös.

DX. 1411, 25 Maii, Ragusii.

Rector cum consilio regi Sigismundo in memoriam revocat, quod per suos nuncios „in partibus Bossine" ipsi significaverat; quia audimus palam Bossinenses a vestra serenitate humiliter concordium querere.

Gelcich: Diplomatarium p. 201.

DXI. 1411, 28 Julii, Venetiis.

Nunciis vojevodae Sandali respondeatur, Catharinos respuisse omnem interventum asserentes, „quod cum dicto d. Sandali nullam habeant differentiam".

Ljubić: Listine VI, 171.

DXII. 1411, 15 Augusti, Ragusii.

Rector comiti Paulo, ut epistolam suo sigillo signatam mittat, si plumbum penes Marinum Kabužić depositum levare vult."

Pucić: Споменици српски, p. 106—7.

DXIII. 1411, 5 Septembris, Ragusii.

Rector Clemens de Bodacia cum consilio nuncio suo in Hungaria, cancellario Jacobo, committit, ut a rege Sigismundo requirat in tutellam Ragusii territorium Canalis et Dračevice, pertinens ad coronam Bosnae, nunc in proprietate comitis Pauli Radinovich et voivodae Sandali; non niti veritate, quod Ragusii gentes de Bosna stipendio conducantur pro Apulia, verum adfuisse quemdam e civita Lucca, nuncium regis Ladislavi, qui se ad vojvodam Sandal contulit; inter Ragusinum et sinum Catharensem, in Canali et Dračevica, pertinentibus ad praefatos comitem Paulum et vojvodam Sandal, adesse plures portus, per quos illae gentes transire possunt; fratremque Sandali Volchum illac ista aestate transivisse in Apuliam.

Gelcich: Diplomatarium p. 202—4.

DXIV. 1411, 11 Septembris, Ragusii.

Rector etc. Sandali vojevodae conqueruntur de sale, qui in Pod Novi contra pacta conventa venditur; rogant antiquas leges et privilegia observari, et contrarie agentes merito puniri.

Pucić: Споменици србски, p. 107.

DXV. 1411, 23 Octobris, Ragusii.

Rector etc. informant Sandal vojevodam, quod aureos ceteramque pecuniam, quae per Bogeta, servum suum, miserat, iis tradiderint, quos concernebant.

Pucić: Споменици србски, p. 108.

DXVI. 1411, 8 Novembris, Venetiis.

Rectoribus Jadrae iubetur, ut domino Sandali restituant domum; quae fuit quondam Damiani de Nassis, ipsi pridem „de voluntate regis Ladislai" per communitatem donatam.

Ljubić: Listine VI, 199.

DXVII. 1412, 4 Januarii, Ragusii.

Rector etc. Sandal vojevodae supplicant, ut in negotio venditionis salis interim mercatoribus ragusinis favere velit.

Pucić: Споменици србски, p. 110.

DXVIII. 1412, 7 Aprilis, Ragusii.

Rector etc. Annae, uxori quondam bani, respondent, quod depositum sine consensu Sandal vojevodae levari nequeat.

Pucić: Споменици србски, p. 111.

DXIX. 1412, 22 Aprilis, Venetiis.

Ad tria capitula magni vojvodae bosnensis Sandali, per ipsius nuncium substrata, respondetur: persvasum haberi, quod Sandal coram rege Hungariae, quem adiit personaliter, nil contra dominium venetum egerit; summam 12 milium ducatorum depositam pro parte Sandali et consortis et socerae suae consignatam iri, si venerit „aliqua persona cum litteris et sindicatu ad plenum pro parte ipsarum dominarum; Balsam receptum iri in gratiam dominii, si ipse et Sandal mitteret nuncios, „abstinente se nunc et in futurum a novitatibus et damnis inferendis locis et subditis" venetis.

Ljubić: Listine VI, 252–4.

DXX. 1412, 16 Maii, Ragusii.

Rector etc. Stephanum Ostojam, regem Bosnae, requirunt, ut Vlk, nepotem suum, qui in via versus Podvisoki Jacobum Bunić ragusinum occiderat argentumve abstulerat, pro merito puniat et argentum fratri occisi restitui curet.

Pucić: Споменици србски, p. 112.

DXXI. 1412, 20 Maii, Ragusii.

Rector cum consilio regi Sigismundo conqueritur de caede Jacobi filii Lucae de Bona, quem, dum recederet „istis diebus“ de mercatu Dessinice, recommendatum licet per mercati dominum comitem Paulum, itineris socius nepos Hostoie regis Bosne, Volchus, sub castro Vissochi trucidaverat atque argento et pecunia spoliaverat.

Gelcich: Diplomatarium p. 267.

DXXII. 1412, 12 Octobris, Ragusii.

Rector etc. Sandal vojevodae scribunt se eidem naves vendere non posse.

Pucić: Споменици српски, p. 113.

DXXIII. 1412, 19 Octobris, Ragusii.

Rector etc. Sandal vojevodae scripto denunciant artifices ragusinos, qui arma conficiant, plena libertate gaudere arma sua quibuslibet vendendi, quae libertas et tempore belli vigebat; porro se naves vendere non posse.

M. Pucić: Споменици српски, p. 113.

DXXIV. 1412, 9 Novembris, Ragusii.

Rector Joannes de Goze cum consilio nuncio ad regem Hungariae Sigismundum, Zanin de Goze, committit, ut pergat versus Drinum, et adveniens in regionem Slatonossevich capiat ibi notitiam, ubinam rex moretur, illumque accedat, atque tributum mille ducatorum pro duobus annis consignet.

Gelcich: Diplomatarium p. 210—211.

DXXV. 1412, 11 Novembris, Ragusii.

Rector etc. Sandal vojevodae respondent: aditum in urbem cuique patere, et in ea licitum quaeque, etiam arma, emere; adiungunt quaedam de debitis privatorum.

Pucić: Споменици српски, p. 114.

DXXVI. 1412 vel 1413.

Hrvoje infidelitatis et amicitiae cum Turcis apud regem Sigismundum accusatus, datis ad reginam litteris, innocentiam suam probare nititur; conqueritur de suis aemulis calumniatoribus; profitetur sese submittere „iudicio regiae maiestatis et ducis Austriae“; dein adiungit: „exoro serenitatem regiam et vestram maiestatem, ut iam in tempore senectutis meae non permittant mori in paganismo ritu et sub infidelitate, quia vix et difficulter expectavi, ut ritus de paganismo convertat in fidem katholicam, et possim dicto domino meo regi fideliter servire“.

(Sine notatione anni etc.)

Lucić: Memorie di Traù, p. 392.

DXXVII. 1412, 2 Aprilis, Jajce.

Dux Hrvoje uxori suae Helenae, filiae Balsae, pro datis sibi mutuo 10.000 duc. dum in Hungariam ad regem Sigismundum proficisceretur et inde reverteretur, cedit Kotor cum župa Vrbana et domos suas Ragusii. Testes: ex Luka comes Milat Čučić, ex Zemlnik comes Boravac Semerović, ex Vrbana vojvoda Pripko, ex Glaž vojvoda Ivaniš Petrović, ex Sana Gašpar Dijanišević, ex Vrbas Petrus Jočić.

Pucić: Споменици српски, I, 175—6. 1418, 29 Aprilis tradita fuit domus dictae Helenae, tunc reginae Bosnae ad eiusdam requisitionem per nuncium Stephanum Prodić. Ibid. p. 177—8.

DXXVIII. 1412, 2 Novembris, Venetiis.

Datur collegio facultas cum Grubacio Dobravić, nuncio Sandali, nomine Balse Stracimiri, quondam Georgii Stracimiri de Balsis, tractandi „de illis duabus terris, videlicet Dulcigni et Budve, et de provisione ducatorum mille in anno".

Ljubić: Listine VII, 23. Conventio inita die 26 d. m. ibid. p. 24—6. Confirmatur a Balša ibid. p. 68.

DXXIX. 1412, 11 Novembris, Ragusii.

Commune ragusinum magno vojvodae Sandal ad litteras, per nuncios Borčin Korenić et Vlah Dušojević perceptas, rescribit, licere sibi et Catharensibus emere et extrahere merces et arma.

Pucić: Споменици српски, I, 114.

DXXX. 1412, 29 Novembris, Venetiis.

Dux Venetiarum Michael Steno Sandalio magno vaivode Bosine de consignanda e deposito 12.000 ducatorum infra quatuor menses medietate ipsi, alia medietate banicae relictae Volchi bani et eius filiae Catarinae, scribit.

Ljubić: Listine VII, 31—2. Ibidem epistola banicae et Catharinae, Sandali requisitio 4 Apr. 1413 ib. p. 99.

DXXXI. 1412, 15 Decembris, Ragusii.

Commune ragusinum vojvodae Sandal refert de damnis, quae Ragusini et dominae banicae legati in reditu Venetiis ob tempestatem in mari perpessi sunt.

Pucić: Споменици српски, I, 115.

DXXXII. 1413, 1 Februarii, Ragusii.

Commune ragusinum comiti Vlkašin et vojevodae Vlkmir ad petitionem illorum de mittendo uno e duobus medicis, Bartholomaeo vel Jacobo, rescribit, unum ex illis, qui voluerit, mittendum.

Pucić: Споменици српски I, 115.

DXXXIII. 1413, Ragusii.

Nunciis Michaeli de Resti et Joanni de Gondola, exmissis ad regem Sigismundum, committitur, ut petant interventionem apud regem Bosnae Stephanum Ostojam et regni barones circa impositionem novorum vectigalium et merces certo Ragusino demptas.

Gelcich: Diplomatarium, p. 216.

DXXXIV. 1413, 4 Maii, Venetiis.

Nuncio communitatis Catari respondetur, bosniensi magno vojvodae Sandalio concessum non iri, ut extrahat „de Veneciis galeam seu galeotam aliquam", qua eidem communitati damna infligeret.

Ljubić: Listine VII, 119.

DXXXV. 1413, 1 Julii, Ragusii.

Regi Sigismundo notum redditur, „quod Spalatenses ab obedientia et iugo ducis Hervoie, cui iam diucius stabant submissi, his praeterlapsis diebus . . . viriliter se subtraxere sub s. maiestatis vestre alarum umbram confugientes . ."

Gelcich: Diplomatarium, p. 221.

DXXXVI. 1413, 13 Julii, Ragusii.

Commune ragusinum Joannem de Menze et Clementem de Bodaza exmittit, ut incolas insulae Curzulae ad excutiendam Hrvoje dominium instigent.

Eodem die regi Sigismundo nuntiat, quod Sandal de expeditione sultani Crissia domum redierit.

Gelcich: Diplomatarium p. 222, 225.

DXXXVII. 1413, 24 Julii, Ragusii.

Rector etc. indicant Sandal vojevodae, se occupasse insulas Corzulam et Pharum mandato et nomine Sigismundi regis.

Pucić: Споменици српски, p. 117. De eodem Balsae 16 Julii significando insulas eo tempore fuisse ducis (Hrvoje). Ibid. p. 116.

DXXXVIII. 1413, 1 Augusti, in Pulsano.

Sigismundus rex Hungariae etc. Hrvojam omnibus dignitatibus etc. privat.

Datum in Pulsano in festo s. Petri ad vincula an. domini MCDXIII.

Lucić: De regn. Dalmat. et Croat. libr. V. cap. V, p. 432.

DXXXIX. 1413, 14 Augusti, Ragusii.

Commune ragusinum nunciis suis Andreae de Volzo et Nicolao de Gozze committunt, ut regem Sigismundum persuadeant, quo insulas Curzulam, Lesinam et Bratiam, pridem sub dominio ducis Hrvoje existentes, quas de ipsius mandato (Ragusium) occupavit, sibi et non Sandali vel Balsae in perpetuum cedat.

Gelcich: Diplomatarium, p. 228—231.

DXL. 1413, 25 Augusti, Venetiis.

Nuncio Hrvoje excusant se, quod ob treugam cum rege Sigismundo initam non possit dari auxilium ad recuperandum Spalatum, ipsi per regem ereptum.

Ljubić: Listine, VII, 127—8.

DXLI. 1413, 18 Octobris, Ragusii.

Commune ragusinum nunciis suis ad regem Sigismundum, Andreae de Martolo de Volze et Nicolao de Goze, committunt, ut territorium Canale et Dracevize requirant; et si totum obtinere non possent, petant adminus Canalis partem, quam comes Paulus tenet, quum Draceviza sit integra vojvodae Sandali. Offerunt annue 200 duc.

Gelcich: Diplomatarium, p. 232—3. E commissione 21 maii 1414 apparet, quod Sandal territorium Draceviza, ad quod a Turca pressus confugere intendebat, nullatenus cedere voluerit. Ibid. p. 243.

DXLII. 1413, 18 Novembris, Venetiis.

Nuncio Hrvoje respondeatur: dolere, quod rex Sigismundus contra eum miserit „capitaneos et banos suos"; de oblatis sibi per dominum Turcorum 30.000 Turcorum disponat pro sua prudentia; ob treugam cum rege Sigismundo non posse acceptari oblatum per ducem subsidium ad occupandam Dalmatiam; displicere differentiam, quam habet cum Sandalio.

Ljubić: Listine, VII, 137—8.

DXLIII. 1413, Ragusii.

Commune ragusinum comiti Paulo conqueritur, quod Radosav Branković pagum Oselnik depraedatus sit.

Pucić: Споменици српски, I. 117.

DXLIV. 1413, 1 Martii, Placentiae.

Rex Sigismundus invitat Ragusaeos, ut suis ad Sandalium nunciis, Ladislao Jakch de Kusal et Johanni Chalnak, suos adiungant, aut „eosdem de sua intentione" informent.

Ljubić: Listine, VI, 148.

DXLV. 1414, 10 Maii, Ragusium.

Commune ragusinum magno vojvodae Sandal conqueritur, Vlachis prohibitum esse Ragusii sal emere.

Pucić: Споменици српски, I. 121.

DXLVI. 1414, 18 Maii, Ragusii.

Rector etc. Sandal vojevodae respondent, se nihil mali contra eum locutos; neque velle, ut quidquam in partibus maritimis, sine eius et comitis Pauli consensu, fieret.

Pucić: Споменици српски, I. 122.

DXLVII. 1414, 10 Julii, Ragusii.

Commune ragusinum nunciis suis Andreae Volzo et Nicolao de Gozze notum faciunt, qnod vojvoda Sandal Turcis ingressum in Bosnam impedire non potuerit, sese itaque 5 d. m recipiens „in Uscopia“ nunc cum suis copiis in montibus commoretur; alia pars exercitus regressa via terrae Joanis Nadroievich versus Dobozaz, una versus „Sagrebe“.

Gelcich: Diplomatarium, p. 245. Idem commune reginae Barbarae litteris 14 Augusti nunciant: »Teucri post reditum suum ab illis partibus in Bosna, ipsas predas e Bosna domum transmiserunt, adhuc in ipsis Bosne partibus moram trahentes; qui Teucri, uti fertur, ad diversa loca prodire minitantur accedere«. Ibid. p. 246.

DXLVIII. 1414, 5 Decembris, Ragusii.

Rector etc. Sandal vojevodae, ne permittat, ut sui subditi ad partes reipublicae pro emendo sale venire impediantur.

Pucić: Споменици српски, p. 123.

DXLIX. 1415, 12 Januarii, Constantiae.

Joannes XXIII. concedit facultatem comiti Philippo de „Chorogh“ aedificandi monasterium in diocesi Quinqueecclesiensi pro religiosis alicuius ordinis ab ecclesia approbati.

Joannes episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo Quinqueecclesiensi salutem et apostolicam benedictionem.

Sincere devotionis affectus, quem dilectus filius nobilis vir Philippus de Chorogh, miles et baro regni Vngarie, ad nos et romanam gerit ecclesiam promeretur, ut votis suis presertim . . . . . augmentum et religionis propagationem respiciunt, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus.

Sane petitio pro parte (dilecti filii nobilis viri Philippi de Corogh) nobis nuper exhibita continebat, quod ipse cupiens terrena in celestia et transitoria in eterna feli(ci) commercio commutare de bonis sibi a (Deo collatis) . . . . . (in) suis possessionibus unum monasterium alicuius ordinis, per sedem apostolicam approbati, cum ecclesia, cimiterio, campanis, campanili, (domibus, habitationibus, hortis), hortaliciis et aliis necessariis officinis pro usu et habitatione aliquorum fratrum fundare et construi facere proponit. Quare pro parte (ipsius) . . . Philippi fuit nobis humiliter supplicatum, ut sibi premissa faciendi nec non quibuscunque fratribus, etiam ordinis mendicantium, ad prefatum . . . . . monasterium transire uolentibus, ad prefatum monasterium transeundi, ipsumque recipiendi et perpetuo retinendi licentiam concedere, ac alias in praefatis . . . opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur, qui divini cultus augmentum augere nostris temporibus intensis dessideriis affectamus . . . (desidera)ntes ipsum Philippum in suo laudabili proposito confovere huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus . . . (quatenus), si est ita, prefato Philippo monasterium huiusmodi cum ecclesia, cimiterio, campanis, campanili, domibus, ortis, ortaliciis et aliis necessariis officinis huiusmodi iuxta morem dicti ordinis in ipsius possessionibus, dummodo sit

locus ad id idoneus et honestus, fundandi et construendi ipsisque fratribus ad monasterium ipsum, postquam fundatum et constructum fuerit, transeundi, dictumque monasterium cum ecclesia, cimiterio, campanis campanili, domibus, ortis, ortaliciis et aliis necessariis officinis recipiendi et perpetuo retinendi plenam et liberam auctoritate apostolica licentiam largiaris, nec non eisdem fratribus, qui ibidem pro tempore residebunt, auctoritate prefata concedas, quod omnibus et singulis priuilegiis, immunitatibus et gratiis potiri et gaudere ualeant, quibus alii fratres eiusdem ordinis potiuntur et gaudent, iure tamen parochialis ecclesie et cuiuslibet alterius in omnibus semper s(alvo).

Datum Constancie II Idus Januarii Pontificatus nostri anno quinto.

\+
\+
\+
Lupi
m. de Bossis B de Pistoro

Ex originali in tabular. provinc. ss. Salvatoris fratr. minor. Gyöngyösien. sigillum plumbeum dependet ex filo canabino. — Aliena manus saeculi XV. adposuit »Confirmatio loci perekche« (Perekche = Berak in comitatu Vukovarien. in Slavonia).

DL. 1415, 19 Januarii, Ragusii.

Commune ragusinum comiti Vlkašin Radičević amicitiam suam fatetur.

Pucić: Споменици српски, p. 125. In eodem sensu 24 Februari 1415. Ibid. p. 127.

DLI. 1415, 10 Februarii, Ragusii.

Rector etc. Stephano Tvrtko, regi Bosnae, declarant, quosdam profugos ex subditis regis iuxta antiquas leges receptos fuisse; magisque convenire, quod ad ragusina castra quam in Hungariam vel Croatiam fugerint; Vlkićium etiam, dum a fratre suo rege Tvrtko pulsus esset, Ragusium aufugisse; dolent damna et iniurias Bosnensibus illata.

Pucić: Споменици српски, p. 125.

DLII. 1415, 20 Februarii, Ragusii.

Rector etc. comiti Gregorio Vlkosalić scribunt, permissum, ut domini Chulmenses facultates suas in Ston transferre possint, et quaedam adiungunt de Valachis regis Ostojae, qui ad partes regis Tvrtki transierunt.

Pucić: Споменици српски, p. 126.

DLIII. 1415, 20 Februarii, Ragusii.

Commune ragusinum archiepiscopo Strigoniensi Joanni scribit: „Nova, que in partibus istis vigent de adventu iam tertio Teucrorum in Bosnam et noviter de metu copiosioris adventus numeri eorundem, nil vestre paternitati reserandum duximus“.

Gelcich: Diplomatarium, p. 247. Die 26 Martii refert: »non parvam Turchorum multitudinem ad praesens reperiri in partibus illis prope Sibenicum et quasdam gentes esse in partibus Almisii et Craine«, unde »transfretare possent ad insulas«. Ibid. p. 248.

DLIV. 1415, 23 Februarii, Ragusii.

Rector etc. Tvrtko Tvrtković, regi Bosnae, respondent, quod iuxta leges antiquas urbs ragusina semper fuerit domus et patria dominorum gentis Kotromanović.

Pucić: Споменици српски, p. 126.

DLV. 1415, 25 Martii, Ragusii.

Rector etc. Hrvoje duci rescribunt, rempublicam nihil inimicitiae in ducem vel in urbem Almisium meditari.

Pucić: Споменици српски, p. 129.

DLVI. 1415, 10 Maii, Venetiis.

Respondetur nuncio ducis Hrvoje: convenire magis, ut castrum Dalmisii, quod Venetis offert, maneat in sua potestate; consignentur nuncio pro duce petente duo milliaria salnitri et funes „pro duobus manganis"; non posse dari illi subsidium „per mare" ad recuperandum Spalatum sed recommendandum fore Johannae reginae Apuleae; ducem, si cum rege Sigismundo pacem inierit, se „recommissum" habiturum.

Ljubić: Listine, VII, 200.

DLVII. 1415, 23 Maii, Ragusii.

Rector etc. Sandal vojevodam orant, ut legato reipublicae Milčinae Mrkalja ad locum Goražda pro expediendis quibusdam negotiis misso, favere velit.

Pucić: Споменици српски, p. 130.

DLVIII. 1415, 28 Junii, Ragusii.

Commune ragusinum regi Sigismundo nunciat: „Isto tempore in contratibus Bosne fuit unus caporalis Theucer, nominatus Zech Melech, qui stetit in Bosna plus quam tribus mensibus, faciendo raubarias in Charvacia et aliis locis . . . nullum enim gentium obstaculum habuit; qui Theucer discessit de contratibus Bosne die 16 presentis cum gentibus; et fertur, quod (sultanus) Chrisii misit pro eo, qui foret sibi opportunus. Et pro nunc pauci Theucri remanserunt in Bosna cum rege Tuertcho". Alter „caporalis, nominatus Isach Theucer, congregat ad Scopiam gentes theucras, qui his diebus expectatur in Bosna, in quo regno nil depredatur. . . Rex vero Hostoia stat in suis fortaliciis non audendo sumere fiduciam Theucrorum aliquo modo . . ." Vojvoda Sandal „exigit se a Theucris cum non parvis donis". Mercatores ragusini litteris 16 d. m. e Sreberniza nunciant, quod Joannes de Conhara cum gentibus regis (Sigismundi) „appulerit in Uxora subtus castrum Doboi".

Gelcich: Diplomatarium, p. 249—250.

DLIX. 1415, 6 Augusti.

Duimus „di Chuchiula", mercator ragusinus, scribit d. Saracino de novis in Bosnia; totam Bosnam insurexisse contra Hungaros, vojvodam Sandal iniisse pacem cum duce Hrvoje, Hostojam ab imperatore (Sigis-

mundo) confirmatum in regem; Mori et Bosinensem Vladislavum Dobravčić captum fuisse, huncque dedisse suum castellum Kovač in Usora.

Hae litterae missae sunt 18 Augusti regi Sigismundo expresso dolore de clade „Ungarorum cum Teucris nuper infeliciter occursa".

Gelcich: Diplomatarium p. 250—2.

DLX. 1415, 3 Octobris, Ragusii.

Rector etc. amicis suis Ljubiša Bogdančić et Vlkosav Poznanović potestatem faciunt, urgente bello, in urbem se recipiendi etc.

Pucić: Споменици српски, p. 131.

DLXI. 1415, 5 Decembris, Ragusii.

Rector etc. concedunt, ut comes Miliša, a Turcis fugiens, in locum Ston et Rat transire possit.

Pucić: Споменици српски, p. 132.

DLXII. 1416, 16 Januarii, Ragusii.

Rector etc. rescribunt comiti Gregorio Vlkosavić, ne nova et insolita vectigalia ad confinia Stagni (Ston) inducat.

Pucić: Споменици српски, p. 133.

DLXIII. 1416, 23 Martii, Ragusii.

Rector etc. comitem Petrum, fratrem comitis Radosavi, requirunt, ut militibus suis, qui in limitibus, sub ducibus župano Georgio et Stephano Miloradović et cum illis Turcae, commorantur, damna Ragusinis inferre prohibeat.

Pucić: Споменици српски, p. 134.

DLXIV. 1416, 13 Aprilis, in D'bri in Neretva.

Ostoja, rex Bosnae, requirit rectorem etc. et ragusinos, ut pretium elocatae domus suae, quae Ragusii est, sibi mittere velint.

Pucić: Споменици српски, p. 134.

DLXV. 1416, fer. 6 ante nativitatem b. M. V. Quinqueeclesiis.

Johannes Gara .... Joannes custos de Dyako d. Benedicti episcopi boznensis ... scribunt, quod iuxta litteras episcopi zagr. Eberhardi ... captivi et in regno Boznae a Turcis vincti Joannes de Maroth, Martinus banus, Joannes de Halap et Petrus de Zepes tenore relationis ad despotum Rasciae exmissi Petri Čech non nisi summa 65.000 flor. auri redimi possint.

Fejér: Cod. dipl. X, 8 p. 564.

DLXVI. 1416, 12 Octobris, Ragusii.

Commune ragusinum regi Sigismundo refert: „Inter barones de Bosna est maxima et immortalis inimicitia propter mortem olim comitis Pauli; et hac de causa Crixa Teucer miserat duos suos nuncios pro tractanda pace inter barones predictos, pro qua facienda ordinata fuit

collacio sive adunacio omnium dictorum baronum", sed sine effectu, „quia ipsi barones non confidunt se ipsis invicem." Ibi agebatur, ut rex Ostoia et comes Dragissa Dignicich capiantur; quod rescientes iidem nocte proxima „aufugerant de collacione predicta; et propterea regnum Bosne stat in maximo conflictu et divisione. Rex vero Hostoja cepit uxorom suam Jelenizam, olim uxorem Crevoie, facto divorcio cum uxore prima". Jeleniza accedens proxima aestate ad Hostoiam donavit fratri suo comiti Joanni de Cetina castrum Almisii. Inde ipsius gentes oprimunt insulas.

Gelcich: Diplomatarium 261—2.

DLXVII. 1416, 25 Decembris, Ragusii.

Commune ragusinum regi Sigismundo notificando obices, qui ipsi in occupatione insularum Curzole, Braze et Farre opponuntur, referunt „de novis Teucrorum: ad presens nullus exercitus est in rego Bosne aut Rasie, quia eorum imperator est occupatus Salonichi circa obsidionem fratris sui, qui erat in Vlachia, cui imperator constantinopolitanus favorem exhibet".

Gelcich: Diplomatarium, p. 265.

DLXVIII. 1417, sabatho ante festum b. Margarithae V. Constantiae.

Sigismundus rex filiis Emerici de Upor, episcopo transsilv. Stephano et Ladislao, donat terram Halaz ob praestita sibi servitia; nam Ladislaus strenue contra Turcas pugnavit in duabus expeditionibus, in quarum una captivus detinebatur „in Turkya", in altera captus „in ipso regno Boznae per nonnullos (nostros) aemulos vinctus tenetur".

Fejér: Cod. dipl. X, 8 p. 583.

DLXIX. 1417, 31 Martii, Ragusii.

Commune ragusinum regi Sigismundo gratias agit, quod ipsius nuncius Ladislaus Jachez secum tractare voluerit „de terreno de Canali; sed inopportunum esse, tum quod illius villae sint combustae et habitatoribus vacuae, tum „quod sunt in manibus Petri, filii Pauli, inimici capitalis vojvode Sandal". Domus Bossinensium Ragusii non posse dari, quia datae ipsis fuerant pro commutatione 22 villarum, quas ipsi hoc in casu reclamarent.

Gelcich: Diplomatarium p. 284.

DLXX. 1417.

Ostoja rex Bosnae cum regina Helena et filio Stephano fidelibus suis Vukašin, Baran et Gergio „Vucach, ob ipsorum servitia in reprimendis Chulmi incolis praestita, confirmat omnia privilegia ipsis a praedecessoribus suis concessa; in specie loca Machar, Cermichia, Pasizna, Miluse et Labziam cum suis territoriis. Testes: vojvoda Petrus Pavlović, comes Radiz Radoevich, comes Batich Mirchovich, vajvoda Ischo Senchović, pristaldus aulae Georgius Dragichevich, comes Tvrtko Borovinich, aulae magister Nicolaus Cuclatovich.

Ljubić: Listine VII, 240. Starine X, 42. Versio italica. Privilegium hoc confirmat dux venetus Franciscus Foscari 22 Julii 1452.

DLXXI. 1418, 23 Martii, Bišće.

Ostoja, rex Bosnae, vectigal, a mercatoribus Ragusinis in Popovo pendendum, abrogat.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monum. serbica, p. 280.

DLXXII. 1418, 28 Maii, Bernae.

Martinus PP. V concedit Piponi, comiti Temesiensi, facultatem aedificandi monasterium in loco Ozera, illudque donandi fratribus Minoribus vicariae Bosnae.

Martinus episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo Quinqueecclesiensi salutem et apostolicam benedictionem. Ea quae divino profutura cultui pia catholicorum devotio prosequitur, per apostolicam merentur providentiam ad effectum produci congruentem. Sane petitio pro parte dilecti filii nobilis viri Piponis de Ozera, comitis Themesiensis, nobis nuper exhibita continebat, quod ipse, pia devotione succensus ab intimis cordis cupiens transitoria in aeterna felici commercio commutare, de bonis sibi a Deo collatis unum locum pro usu et habitatione fratrum ordinis minorum, qui in eodem secundum veram regulam observantiamque et instituta b. Francisci Deo eligunt famulari, cum ecclesia, campanili, campana, domibus, habitationibus, hortis, hortalitiis et aliis officinis necessariis, infra limites parochiae, parochialis ecclesiae s. Margarethae de Ozera tuae dioecesis, loco ad hoc congruo et honesto, de novo fundare et erigere, ipsumque locum cum ecclesia, campanili, campana, domibus, habitationibus, hortis, hortalitiis et aliis officinis huiusmodi, tam in ornamentis et paramentis ecclesiasticis, quam nonnullis aliis, pro eisdem usu et habitatione accommodis fulcire, nec non postquam constructum fuerit, fratribus ipsis pro huiusmodi eorum usu et habitatione donare et assignare desideret, si ad id sedis apostolicae accedat assensus. Quare pro parte ipsius comitis nobis fuit humiliter supplicatum, ut sibi praemissa faciendi licentiam concedere et alia super his etiam ipsis fratribus opportune consulere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui eundem cultum nostris temporibus augere intensis votis et affectibus desideramus, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae, de qua in his et aliis specialem in Domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus, si est ita, dummodo infra limites eosdem pro similibus usu et habitatione locus aliquis ordinis cuiusvis, praecipue ex mendicantibus, non existat, committi praedictum locum infra huiusmodi limites cum ecclesia, campanili, campana, domibus, habitationibus, hortis, hortalitiis et aliis officinis praefatis construendi, fundandi et erigendi, ac construi et erigi, nec non omnia alia praemissa faciendi; et postquam constructa fuerint, illum locum, ut praemittitur, dictis fratribus donandi, et fratribus eundem locum infra limites praefatos pro eorum huiusmodi usu et habitatione recipiendi et perpetuo retinendi, plenam et liberam authoritate apostolica licentiam largiaris.

Felicis recordationis Bonifacii Papae VIII. predecessoris nostri prohibente, ne fratres eorumdem ordinum mendicantium in aliqua civitate, castro vel villa seu alio loco quocunque ad habitandum, domos vel loca

quaecunque de novo recipere praesumant absque dictae sedis licentia speciali, faciente plenam et expressam de inhibitione huiusmodi mentionem, et qualibet alia eiusdem sedis constitutione contraria non obstante; iure tamen pastorali parochialis ecclesiae et alterius cuiuslibet in omnibus semper salvo. Volumus autem, quod dicti fratres, qui pro tempore in eodem loco infra huiusmodi limites residebunt, omnibus privilegiis, immunitatibus, libertatibus et exemptionibus libere gaudere et uti possint ac debeant, quibus ceteri fratres in quibusvis aliis locis dicti ordinis gaudent et quomodolibet potiuntur.

Datum Bernae Lausonensis diocesis v. kalendas Junii pontificatus nostri anno primo.

Ad calcem huius instrumenti sequentia sunt notata:

Ego fr. Blasius de Zalka vicarius Bozne anno MCCCCXXIII undecimo die mensis Decembris presentavi istam bullam domino Henrico episcopo Quinqueecclesien. in specie, et ipse concessit viva voce locum de Ozzura ad usum nostrum iuxta voluntatem et mandatum apostolice sedis, ubi presentes fuerunt fere omnes domini de capitulo ante valvas templi.

Ex original. in tabular. provinc. s. s. Salvatoris Gyöngyösien.

DLXXIII. 1418, 6 Julii, Ragusii.

Gregorius Vukosalić abrogat portorium introductum in Ston. Praesentes: Ostoja Picević, Hrnjak Kostadinić, Krasoe Ivanović. Scripsit Dobrilo Rašković.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monum. serbica, p. 281.

DLXXIV. 1418, 23 Augusti, Gebennis.

Martinus PP. V. concedit fratribus, qui in Bulgariae, Valachiae, Rassiae et Bosnae partibus commorantur, ut „fidelibus noviter conversis partium earumdem praeesse valerent in administrando eis ecclesiastica sacramenta et fidem catholicam praedicando . . .“

Illius qui . . . Dat. Gebennis x kal. Septembris an. I.

Ex libr. 2 de divers. formis an. I. fol. 264. *Wadding*: Annal. minor. tom. X. p. 294.

DLXXV. 1418, 8 Novembris, Ragusii.

Rector etc. Sandal vojevodae, quod nonnullas facultates ragusinis ereptas restitui curavit, gratias agunt.

Pucić: Споменици српски, p. 144.

DLXXVI. 1418, 28 Decembris, Ragusii.

Rector etc. rogant comitem Gregorium, ne contra antiquas leges in damnum reipublicae vectigal prope Popovo exigat, nam et respublica secus adacta erit talia decernere, quae et toti regno damnosa esse poterunt.

Pucić: Споменици српски, p. 142.

DLXXVII. 1418, 30 Decembris, Ragusii.

Commune ragusinum comiti Gregorio (Vukosalić) protestatur contra ipsius decisum, quo vectigal in Popovo adauxit, sicque commercium cum Stagno impedivit, simulque regi Bosnae Ostojae decretum adiungit.

Pucić: Споменици српски, I, 141—2. Eodem sensu 5 Januarii 1419. Ibid. p. 142. De eadem re 26 Apr. 1418 ib. id. p. 143.

DLXXVIII. 1408—18.

Stephanus Ostoja, rex Bosnae, Georgio vojevodae et comiti Vučić et eorum posteris ob servitia sibi et suo filio Stephano praestita, dum de throno Bosnae pulsus in Bobovac exularet, donat terras et oppida quaedam cis et trans fluvium Cetine sita.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monumenta serbica, p. 385.

DLXXIX. 1419, 29 Januarii, Ragusii.

Commune ragusinum edit perceptionales de deposito m. vojvadae Sandal, sibi per eius legatos christianum Demetrium et Pribisavum Pohvalić consignato in custodiam.

Pucić: Споменици српски, II, 64—5. V. ibid. p. 69—70. De hoc deposito subin portiones levato. Ibid. ss.

DLXXX. 1419, 5 Martii, Zvečaj.

Stephanus Ostojić, rex Bosnae, cum matre regina Kujava omnia privilegia, quae praedecesores eius Ragusinis concesserant, confirmat. Testes: ex Bosna vojvoda Petar Pavlović, vojvoda Kovač Diničić, comes Batić Mirković, ex Chulmo vojvoda Ivko Semković, vojvoda Paulus Jurjević; ex inferioribus partibus comes Georgius Vojsalić; ex aula pristav magister aulae comes Vukac Vukotić et Vuk Rogatić. Scripsit diaconus Vladić.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monumenta serbica, p. 382.

DLXXXI. 1419, 17 Junii, Ragusii.

Commune ragusinum dominae vladikae et vojvodae Paolo offert suam intercessionem penes Vojin Stracinović de ineunda inter ipsos amicitia et concordia et eliberandis captivis Vlatko et Nikola.

M. Pucić: Споменици српски, I, 144—5.

DLXXXII. 1419, 24 Junii, na Stipanju Polju pod Sokolom.

Sandal Hranić, vojevoda bosnensis, et fratres Vlkac et Vlk et Stephanus filius Vukacii Ragusinis medietatem župae Konavlje cum Vitalina cedunt. Jurant nobiles generationis donatorum: comes Radivoj Stipković, comes Radosav Stipković, comes Radić Stipković, comes Obrad Hlapomirić, comes Vlatko Obradović, comes Ivaniš Ostoić, comes Ivan Vuković. Scripsit Pribisav Pohvalić.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monum. serbica, p. 288. Similes 30 Maii 1420. Ibid. p. 300—4.

DLXXXIII. 1419, 29 Junii, Ragusii.

Commune ragusinum vojvodam Sandal et comites Vukac et Vuk et Vukcii filium Stephannm ipsorumque haeredes, dum a vojvoda Sandal reciperet medietatem župae Canalis (Konavlje) cum Vitalina, inter nobiles et senatores cooptat, et ipsis donat domum, quae fuerat quondam civis Smita Gradić. Scripsit logotheta Rusko.

Miklošić: Monumenta serbica, p. 284—8. Litteris 20 Maii 1420 anni promittunt una annuos 500 hyperp. Ibid. 296—300.

DLXXXIV. 1419, 13 Augusti, Ragusii.

Rector etc. enunciant fratres Vlkac et Radosav Vojsanović, subditos vojvodae Sandal in Dračevica, inter cives ragusinos cooptatos esse.

Pucić: Споменици српски, p. 145.

DLXXXV. 1419, 4 Septembris, Ragusii.

Rector etc. comiti Paulo Jurjević inter cetera enarrant, quae ad impediendum venditionem in loco Dreva praestitissent.

Pucić: Споменици српски, p. 146.

DLXXXVI. 1419, 9 Septembris, Venetiis.

Scribatur capitaneo generali culphi ad ipsius litteras datas apud Tragurium 29 Augusti de tractatu eiusdem cum vojvoda Bossine: approbari, ut cum rege Bosine agatur de „liga" speciali; acceptari, ut rex Bossine „suis expensis tot ex suis gentibus teneat ad campum, quousque dominium venetum habuerit Tragurium et Spalatum", et succurrat terris venetis Dalmatiae, „quando oprimerentur ab inimicis", item procedat contra Balsam „pro defensione locorum venetorum Albaniae"; concedi regi „galeas in illo numero, qui erit iustus et rationabilis".

Ljubić: Listine VII, 298—9.

DLXXXVII. 1419, 4 Decembris, Sutiska.

Stephanus Ostojić, rex Bosnae, una cum regina Kujava donationem župae Konavlje in eadem et arcis Sokol, factam a vojevodis Sandal et Petro Pavlović, confirmat. Testes: comes Batić Mirković, comes Tvrtko Stipanović, comes Stipan Ostoić, comes Petrus Klešić, comes Vuk Rogatić, comes Vukac Vukotić, comes Vlatko Dobričević, comes Tvrtko Crnčić, comes Radosav Vladimirić, comes Georgius Dragičević, comes Tvrtko Borovinić, comes Stephanus Miotinić. Scripsit Novak Gojčinić.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monum. serbica, p. 291.

DLXXXVIII. 1419, 4 Decembris, Ragusii.

Commune ragusinum vojvodae Paolo Jurjević suam admirationem exprimit, quod de morte Cvetki Gudenić, communi inimici, doleat; Ragusinos semper prohibuisse hominum, quam in loco Drieva fieri retulit, venditionem; hunc iu finem exmisisse ad regem Ostojam, dum Chulmiam peteret, suos legatos.

Pucić: Споменици српски, I, 145—6.

DLXXXIX. 1419, 21 Decembris.

Sandal vojevoda cunctis ad notitiam perfert, inter se et Alexium Pastrović commutationem quarumdam possessionum pro castro Bela factam esse.

Pucić: Споменици србски, p. 146.

DXC. 1420, 8 Februarii, Ragusii.

Comes, nobiles et totum commune Ragusii Stephano Ostojić regi Bosnae promittunt se omni anno daturos esse quinquaginta hyperperos pro confirmata ipsis donationè dimidii župae Konavlje cum castro Sokol. Inscripsit logotheta Rusko.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monumenta serbica, p. 294.

DXCI. 1420, 16 Februarii, Ragusii.

Commune ragusinum comiti Vlkosavo dolorem exprimunt, a Turcis, qui, ut retulit, ingressi erant in Bosnam, magna damna perpetrata fuisse; pepercisse vero vojvodae Petro eiusque terris; eius hominibus aditum esse apertum in territorium ragusinum, si illuc Turcarum vi compulsi aufugerent.

Pucić: Споменици србски, I, 147—8.

DXCII. 1420, 23 Februarii, Florentiae.

Martinus PP. V. confirmat litteras Innocentii PP. VII. intuitu conventus in oppido „Athya“ a Joanne aedificati, et a fratribus Bosnensibus recipiendi.

Sacrae religionis . . . Dat. Florentie VII kal. Martii an. III.

Ex libr. I de exhibitis, de Regularibus etc. an. 3 fol. 309 *Wadding*: Annal. minor. tom. X, p. 313.

DXCIII. 1420, 23 Februarii, Florentiae.

Martinus PP. V. episcopo Varadiensi, ut fratres vicariae Bosnae possint acceptare conventum in „villa Warii“ dioces. varadien. quem „Joannes de Maroth“ miles Quinqueecclesiens. erexit.

Sacra religionis . . Dat. Florentiae VII kal. Martii an. III.

Ex libro de exhibitis de Regularibus an. 3 fol. 130. *Wadding*: Annal. minor. tom. X, p. 313.

DXCIV. 1420, 26 Februarii, Ragusii.

Rector etc. comiti Vlkosav notum reddunt a Turcis, qui alias vastatores sunt, Petro vojevodae nullum illatum damnum; urbem Ragusinam omnibus, qui a Turcis fugere coacti sunt, semper patere.

Pucić: Споменици србски, p. 147.

DXCV. 1420, 10 Maii, Florentiae.

Martinus PP. V. enumeratis reipublicae ragusinae pro bono ecclesiae meritis, et collaudatis fratrum vicariae Bosnens. apostolicis laboribus, abbati monasterii Lacroma committit, ut de decimis a dicta republica episcopo Curzulensi solvendis se se informet, et si expositio episcopi fuerit vera deprehensa, statuat, quod rector, consilium et universitas Nicolao episcopo Curzulensi et successoribus eius ratione decimarum annuatim centum ducatorum censum solvere debeant etc.

Martinus episcopus servus servorum Dei. Dilecto filio ..... abbati monasterii de Lacroma prope Ragusium salutem et apostolicam benedictionem.

Justis et honestis supplicum votis, illis presertim per que fides catholica non solum defenditur adversus hostes nominis Jesu Christi, sed per sanam doctrinam et salubria documenta evangelizantium verbum Dei infidelium quoque conversionem ad Dominum in barbarorum non credentium regionibus dilatatur, libenter annuimus eaque favoribus prosequimur opportunis. Sane pro parte dilectorum filiorum rectoris, consilii et universitatis civitatis Ragusinae nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim ipsi provide attendentes et considerantes, quod prefata eorum civitas terris et locis schismaticorum et infidelium, qui in sanguinem christianorum continuo debachantur, eisque et eorum bonis persecutiones ac iniurias inferunt et iacturas, nimium vicina existeret, quodque propterea eis, et aliis ad civitatem ipsam et partes finitimas pro tempore declinantibus discurrendo, predando et expoliando varias persecutiones et molestias inferebant, intendentes se, quantum in eis erat, ab huiusmodi vexationibus liberare, et ad ipsorum infidelium temeritatem, furorem et rabiem comprimendum multis expensarum profluviis, diversisque viis et modis salutaribus, mediantibus etiam dilectis filiis, fratribus ordinis minorum de vicaria Bosne, in illis partibus residentibus, qui per evangelice doctrine predicationis ministerium ad fidem Christi et divine maiestatis obsequia eosdem infideles in viam salutis eterne dirigunt et convertunt, quibus etiam iidem rector, consilium et universitas, ut ferventius insistant, tam fructuosis operibus de publico alimenta tribuunt et ministrant, pluraque ecclesias et loca pro ipsorum usu et habitatione ac orthodoxe fidei defensione et incremento magnis sumptibus et laboribus construxerunt et etiam concesserunt, huiusmodi infidelium loca eis propinqua sibi subiici procurarunt, et procurant etiam de presenti nullis parcendo laboribus vel impensis. Et licet post provisionem huiusmodi prefati rector, consilium et universitas ab olim quedam loca, unum inter cetera ex locis eisdem Ponta Stagni communiter nuncupatum, intra mare consistentem, eidem civitati conterminum et primitus nocivum, in quo infideles ipsi pro tempore commorantes cives, habitatores et incolas civitatis predicte, eiusque territorii et districtus et alios eis subditos ceterosque orthodoxe fidei cultores, quoties versus locum ipsum transfretantes transitum facere contigebat, capiebant, spoliabant, et variis afficiebant violentiis, iniuriis atque damnis a bano Bosne et rege Rassie, illius loci tunc dominis, non absque gravibus sumptibus et sub certa annua responsione pecunie, que adhuc illis persolvitur annuatim, obtinuerunt et etiam

quesiverunt, in quo quidem loco prefati rector, consilium et universitas quemdam locum pro usu et habitatione dictorum fratrum cum ecclesia, campana, campanili, cimiterio et aliis necessaris officinis et successive alias ecclesias pro presbyteris secularibus ibidem pro tempore in divinis Domino servituris de licentia sedis apostolice construxerunt sive construi fecerunt, ut tam fratres quam presbyteri huiusmodi infideles ipsos et alios incolas dicti loci eiusdem doctrine precepta docerent et imbuerent salutaribus documentis, omnemque heresim et perfidiam de eorum mentibus extirparent, sicut patuit successive per operis evidentiam, quod infideles eiusdem loci, splendore superne gratie illustrati, paulatim ad fidem catholicam sunt conversi.

Postmodum vero cum rex et banus prefati ac successores eorum videntes in dicto loco Ponta Stagni fidem Christi consurgere et infideles converti, de concessione huiusmodi condolentes, locum ipsum expugnare et recuperare molirentur, prefati rector, consilium et universitas ibidem moenia et murorum edificia cum necessariis fortalitiis pro dicti loci tutela et custodia contra infideles eosdem fundarunt, et construxerunt, gravibus quamvis laboribus et expensis, quas etiam pro huiusmodi custodia eos sedulo oportet de necessitate subire, ne forte infideles ipsi navali adiuti presidio ex insidiis prodeuntes ac locum ipsum carentem custodibus occupantes, quos inibi ex fidelibus invenirent, immaniter trucidarent.

Verum sicut eadem petitio subiungebat, quia post acquisitionem dicti loci Ponta Stagni per eosdem rectorem, consilium et universitatem tantis laboribus et expensis pro pace fidelium et augmento fidei, ut premittitur, factam, venerabilis frater noster Nicolaus, et alii predecessores sui, qui fuerunt pro tempore episcopi Curzolenses alias Stagnen. asserentes ratione iurisdictionis episcopalis sedis Curzolen. decimas, quarum fructus redditus et proventus pro maiori parte in novalibus operibus, que per Ragusinos cives ibidem fiunt, pro tempore consistere dinoscuntur, ex dicto loco sibi deberi, licet locus ipse, qui iam per tercentos annos extra obedientiam et devotionem romane ecclesie permansit, nulla episcopi et predecessorum suorum predictorum industria, opere, diligentia et labore ad fidem redierint orthodoxam, ab eisdem rectore, consilio et universitate decimas postulabat; tandem ipsi veluti obedientie filii, volentes ecclesie parere monitis et mandatis de dicte sedis beneplacito una cum predictorum onerum supportatione pro huiusmodi decimis condecentem responsionem impendere ratione decimarum huiusmodi censum centum ducatorum auri annuatim eidem episcopo in recognitionem iurisdictionis huiusmodi hactenus persolverunt, prout de presenti persolvunt; et nihilominus huiusmodi fratribus et presbyteris, sive rectoribus parochialium ecclesiarum in dicto loco pro tempore divinis obsequiis mancipatis alimenta et alia vite necessaria de bonis eis a Deo collatis sedulo tribuunt et ministrant.

Quare po parte rectoris, consilii et universitatis predictorum asserentium se pro acquisitione eiusdem loci, defensione quoque et augmento fidei magna expensarum onera et quam plurima gravamina subiisse, et continuo, ut premittitur, pro illius custodia atque tuitione subire, nobis fuit humiliter supplicatum, ut eis quod futuris temporibus ad solvendum ratione dictarum decimarum prefato episcopo aut administratori seu commendatario dictae Curzolensis alias Stagnensis ecclesiae pro tempore

existenti vel cuiusque alteri personae maiorem censum dictorum centum ducatorum annis singulis minime teneantur, nec ad id inviti valeant coarctari, indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur de praemissis certam notitiam non habentes huiusmodi supplicationibus inclinati discretioni tuae per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus (te) de praemissis omnibus et singulis auctoritate nostra informes, et si per informationem huiusmodi ea inveneris veritate fulciri, super quo tuam conscientiam oneramus, praefatis rectori, consilio et universitati, postquam ipsi prefato Nicolao vel successoribus eius episcopis Curzolen. qui erunt pro tempore decimam sive censum huiusmodi centum ducatorum auri in terminis et locis, de quibus tibi et eidem episcopo videbitur, anno quolibet efficaciter persolverint, quod ad aliquid aliud ultra dictos centum ducatos ratione huiusmodi decimarum dictis episcopo seu administratori vel commendatorio aut cuicumque alteri persone vicem episcopi inibi gerenti quomodolibet persolvendum minime teneantur, nec ad id a quoquam inviti directe vel indirecte valeant compelli vel quomodolibet coarctari, auctoritate praedicta concedas statuens et decernens, eosdem rectorem consilium et universitatem, quod perpetuis futuris temporibus, quamdiu huiusmodi censum centum ducatorum eisdem Nicolao et successoribus aut cuicumque alteri personae vicem inibi episcopi gerenti realiter et pacifice persolverint annuatim, ut praefertur, a cuiuscunque alterius maioris census solutione seu praestatione ratione huiusmodi decimarum, ut praemittitur, imposterum facienda esse et existere debere liberos pariter et immunes. Nos enim ex nunc irritum decernimus et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari.

Datum Florentiae VI idus Maii pontificatus nostri anno tertio. G. de Callio.

Bibliotheca fratr. minor. Ragusii mss. n. 204 (371) pag. 247.

DXCVI. 1420, 14 Maii, Venetiis.

Nuncio bosinensis voivodae Pauli respondetur: Paulum haberi „in benevolum et bonum ac carum amicum dominii“ veneti; non posse ipsi, quod petit, dari „castrum Lisse et illas insulas Liesne et aliorum locorum, que nuper venerunt ad obedientiam“ veneti dominii; acceptari propositum ab ipso foedus; certum reddi de amicitia veneti dominii, si nequiret sua „castra et bona defendere“; non posse certum reddi de executione ipsius petiti, ut „in nobilem civem venetum“ acceptetur.

Ljubić: Listine, VIII, 16—17.

DXCVII. 1420, 20 Maii, Ragusii.

Comes, nobiles et totum commune Ragusii, Sandal, comitem Vukac, comitem Vuk et filium Vukacii comitem Stephanum in ordinem nobilium et senatorum cooptant, eos domo in urbe et terra donant, ac promittunt se eis omni anno quinquaginta hyperperos pensuros esse.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monumenta serbica, p. 296.

DXCVIII. 1420, 30 Maii, Sokol.

Sandal Hranjć, magnus vojevoda bosnensis, et fratres eius, Ragusinis dimidium župae Konavlje et arcem Sokol donant.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monum. serbica, p. 300.

DXCIX. 1420, 21 Julii, Ragusii.

Rector etc. apud Sandal vojevodam intercedunt pro comite Gregorio, ut ipsi salvum conductum concedat, quo eumdem vojevodam Sandal libere adire et negotia sua cum illo tractare posset.

Pucić: Споменици српски, p. 149.

DC. 1420, 16 Augusti, u pod Visokim.

Tvrtko Tvrtković, rex Bosnae, cessionem župae Konavlje et arcis Sokol Ragusinis factam approbat. Testes vojvoda Vukmir, župan Dragiša, comes Georgius Vojsalić, comes Prebić, comes Radić Radoević, comes Batić Mirković, comes Georgius Dragičević, comes Petrus Klešić, vojvoda Ivko, vojvoda Paulus Jurjević. Scripsit regni logotheta Dušan.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monum. serbica, p. 304.

DCI. 1420, 3 Novembris, Ragusii.

Radosav Pavlović, filius comitis Pauli Radenović, confirmat donationem factam a vojevoda Sandal dimidii župae Konavlje. Scripsit Čičoje Popović.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monum. serbica, p. 306.

DCII. 1420, 3 Novembris, Ragusii.

Comes, nobiles et totum commune Ragusii societatem et amicitiam ineunt cum Radosav Pavlović, vojevoda Bosnae. Scripsit logotheta Rusko.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monum. serbica, p. 308.

DCIII. 1420, 28 Novembris, Venetiis.

Comiti et capitaneo Scutari rescribitur, ut voivoda bosinensis Sandal iuxta suam intentionem libere mittat nuncium Venetias.

Ljubić: Listine, VIII, 47—8.

DCIV. 1421, 5 Januarii, Venetiis.

Provisori veneto Spalati datur facultas regi Bossine vel eius nunciis promittendi, quod venetum dominium non sit permissurum per mare transitum Turcis vel alteri genti, quae aggredi vellet Bosinam, si rex promiserit „succurrere dominio veneto in casu, quo per comitem Joannem sive Polizanos vel per alias gentes molestarentur civitates et loca Dalmatiae“ veneta; et praestiterit auxilium ad occupanda castra Clisii et Dalmisii et duo alia contigua.

Ljubić: Listine, VIII, 66.

DCV. 1421, 12 Januarii, Ragusii.

Rector etc. Radosav Pavlović vojevodae, filio Pauli et fratri Petri, conqueruntur, quod pacta conventa, rite confirmata, non servet.

Pucić: Споменици србски, p. 150.

DCVI. 1421, 27 Januarii, Ragusii.

Rector etc. comiti Brailo Tezalović scribunt, ne iis, qui falsa eidem referunt, fidem adhibeat; sed certus sit se a republica continuo magni aestimari.

Pucić: Споменици србски, p. 151.

DCVII. 1421, 18 Februarii, Ragusii.

Comes, nobiles et totum commune Ragusii cum Radosav Pavlović vojevoda e progenie Pauli Radenović et eius filii Petri iterum amicitiam et societatem iungunt. Scripsit logotheta Rusko.

Miklošić: Monum. serbica, p. 309.

DCVIII. 1421, 10 Martii, Venetiis.

Nunciis Sandali vojvodae bossinensis ad ipsius querellam, quod Veneti occupaverint eiusdem civitatem Catharum, respondetur, occupatam a se fuisse ad petitionem ipsius communitatis „attenta pessima intentione Balse, videndo Sandal tunc sibi subvenire non posse"; interim declarant, promptos se esse Sandalio concedere „de introitibus Catari illam utilitatem, quam inde percipiebat antequam esset sub dominio" veneto, si suo auxilio compullerit Balsam „in faciendo Venetis restitui loca ipsorum".

Ljubić: Listine, VIII, 73—5.

DCIX. 1421, 26 Martii, Ragusii.

Rector etc. quid Sandal vojevoda in quaestione a comite Radosav Pavlović mota, super possessione Canalium, sentiat, scire cupiunt.

M. Pucić: Споменици србски, p. 153.

DCX. 1421, 7 Aprilis, Venetiis.

Senatus Venetiarum legato regis Bosnae renunciat, se velle, ut antiquae conventiones ratae habeantur, locus vero Narentae „taliter fortificetur, quod mercatores (Veneti) possint cum . . . securitate mercari . . . Non recusat „ligam et unionem, quae sit utilis et bona" regi et dominio veneto.

Ljubić: Listine VIII, p. 84.

DCXI. 1421, 22 Aprilis, Borač.

Radosav Pavlović, vojevoda Bosnae, filius comitis Pauli, ratam habet donationem dimidii župae Konavlje, factam a Sandal vojevoda, promittitque se oblivioni esse traditurum iniurias a Ragusinis sibi illatas. Scripsit Vlatko Maroš, vojvodae diaconus aulicus.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monum. serbica, p. 312.

DCXII. 1421, 6 Maii, Ragusii.

Comes, nobiles et totum commune Ragusii hominibus Radosav Pavlović, vojevodae, veniam dant veniendi in urbem, et promittunt se iniurias sibi illatas non curaturos esse. Scripsit logotheta Rusko.

Dr. *Fr. Miklošić:* Monum. serbica, p. 315.

DCXIII. 1421, 26 Maii, Ragusii.

Commune ragusinum petit a vojvoda Sandal informari, qua ratione tractaret cum vojvodae Radosavi nuncio Živko Milović de ipsius medietate župae Canalis (Konavlje).

Pucić: Споменици српски, I, 153.

DCXIV. 1421, 5 Junii, Ragusii.

Rector etc. Sandal vojevodae manifestant, se vojevodae Radosav Pavlović pro reliqua Canalium parte reipublicae cedenda tantum daturos, quantum et vojevodae Sandal solverunt; rogant in hoc negotio a vojevoda iuvari.

Pucić: Споменици српски, p. 154.

DCXV. 1421, 4 Julii, Tibure.

Martinus PP. V., episcopo „Diacen" (Diacou), ut conventus quosdam in confinibus Dalmatiae et Hungariae, quos fratres Bosnenses a sexaginta duobus annis pacifice possident, et ad quos, tempore persecutionum con fugere solent, a ministro generali „Angelo de Senis" ipsis nuper donatos, approbet ipsam donationem et confirmet.

Humilibus supplicum . . . Dat. Tybure IV nonas Julii an. IV.

Ex libr. I de regularib. an. 4 fol. 10. *Wadding:* Annal. minor. tom. X p. 342.

DCXVI. 1421, 13 Julii, Venetiis.

Senatus Venetiarum Sandal magno vojevodae bosnensi renunciat, se loca: Catarum, Antibarim, Budvam et Zentam superiorem, quae in clientelam reipublicae recepta sunt, eidem cedere non posse; addit insuper eumdem vojevodam, qua civem reipublicae, in toto Venetiarum territorio plena libertate gaudere.

Ljubić: Listine VIII, p. 95.

DCXVII. 1421, 17 Julii, Tibure.

Martinus PP. V. concedit fratribus minoribus vicariae Bosnae, ut possint recipere conventum Kabol, dioecesis Bacsiensis, et alium in loco alio ab ipsis eligendo.

Martinus episcopus servus servorum Dei dilectis filiis vicario dilecti filii ministri generalis et fratribus ordinis minorum vicariae Bosnae secundum morem dicti ordinis presentibus et futuris salutem et apostolicam benedictionem. Sacrae religionis vestrae, in qua mundanis abiectis illecebris in humilitatis spiritu cum adoptione voluntariae paupertatis de-

votum et sedulum exhibetis altissimo famulatum, promeretur honestas, ut votis vestris in his praesertim, quae divini cultus augmentum et vestri ordinis propagationem concernunt, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus.

Exhibita siquidem nobis nuper pro parte vestri petitio continebat, quod cum infra regnum Hungariae prope metas eiusdem versus Bosnae, Rasciae, Bulgariae et Valachiae partes, in quibus vos pro fide catholica commorando laboratis, plures schismatici misti cum catholicis sint, et illi, qui ex eisdem schismaticis in huiusmodi metis, seu praefati regni confinibus, per vos cum adiutorio Dei et charissimi in Christo filii nostri Sigismundi regis Hungariae illustris et aliorum praedecessorum suorum ad fidem catholicam conversi sunt una cum aliis Christicolis ibidem circumquaque existentibus continue salutari doctrina indigere noscantur, et aliquando ad ipsos huiusmodi doctrinae salutaris, aliquando vero refugii causa ob persecutionem Turcarum et aliorum infidelium de partibus remotis oporteat vos habere recursum, desideratis aliqua loca ibidem de novo habere sive construere, quibus ex causis praemissis plurimum indigetis, praeter alia, quae habetis in locis fidelium, si vobis super hoc per apostolicam sedem licentia concedatur.

Quare pro parte vestri nobis humiliter fuit supplicatum, ut vobis infra dictum regnum Ungariae (locum) unum in oppido Kabol nuncupato, Baciensis dioecesis, et alium in alio loco congruo et honesto, per vos eligendo, si vobis pia largitione fidelium concedantur, pro usu et habitatione fratrum dicti ordinis recipiendi, fundandi et construendi licentiam concedere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati vobis infra dicti regni Ungariae partes duo loca, unum in praefato oppido Kabol, et alium in loco alio ad hoc congruo et honesto per vos, ut praemittitur, eligendo, si pia largitione fidelium vobis concedantur, ut praefertur, vel aliis iustis modis ea poteritis adipisci, libere recipiendi et licite retinendi et in utroque eorumdom locorum ecclesiam cum domibus, campanili, campanis et coemeteriis, hortalitiis et aliis necessariis officiis fundandi, construendi et aedificandi et in eis fratres dicti ordinis perpetuo commorandi, iure tamen parochialis ecclesiae, infra cuius limites uterque locus huiusmodi construetur, et cuiuslibet alterius, in omnibus semper salvo.

Felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri prohibente, ne fratres ordinis mendicantium loca de novo recipere aut recepta mutare praesumant absque sedis licentia faciente plenam et expressam de prohibitione huiusmodi mentionem et quibuslibet aliis constitutionibus apostolicis contrariis, nequaquam obstantibus, authoritate apostolica tenore praesentium licentiam elargimur; et nihilominus vobis et fratribus et qui in locis huiusmodi construendis pro tempore morabuntur, eadem authoritate concedimus, quod omnibus et singulis gratiis, privilegiis, exemptionibus, immunitatibus et libertatibus gaudeatis et utamini, quibus alia loca et fratres dicti ordinis in illis pro tempore commorantes gaudere consveverunt ac gaudent seu etiam potiuntur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostro concessionis infringere etc. Datum Tibure (sic) XVI. kal. Augusti, pontificatus nostri anno quinto.

Ex original. in tabular. prov. ss. Salvatoris fratr. minor. Gyöngyösien.

*

DCXVIII. 1421, 23 Julii, Ragusii.

Rector etc. Sandal vojevodam rogant, ut auctoritate sua se in acquirendis: arce Sokol, locis Captat, Obod et adnexis territoriis, iuvare velit.

Pucić: Споменици српски, p. 154.

DCXIX. 1421, 31 Julii, Ragusii.

Rector etc. Sandal vojevodae conditiones, quibus arcem Sokol, Captat etc. emerent, amplius explicant.

Pucić: Споменици српски, p. 156.

DCXX. 1421, 18 Augusti, Milodraža.

Stephanus Tvrtko Tvrtković, rex Bosnae, omnia privilegia, a praedecessoribus suis Ragusio concessa, et in his illa, quae Tvrtko et Ostoja dederant, confirmat. Testes: magnus voevoda Sandal, voevoda Vukmir, župan Dragiša Diničić, comes Pribić, voevoda Georgius Vojsalić, pristaldus regius comes Petrus Klešić et comes Georgius Dragičević. Scripsit diaconus Vladić.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monum. serbica, p. 316.

DCXXI. 1421, 26 Augusti, Ragusii.

Rector etc. Vlkmir vojevodae, pro favore Nicolao Gundulić, legato reipublicae, praestito gratias agunt.

Pucić: Споменици српски, p. 158.

DCXXII. 1421, 26 Augusti, Ragusii.

Rector etc. Sandal vojevodae, pro iuvamine Nicolao Gundulić legato exhibito, gratias agunt; insuper promittunt se regi occasione coronationis habendae homagium, ut Sandal ipse suggesserat, praestituros esse.

Pucić: Споменици српски, p. 159.

DCXXIII. 1421, dominica post festum b. Francisci, Tirnaviae.

Rex Sigismundus Stephanum, filium quondam Simonis de Rozgon, creat comitem posoniensem ob praestita sibi servitia, in specie, quia „in regno Boznae sub castro Dobor . . . a Boznensibus, tunc nostris notoriis aemulis, in manibus letalibus fuit vulneribus sauciatus".

Fejér: Cod. dipl. X, 6 p. 403.

DCXXIV. 1422, 26 Januarii, Ragusii.

Commune ragusinum vojvodae Radosavo Pavlović de nuncio ipsius comite Bogdano Muržić, ad incassanda nonnulla debita exmisso, refert.

Pucić: Споменици српски, p. 159—160.

DCXXV. 1422, 26 Februarii, Ragusii.

Rector etc. Sandal vojevodae conqueruntur, quod comes Branko, praefectus arcis Sokol, suos homines in territorium reipublicae irruere et cives depraedari fecerint.

Pucić Споменици српски, p. 161—167. Eodem sensu scriptum et vojevodae Radosav Pavlović; item 4 Martii comiti Branko; dein iterum vojvodae Sandal 14 Martii et Radosavo Pavlović 22 Aprilis.

DCXXVI. 1422, 22 Aprilis, Ragusii.

Commune ragusinum vojvodae Sandal significat, se absque eius consilio nil cum vojvoda Radosav Pavlović acturum.

Pucić: Споменици српски I, 168.

DCXXVII. 1422, 9 Maii, Ragusii,

Commune ragusinum vojvodae Sandal per nuncium Pribisav Pohvalić ipsius argentum remittit, eique felix iter in Bosnam „на станакь“ apprecatur.

M. Pucić: Споменици српски, I, 169.

DCXXVIII. 1422, 21 Junii, Ragusii.

Commune ragusinum župano Radosavo Glavić et christiano Radovac de terris vojvodae Radosavi Pavlović in Canali.

M. Pucić: Споменици српски, p. 169.

DCXXIX. 1422, 26 Maii, Venetiis.

Thomas Mocenigo, Venetiarum dux, medio legati Joannis Georgii regi Bosnae gratulatur de eius ad thronum evectione; memorat quaedam de Venetorum mercandi libertate lege denuo firmanda et de Joanne de Cetines, qui impedimenta ponit coercendo ita, ut eiusdem terrae, si regi placeret, per ipsum occupentur, „exceptis districtibus terrarum, qui tenti et occupati fuissent, per dictum comitem Joannem, excepto castro Clisie et Dalmisio et montanea Polizanorum, quae loca habere debeat dominium“ venetum. Rex Bosinae complanet „differentiam“, quae ratione civitatis Cathari existit inter Venetos et Sandalium. Dominium venetum promittit suam mediationem penes dominos de Malatestis, ut regi, qui „multo optat habere uxorem catolicam“, dent in uxorem unam ex suis.

Ljubić: Listine, VIII, p. 174 Cf. p. 121.

DCXXX. 1422, 29 Augusti, Vicovarii.

Martinus PP. V. fratribus Bosnensibus privilegia a suis praedecessoribus concessa confirmat.

Dum uberes . . . Dat. Vicovarii Tyburtin. dioecesis IV kal. Septembr. an. V.

Ex libr. de diversis formis etc. an. 5 fol. 139. *Wadding*: Annal. Minor. tom. X. p. 352.

DCXXXI. 1422, 10 Septembris, Venetiis.

Respublica Venetiarum promittit via sui legati Joannis Georgii regi Bosnae . . , „contra comitem Johannem de Cetines . . . ballistarios centum . . . usque centum quinquaginta“ et quingentos milites vel militum loco „ducatos octo millia in decem millia“ hac tamen conditione, ut ipse castra „Clissii et Dalmisii“ reipublicae cedat.

Ljubić: Listine, VIII, 188.

DCXXXII. 1422, 4 Octobris, Venetiis.

Respublica via sui legati Joannis Georgii regi Bosnae renunciat, quod sponsam e domo Maltesta obtenturus sit; et ut comiti Johanni e Cetina, si aliter fieri nequeat, „Dalmissam“ cedat, „castrum Clissae reipublicae retineat. Vojvodae Sandali promittuntur pro Catharo 1500—2000 ypperperorum annue.

Ljubić: Listine, VIII, p. 195.

DCXXXIII. 1422, 6 Octobris, Ragusii.

Commune ragusinum m. vojvodae Sandal nunciat, se de ipsius consilio ellegisse duos legatos ad regem Bosnae Tvrtko duosque ad ipsum.

Pucić: Споменици српски, I, 170.

DCXXXIV. 1422, 12 Octobris, Romae.

Martinus PP. V. episcopo Transilvan. ut fratres Bosnenses admittant domum in villa „Chusal“ quam Joannes, Ladislaus, Dionysius, Georgius, Michael et Ladislaus Stephani de Chusal“ nuncupati ad honorem s. Spiritus aedificarunt.

Piis fidelium . . Dat. Romae apud s. Mariam maiorem IV idus Octobris an. V.

Ex libro de diversis et exhibitis an. 5 fol. 4. *Wadding*: Annal. minor. tom. X, p. 352.

DCXXXV. 1422, 15 Octobris, Ragusii.

Rector etc. Tvrtko Tvrtković, regi Bosnensi annuciant morbum epidemicum, quod Ragusii grassaverat, cessasse.

Pucić: Споменици српски, p. 170.

DCXXXVI. 1422, 21 Decembris, pod Visokom.

Stephanur Tvrtko, Bosnae rex, Venetiarum subditis permittit ubique in terris suis libere mercari.

Ljubić: Listine VIII, p. 202. Litterae slavonicae exaratae per manus »Restoe cancellarii« regis, latinae per manum Joannis de Bonisio, notarii veneti. Ibid. p. 206.

DCXXXVII. 1423, 6 Februarii, Sutisca.

Rex Bosnae Stephanus Tvrtco concludit cum Venetiarum duce Thoma Mocenigo medio ipsius nuncii Joannis Georgii foedus contra Joannem comitem cetinensem, promittitque, se usque ad pascha 1424 anni dictum Joannem eiusque terras incipiendo a Clissa aggressurum; traditurus

Clissam, Almisium et Politiam nec non loca iurisdictionis Spalati dominio veneto, pro se vero retenturus alia, utpote castella circa Dalmissam, Zazvuna, Sfin, Travinich et montana Politianorum.

Ljubić: Listine, VIII, 215—7.

DCXXXVIII. 1423, 15 Februarii, Ragusii.

Comes, nobiles et totum commune Ragusii voevodam Radosavum Pavlović, alterius dimidii zupae Konavlje dominum, qui Ragusium christianos Vlatkum Tumrak et Radina, comites Budisav et Vukašin miserat, et cum illis legatis magni vojvodae Sandali, presbyter Dmitar et comes Radovan Vardić advenerant, inter senatores reipublicae recipiunt. Scripsit logotheta Rusko.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monum. serbica, p. 319.

DCXXXIX. 1423, 16 Februarii, Ragusii.

Comes, nobiles et commune Ragusii fatentur, se accepisse ab Helena, Sandali vojevodae uxore et filia despotae Lazari, depositum duorum millium ducatorum aureorum. Scripsit logotheta Rusko.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monum. serbica, p. 321.

DCXL. 1423, 1 Martii, Ragusii.

Rector etc. Tvrtko Tvrtković regi ad ipsius litteras per comitem Radosavum Putničić missas scribunt: proventus ex relicta haereditate Hrvoje ducis, in territorio reipublicae obtineri solitos, mortua Helena regina, Catherinae et Dorotheae, filiabus vojevodae Balša Hercegović aequaliter distribui.

Eodem sensu scriptum est comiti Tvrtko Boro inić, in cuius domo Catherina detinebatur.

Pucić: Споменици српски, p. 171, 172.

DCXLI. 1423, 4 Martii, Ragusii.

Commune ragusinum regi Sigismundo ad ipsius litteras per Farcassium, servitorem Ladislai comitis Blagay, allatas, quibus iniungebat, ut domus condam Chervoy, filii eiusdem Balsae filiabus tradatur, respondet, domum illam possedisse Hrvoje donec vixit, „post mortem eius domum et terrena Elenae uxori suae, dum luce frueretur, possidenda reliquit".

Gelcich: Diplomatarium, p. 288—9.

DCXLII. 1423, 15 Martii, Ragusii.

Commune ragusinum regi Sigismundo notificat, quod nuncius Venetus, qui „per menses octo continuos mansit in regno Bosnae penes d. Tvertchum regem Bosnensem", excitans illum contra Ragusium, „de Bosna die v mensis instantis discessit". Rex Tvrtko, imprimis vojvoda Sandalius et vojvoda Volchmir Ragusio favent.

Gelcich: Diplomatarium p. 290—1. Mense Septembri nuncius venetus rediit in Bosnam. Ibid. 292.

DCXLIII. 1423, 7 Aprilis, Borač.

Radosav Pavlović, vojevoda Bosnae, filius Pauli Radenović, a Ragusinis in ordinem nobilium et consiliariorum cooptatus confirmat privilegia a praedecessoribus Ragusinis data, et donationem arcis Sokol in Konavlje factam a Sandal vojevoda. Jurant primores eiusdem generationis: comes Radosav Obradović, comes Radosav Vladimirić, comes Tvrtko Mihajlović, comes Vukašin Mozolić, comes Ostoja Borovinić, vojvoda Vlkas, comes Budisav, comes Stephanus, comes Vukašin Vladimirić, comes Tvrdisav Borovinić, comes Janko Gaočić. Scripsit diaconus Ostoja.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monum. serbica, p. 322.

DCXLIV. 1423, 17 Aprilis, Ragusii.

Rector etc. Sandal vojevodae respondent, se accepisse litteras et iis, quae scripserat, consentire.

Pucić: Споменици српски, p. 173.

DCXLV. 1423, 19 Aprilis, Ragusii.

Rector etc. respondent Radivoj Medošević, quod possit ad lubitum se recipere in urbem.

Pucić: Споменици српски, p. 173.

DCXLVI. 1423, 20 Aprilis, Venetiis.

Franciscus Foscari, Venetiarum dux, notum reddit, Stephanum regem Bosnae cum filiis et haeredibus suis inter cives venetos et in ordinem nobilium maioris consilii cooptatum esse.

Ljubić: Listine VIII, p. 227.

DCXLVII. 1423, 16 Maii, Ragusii.

Rector etc. scribunt Petro Jamomet eius servum inventum per quemdam Dobrašin Milusić reduci.

Pucić: Споменици српски, p. 173.

DCXLVIII. 1423, 16 Maii, Ragusii.

Commune ragusinum Petro Jamomet ad ipsius requisitionem eiusdem servam Živka per Dobrašin Milušić remittit.

Pucić: Споменици српски, I, 173.

DCXLIX. 1423, 18 Maii, Romae.

Martinus PP. V. donationem conventus Janeri, dioces. Agrien. per Ladislaum de Losont banum exstructi, factam fratribus Bosnen. instante Sigismundo Ladislai filio confirmat.

Piis fidelium . . . Dat. Romae apud s. Petrum xv. kal. Junii an. vi.

Ex libr. de divers. formis an. 6. fol. 219. *Wadding*: Annal. minor. tom. X. p. 166.

DCL. 1423, 6 Augusti, Venetiis.

Franciscus Foscari nuntio in Bosna Joanni Georgio committit, ut m. vajvodae Sandali exponat, dominium Venetum contentari, quo ipsius „caravanae" libere eant Catarum; consensum dari, ut vajvodae „de introitibus salis camere Catari" annue pendantur 600 ducati, non posse tamen permitti, „quod adderetur in concordio fiendo, quod si rex Bossine vel dominus Turchorum dicto Sandali committeret, quod iret vel mitteret gentes suas in subsidium d. despoti cognati sui, contra nostrum dominium et terras nostras Albaniae, quod hoc facere posset."

Ljubić: Listine, VIII, 246—8.

DCLI. 1423, 1 Novembris, Blagaj.

Sandal, magnus vojevoda Bosnae, Venetis dat veniam libere eundi per terram suam Catharum.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monum. serbica, p. 325.

DCLII. 1423, 27 Decembris, Kukan.

Sandal, vojevoda Bosnae, testatur se accepisse omnem pecuniam Ragusii depositam.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monum. serbica, p. 329.

DCLIII. 1423, 31 Decembris, Ragusii.

Commune ragusinum regi Sigismundo nova oratoris veneti in Bosna contra Ragusium molimina sed absque effectu refert; ragusinos etiam oratores adesse apud regem Bosnae et voivodam Sandagl.

Gelcich: Diplomatarium, p. 294.

DCLIV. 1424, 1 Februarii, Venetiis.

Instrumentum, quo Sandal, magnus Bosnae vojevoda, inter nobiles Venetiarum cooptatus est, renovatur.

Ljubić: Listine, VIII, p. 255.

DCLV. 1424, 13 Februarii, Venetiis.

Comites „Vocaç" et „Volchus" fratres vojevodae Sandal, filii vero ducis „Chragne" nec non et Stephanus Cossace, dicti „Vocac" filius, inter nobiles Venetiarum assumuntur.

Ljubić: Listine, VIII, p. 256.

DCLVI. 1424, 16 Februarii, Venetiis.

Concordia inter Sandal vojevodam et rempublicam Venetiarum initur. Provisio duc. 600 pro remissa Venetis civitate Cathari „extenditur etiam ad comites Vocaz et Volchum fratres suos (Sandali) et comitem Stephanum, nepotem ipsius d. Sandali, ac filium comitis Vocaz, et heredes eorum et omnes de progenie ipsius domini Sandali appellata Cosaze". Confirmatur possessio domorum Cathari et Jadrae.

Ljubić: Listine, VIII, p. 257.

DCLVII. 1424, 20 Martii, Ragusii.

Commune ragusinum regem Sigismundum Venetiarum invasionem timendo exorat, ut „regi Bosnae, d. Sandalio et despoto (Serbiae)“ urbem commendet, quo „exigente necessitatis causa“ ipsi sint auxilio.

Gelcich: Diplomatarium p. 296.

DCLVIII. 1424, 17 Junii, Venetiis.

Senatus Venetiarum regi Bosnae, dolere se, scribit, de tristi statu regni, cui ex parte Turcorum tanta immineant pericula.

Ljubić: Listine VIII, p. 274.

DCLIX. 1424, 7 Julii, Venetiis.

Scribatur vaivodae Sandali, ut Policenses, qui invadunt quotidie territoria Spalati, se a damnis et offensionibus abstineant.

Ljubić: Listine VIII, 275.

DCLX. 1424, 28 Julii, Romae.

Martinus V. confirmat omnia ea, quae olim Gregorius PP. XII circa regimen fratrum vicariae Bosnen. statuerat, nempe ut omnes fratres intra limites ipsius vicariae, in confiniis Hungariae, partibus Dalmatiae ac insulis immediate a ministro generali et eius vicario solum dependeant, neque ulli ministri provinciales eos, in hac parte, molestare audeant.

Martinus episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis vicario, dilecti filii ministri generalis, et universis fratribus ordinis fratrum minorum provinciae sive vicariae Bosnae secundum morem eiusdem ordinis salutem et apostolicam benedictionem. Sacrae religionis, sub qua mundanis abiectis illicebris in contemplationis svavitate altissimo sub humilitatis spiritu devotum et sedulum exhibetis famulatum, promeretur honestas, ut votis vestris, illis praesertim, per quae imminentibus dispendiis occurritur, ac quieti et statui vestris consulitur, quantum cum domino possumus, favorabiliter annuamus.

Exhibita siquidem nobis pro parte vestra petitio continebat, quod dudum pro parte quondam Bartholomaei de Alberna, tunc vicarii quondam Antonii de Pereto, generalis ministri ordinis minorum in provincia seu vicaria Bosnae, secundum morem dicti ordinis ac fratrum totius ipsius ordinis infra limites dicte vicariae tunc degentium bonae memoriae Angelo, in universali ecclesia episcopo tunc Gregorio XII. in eius obedientia, de qua partes illae tunc erant, nuncupato, exposito, quod licet ipsi fratres, qui infra limites dicte vicarie degebant, circa confinia regni Ungariae et iuxta mare in quibusdam insulis partium Dalmatie haberent certa loca, eis auctoritate apostolica concessa ad hoc, quod cum ab infidelibus et hostibus nominis Jesu Christi, videlicet hereticis et Turcis, impugnarentur seu persecutiones paterentur, aut alia causa de aliquibus domibus etc. infra dictos limites consistentibus expellerentur, ad eadem loca declinare sive refugium illic pro mansione ipsorum possent habere, tamen nonulli provinciales ministri seu officiales alii dicti ordinis, ipsis fratribus, qui degebant pro tempore infra limites antedictos, erant infesti, illosque sue

potestati subiicere, dictaque loca sibi applicare moliebantur, in vicarii et fratrum predictorum iacturam et gravamen, quamvis minister generalis dicti ordinis, qui erat pro tempore, loco sui vicarium dictis fratribus haberet deputare, cui et dicto ministro generali existenti pro tempore prefati fratres, infra predictos limites degentes, iuxta ipsius ordinis regularia instituta duntaxat subesse tenerentur. Et deinde pro parte eorumdem Bartholomaei vicarii et fratrum, praefato Angelo, tunc Gregorio XII supplicato, ut eis in premissis opportune providere dignaretur; idem Angelus tunc Gregorius XII per suas certi tenoris litteras statuit et ordinavit, quod fratres eiusdem ordinis tunc praesentes et futuri, qui inter eosdem limites pro tempore residerent, sub nullius provincialis ministri aut alterius superioris seu praelati predicti ordinis potestate regerentur, nec ipsi provinciales ministri seu superiores aut officiales, de ipsis fratribus infra eosdem limites degentibus pro tempore et eorum locis, tunc susceptis, et etiam in futurum suscipiendis per ipsos, quibuscumque et ubicunque iuxta limites vicarie et confinia regni Ungarie predictorum, ac in Dalmatie partibus et insulis antedictis, se intromittere deberent ullo modo; sed ipsi fratres cum dictis locis, dicto ministro generali, nec non vicario per eosdem fratres etc. pro tempore electo seu postulato, ac per dictum generalem ministrum existentem pro tempore instituto seu deputato aut confirmato iuxta ordinis et vicarie huiusmodi consuetudines subesse, ac illis intendere et per ipsos duntaxat gubernari deberent.

Postmodum vero dilectus filius Antonius de Massa, dicti ordinis et sacre pagine professor, ac eiusdem ordinis generalis minister in generali capitulo eiusdem ordinis Ferrarie celebrato provide attendens indefessos labores et sollicitudines, quos vicarius et fratres infra limites prefatos degentes pro fide catholica perferunt incessanter, de consilio dicti capituli et auctoritate sui generalatus officii omnes gratias, quas modernus suique antecessores vicarii dicte vicarie, a quocumque suo praedecessore seu capitulo habuerunt, aut dicta vicaria habuit, quas omnes et singulas tunc pro exhibitis et presentatis haberi voluit, cum omnibus locis hactenus scilicet et usque ad dictum generale capitulum, pro eadem vicaria ubilibet habitis seu receptis approbavit et confirmavit, prout in prefatis ac ipsius Antonii generalis ministri sub sigillo munitis, desuper confectis litteris, plenius continetur. Cum autem sicut eadem petitio subiungebat, vos, qui postmodum etiam quaedam alia loca vobis, pro vestris usu et refugio assignata, recepistis, dubitetis super dictis locis premissis, nec provinciarum ministros ac superiores dicti ordinis molestari posse tempore procedente, ut litteris prefatis pro illarum subsistentia firmiori robur apostolicae confirmationis adiicere, aliasque eis et eorum tranquilitati opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur dictarum litterarum tenores habentes praesentibus pro expressis ac cupientes, ut vicarius et fratres infra dictos limites degentes pro tempore, eo quietius divinis obsequiis ac regulari observantie intendere, nec non pro fide catholica ferventius laborare valeant, quo se a quibuslibet molestiis et perturbationibus per amplius se noverint absolutos, huiusmodi supplicationibus inclinati litteras prefatas et quecumque inde secuta auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus, districte inhibentes provincialibus ministris presentibus

et futuris ac superioribus supradictis, ne contra tenorem et formam presentium aut predictarum litterarum quicquam attemptare aut ipsos fratres super illis molestare seu loca predicta per eos hactenus recepta usurpare quovis modo audeant vel presumant. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac statutis et consuetudinibus dicti ordinis iuramento confirmatione apostolica vel quacumque firmitate alia roboratis ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo etc.

Datum Rome apud s. apostolos v kalendas Augusti pontificatus nostri anno octavo.

Annal. Bosnae p. 130. scripti a P. Vincentio Blaho ord. s. Franc. provinc. ss. Salvatoris Chronologo. Mss. tabularii provinc. eiusdem in conventu Gyöngyösien.

DCLXI. 1425, 27 Junii, Romae.

Martinus PP. V. consentit Sigismundo Hungariae regi, „prope capellam sine cura s. Georgii vicegradensis, strigonien. diocesis“ conventum fratribus minoribus Bosnae aedificaturo, ordinatque „quod guardianus et qui in dicta domo degent fratres . . regulam iuxta declarationes et traditiones apostolicas ad literam . . . observare teneantur . . et . . solum . . generali ministro . . aut eius in provincia Bosne vicario subesse debeant . .“

Cum secularium principum . . . Dat. Rome apud ss. apostolos v. kal. Julii an. VIII.

Original. in tabular. provinciae fratr. minor. ss. Salvatoris Hungariae in conv. Gyöngyös. *Wadding:* Annal. minor. tom. X. p. 384.

DCLXII. 1425, 9 Augusti, Venetiis.

Nunciis Sandal vojvodae ad porrecta capitula respondetur: aguntur gratiae de noticia, inter reges Hungariae et Bossinae pacem initam esse — circa acquisitionem provinciae policensis et salinarum comitis Joannis de Cetina velle se informare „a rectoribus nostris“ — „utilius fieri et securius“ pro Sandal, qui petiit „provideri cum Mustapha“ privilegio, quo confirmentur „confinia sui paisii“, ut adexpectetur, „qualiter facta dicti Mustafe succedent“ — iniungendum fore comiti Catharensi, ut de civitatis introitibus vojvodae Sandal 600 ducatos pendat; ita etiam rectoribus Dalmatiae, ut ipsius adversarios ex omnibus civitatibus expellant.

Ljubić: Listine IX, 4—6.

DCLXIII. 1425, 20 Octobris, Ragusii.

Commune ragusinum regi Sigismundo, ad eius litteras 25 Septembris Budae datas, exprimit gaudium intellecto eo, „qualiter inter serenitatem vestram et illustrem d. regem Bosne, mediantibus aliquibus ambasiatoribus, non parve importantie tractati existunt“; qua occasione velit etiam Ragusii memor esse.

Gelcich: Diplomatarium, p. 309—312.

DCLXIV. 1426, 23 Junii, Drieva.

Comes Nicolaus Jurjević mittit Ragusium suum legatum Vlkosav Mirković cum plena potestate.

Pucić: Споменици српски, II, 83.

DCLXV. 1426, 6 Augusti, Ragusii.

Commune ragusinum regi Sigismundo exprimit dolorem, quod nil de ipso audiat pluribus mensibus „aut propter cursorum segnicina, que postquam Bosne confines actingunt, ad serenitatem vestram pergentes sero curant ad propria remeare, aut forte propter passus Bosne, qui et mensibus retrolapsis et nunc undique sunt a Turchorum potentia occupati“ ... „Tota fere presenti aestate circa 4000 Teucrorum exercitus fuit in Bosna; nec d. rex Bosne, nec barones ipsius ausi fuerunt contra eos novitatis aliquid attentare. Voivoda Sandalius et voivoda Radossavus Paulovich, de concordia invicem se tentantes, bonam inter se pacem fecere. Qui Teucri bis Crohacie fines hostiliter invaserunt, predatique fuerunt magnam predam, Crohatorum videlicet et Vlacorum ibidem permanencium. Bis et predam fecerunt in partibus Ussore in Srebrnich. Fuerunt etiam in partibus voivode Slatonossovich. Qui Teucri versus propria remeantes ipsorum pauci in Bosna permanserunt . .“

Gelcich: Diplomatarium, p. 317—319.

DCLXVI. 1426, 7 Octobris, Sutiska.

Stephanus Tvrtko Tvrtković, rex Bosnae Joanni Marnavitio Nissensi litteris consignavit partem in Nissa et Zvornik, a Nissava et Bosna pagum Hvojnice et sub Thum. Testes: palatinus, župan Drissa Diničić, palatinus Radosav Pavlović, palatinus Georgius Vojsalić, comes Pribić Milošević, palatinus Petrus Silesić, comes Georgius Dragičević, Otribač, comes Vuk Rogatić, c. Dragić Radičević, c. Vukač Vuković, c. Paulus Sančić, praefectus aulae Tvrtko Bogonović, c. Joannes Bubanić.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monumenta serbica, p. 329. Versum in latinum. Sublestae fidei.

DCLXVII. 1427, 10 Januarii, Ragusii.

Comes, nobiles etc. commune Ragusii testantur se accepisse a comite Brajlo Tezalović depositum quingentorum aureorum.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monum. serbica, p. 330. *Pucić*: Споменици србски, II, 83—4.

DCLXVIII. 1427, feria 2 post festum s. Trinitatis, Brasoviae.

Rex Sigismundus Sigismundo, filio condam Ladislai, olim bani, de Losoncz, donat possessionem Mezas in comitatu de Zarand ob ipsius servitia, praecipue „dum alias quondam Zandal vajvoda de Bozna ... cum non paucis Boznensibus nec non Turcis ... congregatis animo ipsius regni nostri Bosniae confinia lacessendi et derobandi ... bellum instaurasset.“

Fejér: Cod. dipl. X, 6 p. 854.

DCLXIX. 1417, 2 Septembris, Bobovac.

Stephanus Tvrtko, rex Bosnae, si absque prole moreretur, Hermanum, comitem Celjensem etc. banum Croatiae, suum ex sorore nepotem, regni Bosnae haeredem instituit.

Kukuljević: »Izvadci listina ... bosanskih« in Arkiv II, Razd. I, p. 24. *Katona*: Histor. Critic. Hungar. tom. XII, p. 477.

DCLXX. 1427, feria 2 post festum nativitatis b. M. V., Rosno.

Sigismundus rex bano Mačvensi Joanni de Maroth et eius filio Ladislao donat oppidum Velike „in regno Slavoniae et in comitatu crisiensi, ob ipsius servitia quoque in Boznia contra Turcas, ubi „captus et in Turciam abductus per continuos quatuor annos et ultra huiusmodi captivitatis poenas perferre est coactus, donec erga pretium 40.000 flor. auri se redemisset.

Fejér: Cod. diplom. X, 6 p. 886.

DCLXXI. 1417, in festo b. Martini e. c. Nandoralbae.

Sigismundus rex Joanni de Gara, filio condam Nicolai palatini, donat plures possessiones in comitatu de Valko, ob praestita sibi servitia; in specie dum Turcae regnum Bosnae subintrarunt, tunc Joannes, „qui eotum vojvodatus Usurae fungebatur officio, transfretato fluvio Savae, bellicum decrevit inire certamen .. et nonnullis lethalibus vulneribus in sui personam susceptis captivitatem quorundam infidelium nostrorum Bosnensium subire coactus est", ubi „qer plura tempora" carcere detinebatur.

Fejer: Cod. dipl. X, 6 p. 860.

DCLXXII. 1427, 6 Decembris, in loco Urok.

Nicolaus de Gara palatinus ordinat, ut haeredes sui curam gerant monasterii pro fratribus de observantia i. e. vicariae Bosnae a se aedificati.

Notum sit omnibus praesentibus et futuris, quod ego Nicolaus de Gara, palatinus ... pro remedio animae meae monasterium fratribus s. Francisci de observantia et ecclesiam, quam ad honorem beatae Dei genitricis Mariae aedificavi de benevolentia serenissimi regis et excellentissimi Sigismundi ... conservare .... ecclesiae et monasterii ipsius ... (sem)per curam ipse filius noster vel post eum, qui ditionem nostram de Urok, super Vagh fluvium, cum possessionibus suis possidebit ... habeat ... quia ordinavi .... quod memoria animae meae .... ipsius autem monasterii in ditione mea de Urok ...

Datum in Urok feria sexta post festum s. Andreae anno incarnationis Domini 1427.[1]

Ex regio tabular. quaesturae Posonien.

DCLXXIII. 1427, 31 Decembris.

Radoslav Pavlović, magnus vojevoda Bosnae et filius eius comes Ivaniš amicitiam et societatem coeunt cum Ragusio; cedunt ei dimidium župae Konavlje, et confirmant privilegia data Ragusinis a comite Paulo et a vojevoda Petro. Scripsit diaconus Ostoja.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monumenta serbica, p. 336.

[1] Nota P. Vincentii Blaho, Chronologi prov. ss. Salvatoris. »Instrumenti huius lacinias ex tabulario regiae Posoniensis quaesturae excerptas debeo A. R. P. Antonio Manczini, in Gymnasio Posoniensi Grammat. professori societatis Jesu ante huius dissolutionem sacerdoti, origine Cassoviensi et Franciscanis Cassoviensibus foedere in participandis bonorum operum meritis coniuncto. Totum exscribere nec eidem est concessum.

DCLXXIV. 1427, 31 Decembris, Ragusii.

Comes, nobiles et totum commune Ragusii Radosavum Pavlović, magnum vojevodam Bosnae, et filium eius comitem Ivaniš in ordinem senatorum et iudicum cooptant, eos palatio in urbe donant, et se eis omni anno pro dimidio župae Konavlje sexcenta hyperpera soluturos esse promittunt.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monum. serbica, p. 343.

DCLXXV. 1427, 31 Decembris, Ragusii.

Radosav Pavlović, magnus vojevoda Bosnae, et filius Ivaniš fatentur se a Ragusinis accepisse tredecim millia aureorum pro sua parte župae Konavlje. Scripsit logotheta Ostoja.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monumenta serbica, p. 349.

DCLXXVI. 1427, 31 Decembris, Ragusii.

Comes et nobiles et totum commune Ragusii fatentur se accepisse a Radosavo Pavlović, vojevoda e manu eiusdem nunciorum, comite Radosavo Obradović, vojevoda Vlkas Pribilović, vojevoda Radoje Ljubišić, Brajlo Tezalović et diacono Ostoja, depositum sex millium aureorum.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monumenta serbica, p. 350.

DCLXXVII. 1428, 4 Novembris, Ragusii.

Rector cum consilio nunciis suis in Hungariam Volzi de Babalio et Paladino de Gondola excusat se, quod ob varia impedimenta non miserit suos nuncios ad regem Sigismundum, dum cum rege Bosnae conveniret.

Gelcich: Diplomatarium, p. 331.

DCLXXVIII. 1428, 20 Novembris, Visoko.

Tvrtko Borović, comes Bosnae, communi ragusino scribit, ut cum eiusdem procuratore comite Mihoč Rastić quoad domos et terras iuxta documenta et morem rem componant.

Pucić: Споменици српски, II, 84.

DCLXXIX. 1428, 5 Decembris, Karansebesini.

Sigismundus rex confirmat exemptiones et privilegia a Ludovico I. fratribus ordinis minorum vicariae Bosnae concessa.

Nos Sigismundus Dei gratia Romanorum rex semper augustus, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae rex etc. ad cunctorum praesentium pariter et futurorum notitiam cum sempiternae memoriae digna commentione volumus pervenire, quod, quia illo nos volente, qui caelestia pariter et terrena moderatur et dirigit, ad id crebra meditatione nostra convertimus studia, curasque nostrae diligentiae deputamus, ut religiosi et Deo devoti viri, fratres minores ordinis seu religionis s. Francisci confessoris vicariae Bosnae, in quibuscunque locis, claustris, conventibus et coenobiis eorumdem, ubicunque in regnis nostris praedictis situatis et existentibus

pro tempore residentibus, in nostra gratia speciali existentes, qui scilicet pro nostro, regnorumque nostrorum praedictorum statu prospero et felici erga regem caelorum et dominum, a quo status nostri diriguntur salubria, iugiter iutercedunt, sub alis nostri regalis favoris nostraeque defensionis et tuitionis regiae potentiae umbraculo respirantes in pacis semper multitudine delectentur.

Permoti itaque devotione speciali, quam ad praedictum venerabilem ordinem s. Francisci gerimus et habemus et volentes religiosos viros guardianos ceterosque fratres ipsius ordinis minorum, qui sunt in claustris de Chery, de Sebes, de Hatsak et Orsava, et qui etiam pro tempore erunt, ab omni prorsus procuratione et opera servili ipsorum claustrorum esse semotos et rellegatos, ut eo liberius eoque devotius et sedulius contemplationi dediti intra divina officia vacare possint et debeant, quo maioris commoditatis svavitute pacisque et tranquillitatis dulcedine senserint se munitos, eisdem fratribus annuimus et consensimus, concessimusque gratiose, quemadmodum per felicis reminiscentiae condam serenissimum dominum Ludovicum, regem Hungariae, socerum nostrum charissimum suas per litteras, quae in specie coram nobis productae fuerant, comperimus factum fuisse, ut ipsi nunc et semper in praedictis civitatibus, videlicet in Cheiy unum et Sebes unum, in Hatsak unum, et in Orsova unum, similiter homines, fundos curiarum seu domos in eisdem habentes, sponte se offerentes eligere valeant atque possint, qui procurationes ipsorum claustrorum et fratrum in eis pro tempore existentium exercere valeant et teneantur; quique ab omni solutione solitarum daciarum et contributionum nobis et officialibus nostris faciendis exempti habeantur et supportati; queant tamen uti terris, sylvis et aliis utilitatibus ad suas domos seu fundos curiarum spectantes, aliisque cunctis utilitatibus ipsarum civitatum, prout alii utuntur et fruuntur; iustitia etiam eis, toties quoties opus et necesse fuerit, per omnia administretur, recusa procul mota, hoc nihilominus declarantes, ut iidem fratres minores ipsos homines eligendi et conservandi ac dum placuerit ab officio eorum removendi et deponendi ac alios loco eorum constituendi et proficiendi plenam et commodam potestatis habeant facultatem. Ita videlicet, ut tales homines per ipsos fratres depositi, et a servitio seu eorum officio remoti, de collectis et aliis solutionibus instar caeterorum hospitum earumdem civitatum modo pristino respondere teneantur.

Praeterea si quidam in districtu de Sebes Schismatici et perverse agentes inventi fuerint homines, qui possessiones nonnullas et sub titulo nobilitatis, etiam sub titulo beneficiali hactenus tenuerunt et presbyteros schismaticos in eisdem conservarunt et foverunt, atque plurimi catholicorum hominum scilicet simplicium conditionum eorum falsis dogmatibus seducti in errores et schismaticorum ritum ab universali ecclesia condemnatum, putantes recte agere se immerserunt. Verum tamen nos a quibusdam dicti ordinis fratribus de quadam edocti constitutione, apud Deum et homines plurimum commendabili, in et super eo per memoratum serenissimum dominum regem Ludovicum edita, ut in tota provincia seu toto districtu de Sebes nullus alter nisi vero (vere?) catholicus et fidem, quam romana tenet et profitetur ecclesia, fideliter colens, possessiones aliquas sub titulo nobilitatis aut sub titulo beneficiali tenere possit

ac conservare et possidere, super qua quidem constitutione etiam omnes nobiles et Kenesii ipsius provinciae iuramenti sacramento prius ab eisdem exacto requisiti, sicut ipsam, ut praemissum est, dictus quondam serenissimus dominus rex Ludovicus statuerat, nobis plenam fidem fecerunt, eandem constitutionem renovamus, immo et de novo praesentium facimus per tenorem, similiter statuentes sub decreto, ut in ipsa provincia seu toto districtu de Sebes nullus alter nisi vere catholicus, ac fidem, quam romana tenet et profitetur ecclesia colens, possessiones aliquas sub titulo nobilitatis aut sub titulo kenesiali tenere possit, ac conservare et possidere, decernentes per expressum ac generaliter inhibentes, ut nullus nobilium vel Kenesiorum ipsius districtus de Sebes, presbyteros schismaticos seu presbyterum schismaticum intra terminos seu limites eiusdem districtus de Sebes alicubi in sua possessione quocunque et qualicunque titulo ipsum contingenti, sub poena privationis suarum possessionum tenere valeat aut fovere; et si quispiam nobilium vel kenesiorum huius contrarium facere attentaverit, huius possessiones per castellanum nostrum de Sebes pro tempore constitutum pro nostra occupentur maiestate. Nec etiam aliquis huiusmodi presbyterorum schismaticorum in ipsa provincia de Sebes, aut in aliqua ipsius parte pergere queat, neque possit animo suis perversis dogmatibus catholicos seducendi et ad ritum schismaticorum attrahendi, cunctis nostris castellanis et officialibus de dicta Sebes praesentibus et futuris harum mandantes vigore, ut amodo per antea omnes presbyteros schismaticos, qui intentione seducendi populum catholicum et ad ritum schismaticum pervertendi in ipsa provincia de Sebes morantur, aut hinc inde vagantur, reperierint, detineant et privent eorum bonis universis, nec sinant ipsos, aut ipsorum aliquem intra metas ipsius provinciae alicubi residere; statuimus insuper decernentes, ut in tota hac provincia de Sebes nullus catholicus possit contrahere matrimonium cum aliqua schismatica, nec vice versa schismatica cum catholico cuiuscunque modi, status, vel conditionis existat, nisi prius schismaticus aut schismatica a presbytero catholico communionem sanctae romanae ecclesiae habente fuerit baptizatus vel baptizata. Et si quis his ausu temerario contrarium fecerit, subeat poenam proditionis nobilium bonorum suorum in usum castellani nostri de Sebes pro tempore constituti convertendorum. Volumus etiam atque praesentibus edicimus, ut in tota ipsa provivcia de Sebes omnibus et singulis cuiuscunque status et conditionis hominibus diebus sabbatis usus carnium publice interdicatur et ad quorumcunque notitiam deducatur, qui si esu carnium aliquo sabbati die temerarie usi fuerint, poenam subeant trium marcarum per castellanum nostrum de Sebes pro tempore constitutum ab eisdem, et a quolibet talium extorquendarum.

Decernimus denique per expressum iniungentes, ut quilibet nobiles Kenesiorum, vel etiam rusticalium personarum faciat suos infantes per catholicos sacerdotes et non per schismaticos baptizare; neque quis audeat aut quovismodo praesumat infantem suum vel alterius cuiuscunque infantem ad sacerdotem schismaticum pro baptismatis susceptione portare, poenis privationum bonorum suorum sub praemissis. Immo et ipsis sacerdotibus schismaticis, ubicunque in terris regnorum nostrorum existentibus, per hanc nostram interdicimus personam, ne et ipsi quempiam de districtu

Sebes baptizare praesumant; hoc etiam edicimus, ut nullus schismaticorum sacerdos aliquem catholicum districtuum Hathusak et Mihold debeat baptizare, et si quispiam eorumdem his contrarium facere attentaverit, coërceatur immo et puniatur privatione suorum bonorum per castellanos in Sebes et in Mihold constitutos. Didicimus denique per sufficientia documenta, quod plerisque iam compertum sit viribus, ut nonnulli in reprobum sensum dati homines in fide catholica baptizmatis fonte renati et baptizati abiecto Dei timore et infernalibus cruciatibus parvi pensis ad ritum schismaticorum se conuerterunt et eisdem cousi fuerunt, verum quia tales, non christiani et fidei christianae cultores, sed mere haeretici, immo eis peiores sunt reputandi, nos eorum perhorrendissimae perversioni medium correctionis opportune opponere volentes praesentibus sancimus, ut omnes tales, qui baptizati ad ritum schismaticorum se converterint et eis usi fuerint, per castellanos nostros in Sebes pro tempore constitutos omnibus bonis mobilibus priventur, et si nobiles aut Kenesii fuerint in huiusmodi perniciosa et clamabili perversitate reperti, talium possessiones per eosdem a nostra occupentur maiestate.

Caeterum quia praedicti fratres minores in dicto claustro de Sebes pro tempore residentes crebre lignorum habeant indigentiam pro claustri domorumque ac tum habitationum eorumdem refectione et reparatione, nec ea aliunde habeant capere, nisi a nobis eis sit provisum, obligamus nos ex certa nostra scientia et regiae potestatis plenitudine, eisdem fratribus, qui in dicto claustro de Sebes sunt, et qui pro tempore erunt, annuimus, ut quandocunque et quotiescunque iidem fratres minores ecclesiam aut domos vel necessaria habitationum suarum reficere et reparare necesse habuerint, semper iidem de nostris regalibus silvis et etiam de silvis quorumcumque Kenesiorum nostrorum regalium in ipso districtu de Sebes residentium, ligna eis placida (sic) et ad huiusmodi reparationem reficiendorum valentia et convenientia ad sufficientiam capiendi habeant plenam facultatem, mandantes per harum tenorem firmissimo sub praecepto castellanis de Sebes ac omnibus et singulis Kenesiis nostris regalibus modernis et futuris, ut dum et quotienscunque aut quandocunque per fratres ipsius claustri pro huiusmodi eis dandis lignis fuerint requisiti, semper eisdem ad praemissorum reficiendorum reparationem ligna sufficientia dare debeant et teneantur absque recusa aliquali, et nec in his secus facere praesumant.

Presentes autem in praemissorum memoriam et firmitatem perpetuam sigilli nostri munimine roboratas ipsis fratribus duximus concedendas.

Datum in praedicto Sebes feria quinta post festum b. Andreae apostoli anno Domini 1428, regnorum nostrorum anno Hungariae 42. Romanorum 18, et Bohemiae 9.

Ex originali in tabular. provinc. ss. Salvatoris fratr. minor. Gyöngyösien.

DCLXXX. 1429, initio Aprilis.

Comes Vlk Vlkičević communi ragusino per nuncium Joannem Aleksić notum facit, quod comes Vlahota Hranković canonem suum arendalem pro portorio in Dreva persolverit.

Pucić: Споменици српски, II. 84.

DCLXXXI. 1429, 14 Junii, Venetiis.

Franciscus Foscari, dux Venetiarum, magno vojvodae Sandalio, eiusque filiis et haeredibus, nec non comiti Wocaç eiusque filio comiti Stephano donat domum, quae fuit nobilis viri Nicolai Mauroceno in contrata s. Trinitatis.

Ljubić: Listine IX, 35.

DCLXXXII. 1429, 15 Julii. Ragusii.

Comes, nobiles et totum commune Ragusii fatentur, se accepisse a Sandal, vojevoda Bosnae, per Pribisav Pohvalić depositum in auro et argento, quod ad ipsius proles, si illas haberet, secus ad comitem Vlkac et ipsius filium comitem Stephanum, ipsorumque masculam progeniem transeat, ita ut si c. Stephanus habuerit posteros, medietas cedat illis, alia autem medietas his quatuor eiusdem progeniei familiis: familiae Stepković (c. Radivojo, c. Radisavo et c. Radić), familiae Ostojić (c. Ivaniš et c. Vlatko Obradović), familiae Vlković (c. Ivano et c. Sladoje), et familiae Gojsalić (c. Dragiša). Scripsit logotheta Rusko.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monum. serbica, p. 356. *Pucić*: Споменици србски, II, 85—7.

DCLXXXIII. 1429, 15 Julii, Ragusii.

Comes, nobiles et totum commune Ragusii fatentur, se accepisse ab Helena, coniuge Sandal vojevodae, per Pribisav Pohvalić depositum mille ducatorum aureorum.

Dr. *Miklošić*: Monumenta serbica, p. 358. *Pucić*: Споменици србски, II, 87—88.

DCLXXXIV. 1429, 10 Novembris, Ragusii.

Comes, nobiles et totum comune Ragusii fatentur se accepisse a Sandal vojevoda depositum trium millium ducatorum aureorum erga easdem conditiones et dispositiones (v. nro. DCLXXXII). Scripsit logotheta Rusko.

Pucić: Споменици србски, II, 88—9.

DCLXXXV. 1429, 15 Decembris.

Bosnensis comes Tvrtko Borović communi ragusino fatetur, sibi a c. Mihoč Rastić, nobili ragusino, persolutum esse arendalem canonem.

Pucić: Споменици србски, II, 89. Similiter sub 26 Aprilis 1430. Ibid. 90—1.

DCLXXXVI. 1430, 3 Aprilis, Ragusii.

Commune ragusinum regi Sigismundo conqueritur, quod „his nuperime evolutis diebus Radosavus vojvoda in partibus Bosne, qui in dominio successit quondam Petro Paulovich, fratri suo, nulla legitima causa precedente . . . ausus fuerit gentibus suis . . . intrare territoria huius civitatis . . . partem comitatus derobando“. Idem quondam captivavit quamplurimos ex Hungaris. Unde petit, ut rex exercitum mittat „ad territoria confinancia cum territorio castri Srebrenich in Usura“, quod castrum tenet regi fidelis comes Mateus; ex quo poterunt „territoria dicti Radosavi, que cum territoriis castri Srebrenich confinant, damnificari.“ Mittat

*

etiam in hunc finem nuncios „dispoto Georgio, regi Bosne et vojvode Sandagl, qui non multum amicantur dicto Radosavo".

Gelcich: Diplomatarium p. 336—8.

DCLXXXVII. 1430, 30 Aprilis, Ragusii.

Commune ragusinum regi Sigismundo notum facit, quod Radosavus vojvoda gentes congregaverit „in Trebigna et alibi", ut irruat in Canale (Konavlje); et quod „nonnulli ex suis gentibus" die 26 d. m. irruerint „ad locum ragus. Gliuta dictum" in „certam quantitatem gentium ragusinarum, quae se ad Canale conferebat; atque Joannem Lampreda Zrieva cum certis aliis interfecerint, et postea ragus. „contratam Breni" depraedaverint. Renovat petitionem die 3 Aprilis.

Gelcich: Diplomatarium p. 338—341. Eiusdem ferre tenoris est epistola diei 11 Maii e. a. Ibid. p. 341—2. Item commissio data 18 Junii e. a. Paulo de Gozze, Christophoro de Poza, Demetrio de Ragnina, Joanni de Resti et Leonardo de Zorzi, civibus Ragusinis in Novobrdo, nec non Živko Gjurković, nuncio exmisso ad Turcorum imperatorem, ad implorandum ipsius auxilium contra Radosavum. Ibid. p. 343—6.

DCLXXXVIII. 1430, 16 Maii, Romae.

Fr. Gulielmus de Casali minister generalis ord. s. Francisci, quosdam conventus vicariae Bosnae visitari iubet.

In Christo tibi charissimo fratri Joanni de Capistrano, socio meo ex parte italica personali et commissario ac visitatori in omnibus provinciis regni Apuliae, fr. Gulielmus de Casali, ordinis minorum generalis minister et servus, salutem et pacem in Domino sempiternam.

(Ut) commissa per me tibi possis efficacius implere, presentium tibi tenore concedo . . . Vale . . . ex Roma manu propria 16 Maii . . .

Volo per easdem potestatem habeas in locis vicariae Bosnae subiectis, in provincia Apuliae constitutis, quam habes in provinciis per me praemissis.

G(ulielmus). Placet. Visa propria manu.

Exemplum bibliothecae »Vittorio Emanuele« Romae, »Manoscritti Gesuitici« Cod. 339. (saeculum XVII) fol. 66.

DCLXXXIX. 1430, 20 Junii, Ragusii.

Commune ragusinum regi Sigismundo agit gratias ob eius sollicitudinem de compescendo vojvoda Radossavo, „patarino iniquissimo", manifestatam litteris Tatae die 18 Maii datis; item nunciat, quod gentes dicti Radossavi denuo die 3 Junii irruerint in territorium ragusinum.

Gelcich: Diplomatarium p. 347—8.

DCXC. 1430, 5 Julii, Romae.

Martinus PP. V. abbati monasterii s. Chrysogoni permittit, ut ecclesiam et domum, quam „Simon de Begna . . . sub vocabulo ss Hieronymi et Petri martyris in loco insulae Jadrens. civitatis . . . a civitate per quinque millia distante" aedificavit, fratribus vicariae Bosnae applicet.

Piis supplicum . . . . Dat. Romae apud sanctos apostolos III nonas Julii an. XIII.

Ex libr. I de diversis formis etc. an. 13 fol. 17. *Wadding*: Annal. minor. tom. X, p. 488.

DCXCI. 1430, 3 Augusti.

Vojvoda Sandal communi ragusino scribit, ut nuntio suo Stanoje Stanković consignet 300 duc. aur. de foenore 6000 depositi, item 500 hyperperos de introitu Canalis. Scripsit diac. Pribisav, filius presb. Milaj.

Pucić: Споменици српски, II, 91.

DCXCII. 1430, 29 Augusti, Venetiis.

Oratoribus regis Bossinae, qui communi veneto nunciarunt, quod rex Hungariae et dominus Teucrorum ab illo requirant, ut cum veneto „dominio rumpat", respondetur, dominium venetum „certissimum" esse, quod fatus rex „conventiones et promissiones" suas cum illo servaturus sit.

Ljubić: Listine IX, 44—5.

DCXCIII. 1430, 31 Augusti, Ragusii.

Commune ragusinum regi Sigismundo nunciat, quod „perfidus et nequissimus hereticus patarinus Radossavus Paulovich" coram Teucrorum domino „multa ficta et falsa" contra Ragusium confixerit; unde 20 huius appulit Teucrorum nuncius subassa, qui quaesivit, ut dicto Radosavo restituatur „pars sua contrate Canalis", quam tamen ragus. civitas „suis pecuniis diu ab ipso perfido emerat", secum minatur, se exercitu suo comitatum ragus. depraedaturum. Unde commune expedivit nuncium „ad ipsum Omorat dominum Teucrorum".

Gelcich: Diplomatarium, p. 348—350. Ad petitionem oratoris ragusini sultanus misit Ragusium alterum subassam, qui re investigata, communi adiudicavit partem Canalis, »imponens silentium pro re ipsa Radosavo«. Ibid. p. 351—3.

DCXCIV. A. 1430.

Sigismundi regis regestum, sive planum propositionem.

Art. XXVI. „Scit bene d. Nicolaus de Gara palatinus et quam plures alii, quod terrae et provinciae, ut sunt Jalomfeöld Hlevna, Berzechel et aliae, quae nunc occupatae tenentur per regem Bosniae et Bosnenses, ipso praedicto d. regi Ludovico tenebantur, et possidebantur per banum Croatiae . . . Item sciunt, quod ecclesia boznensis, cuius episcopus nunc in Diaco residet, est ultra Savum, quae similiter nunc cum suis terris a Boznyensibus possidetur".

Kovačić: Supplem. ad vestigia comitior. I, 373 ss. *Fejér*: Cod. dipl. X, 7 p. 243 ss.

DCXCV. 1431, 6 Februarii, Ragusii.

Comes, nobiles et totum commune Ragusii fatentur, se a Sandal vojevoda accepisse depositum pecuniae aureae et argenteae per Pribisav Pohvalić. Inserunt ragus. logotheta Niksa Zvezdić.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monum. serbica, p. 364.

DCXCVI. 1431, 11 Martii, Romae.

Eugenius PP. IV. instante Sigismundo rege, potestatem facit Juliano, cardinali s. Angeli, legato, ut, praemissis informationibus, si utile esse

repererit, domus fratrum minorum in australibus partibus Hungariae „et inibi residentes fratres sub custodia et gubernatione“ custodis Bosnensis reduceret et „in statum pristinum reponeret“.

Rationi congruit . . . Dat. Rome apud s. Petrum anno incarnationis dominice millesimo quadringentesimo tricesimo primo, v idus Martii an. I.

Wadding: Annal. minor. tom. X, p. 486. *Theiner*: Monum. Hung. tom. II, p. 210.

DCXCVII. 1431, 7 Aprilis, in castro Novi.

Martinus de Frangepanibus Segnien. etc. comes una cum consorte sua Ursia consignat monasterium et ecclesiam beatae Mariae V. prope castrum Trsat fratribus minoribus vicariae Bosnae; et pro eorum faciliori sustentatione iisdem insuper quasdam possessiones cedit.

Nos Martinus de Frangepanibus divina miseratione Segnie, Veglie, Modrussieque comes. Universis ad quorum manus pervenerint Christifidelibus presentes litteras inspecturis presentium et futurorum notitiam. Ad perpetuam memoriam significamus quibus expedit omnibus, quod nos divina gratia existentes in bona sanitate mentis nostre una cum consorte nostra carissima domina Vrsia comitissa, considerantesque quod sobole ex utero nostro caremus, quam possessionibus nostris relinqueremus heredem, elegimus pleno affectu, animo deliberato ac tota voluntate habere sub Deo patre et Christo eius filio beatam gloriosam virginem Mariam, pro nostra heredumque nostrorum patrona et domina ipsam specialiter elegisse, eidemque nos tota devotione adstringi. Sed quia affectus gloriam respicit ad laudem omnipotentis Dei, et beate virginis Marie honorem ac christiani populi utilitatem decrevimus edificare ac fundare edificium et ecclesiam in honorem intemerate et gloriosissime Dei genitricis virginis Marie, ob specialem devotionem, quam eidem gerimus, sepedicte ecclesie beate Marie virginis in districtu de Vinodol prope castrum nostrum vocatum Tersat; in qua quidem ecclesia, per nos constructa, ut iam dictum est, in honorem virginis Marie ad canendum laudes et psalmos omnipotenti Deo in remissionem peccatorum nostrorum et pro salute animarum predecessorum nostrorum, statuimus immo deliberando decrevimus viros Deo devotos, fratres minores s. Francisci de observantia, vicarie Bosne, cui ordini specialem devotionem gerimus, eisdemque dictam ecclesiam commendare regendam more aliorum monasteriorum dicti ordinis et nunc et perpetuis temporibus. Ut igitur ipsi fratres in ipso monasterio degentes temporalibus subsidiis sufficienter adiuti liberius Deo serviant et ipsius misericordiam pro salute animarum nostrarum assiduis ipsorum orationibus valeant impetrare, illis pro anime nostre remedio et omnium predecessorum nostrorum, possessiones nostras supra fato castro nostro Tersat concedimus, ponendo metas videlicet: lapis triangulus in littore maris et deinde ascendens versus partem orientalem ad primam semitam vulgariter vocatam Prekrisie pod Gerz; deinde ascendens per viam publicam ad secundam semitam vulgariter vocatam Prekrisie; deinde vergit ad manum sinistram per viam publicam confinium ex boreali parte ad tertiam semitam in planitiis, semper quidem ascendens per viam publicam, per quam curribus ad castrum nostrum Tersat ascenditur, ad arborem vulgariter vocatam Kopriua; deinde per viam publicam

ad angulum capelle nostre s. Georgii penes castrum ex parte orientali; deinde directe descendens per montem incultum ad flumen, que quidem dividit Recham cum nostro Tersat per medium fluminis longitudinis triginta trium passuum, per medium laci maris versus partem occidentalem, et deinde venit per lacum marinum ad meridiem et terminatur in prima meta supradicta, cum terra et latitudine canarum seu stangarum Crouatorum mensura, simul cum cunctis earum pertinentiis terrisque, videlicet arabilibus, cultis et incultis, agris, pratis, pascuis, fenilibus, silvis, nemoribus, vineis, aquis, aquarum decursibus, molendinis, molendinorum locis, et generaliter cum quibuscunque integritatibus, utilitatibus, usufructibus, proventibus et emolumentis, qualitercunque vocatis, sub earum seu eorum veris metis ad eosdem seu easdem spectantibus et pertinentibus seu spectare et pertinere prefato monasterio beate Marie virginis fundato, prope dictum castrum Tersat, et fratribus in eo familiariter Deo servientibus in perpetuam helemosinam dedimus, donavimus, adiudicavimus et contulimus. Ac dedimus insuper dicto monasterio vadum nostrum, unum molendinum et unam stuppam in fluvio Recha, nec non fenilia in valle dicta Draga cum veris metis et terminis eiusdem sine aliqua diminutione, que ad nos spectabat. Ex quibus omnibus supra nominatis possessionibus elegimus esse dotem dicte ecclesie pro victu et usibus fratrum ibi commorantium, et pro reparatione et utilitate ecclesie prenominate convertantur; ante nostrum ex hac luce decessum aliis dotationibus dictam ecclesiam dotabimus. Idcirco per presentes legavimus, dedimus et contulimus, confidentes de Salvatoris promissione, (qui omnibus ea) ob sui amorem (reliquentibus) pollicitus est restituere centena pro uno et etiam vitam eternam (se) daturum, (et) ut etiam nos coheredes facere dignetur; propterea ipsum salvatorem dominum nostrum Jesum Christum, et suam benedictam matrem virginem Mariam possessionum prefatarum, tenore presentium, heredes instituimus, creavimus et fecimus iure perpetuo et irrevocabiliter; imprecantes omnes et eorum conscientias cnerantes, quod huic nostre voluntati donationique ausu temerario non contradicant, nec quidquam minimum usurpando vel Christum dominum nostrum et eius matrem exhereditare presumant; et si fecerint, tales temerarii cogantur respondere coram tribunuli domini nostri Jesu Christi in die iudicii, noverintque iusto divino iudicio ipsos exhereditandos de regno celorum. Idcirco omnes tales cuiuscunque status, conditionis et preeminentie existant, qui hanc nostram donationem et concessionem infringere studuerint vel operam dederint, maledictionem et indignationem Dei omnipotentis beateque virginis Marie beatorumque apostolorum Petri et Pauli et totius celestis curie, nec non excommunicationem summi pontificis eo facto incurrant; prohibentes autem, ut nulli fratrum nostrorum aut nepotum heredumque eorum hanc donationem liceat violare, frangereque in perpetuum, seu quomodolibet impedire, cum et ex eorum voluntate et consensu processerit. Ut autem prefata donatio nostra perpetuum robur et firmitatem obtineat, presens instrumentum fecimus, mandavimusque sub appensione nostri maioris sigilli roborandum. Datum et actum in castro nostro Novi die septima Aprilis, anno domini millesimo quadringentesimo trigesimo primo, indictione septima.

Ego Joannes Baptista Aqueus Tergestinns publicus sacra imperiali auctoritate notarius ac iudex ordinarius supradictam privilegii, concessionis ac donationis copiam ex authentico sigillato solito maiori sigillo, intacto et illaeso praefati quondam illustrissimi comitis Martini de Frangepanibus etc. de verbo ad verbum prout iacebat nihil addens vel minuens fideliter extraxi ad instantiam et requisitionem reverendissimi patris fratris Francisci Jaycensis ministri Croatiae et Bosnae. Ideo me in fidem subscripsi signo cum nominibus meis appositis consvetis in fidem et testimonium omnium praemissorum.

Judices ordinarii s. Viti, terrae Fluminis, universis et singulis has praesentes nostras inspecturis fidem facimus, suprascriptum dominum Joannem Baptistam Aqueum esse notarium legalem et authenticum eiusque scripturis publicis plenam hic ab omnibus adhiberi fidem et ubique merito adhiberi posse.

Datae Flumine s. Viti die 21 Martii 1567.

L. S. com. flum. Bartholomaeus Manlius, cancellarius de mandato etc.

Ex exemplari in tabular. conventus fratr. minor. Trsateno in Croatia. *Sladović*: Povĕsti biskupija senjske i modruške ili krbavske. Str. 238—240.

DCXCVIII. 1431, 7 Maii, Ragusii.

Commune ragusinum Benedicto Fulchi de Forlivio, oratori Sigismundi imp. et regis „ad Teucrorum imperatorem", commendat, ut iuxta datam sibi commissionem satisfactionem „damnorum communi per Radosavum Paulovich illatorum", „penes d. Teucrorum, cuius vasallus et fidelis est ipse Radossavus", exoperetur. Petit informationem, litteris dirigendis mercatoribus nostris in Prestina aut Novo monte" (Novobrdo).

Gelcich: Diplomatarium p. 354–5.

DCXCIX. 1431, 4 Junii, Bosnae.

Eugenius PP. IV. episcopo Transilvanensi, ut „vicario Bosnae auctoritate apostolica praecipiat" aliquos fratres mittere ad monasterium s. Michaelis archang. a Joanne de Sello de Loroniz" in Telfalva prope Regen. dioces. Transilvan. aedificatum.

Justis et honestis . . . Dat. Romae apud s. Petrum anno incarnationis Dominicae MCCCCXXXI. II. nonas Junii an. I.

Ex libr. I. de divers. form. an. I, fol. 182. *Wadding*: Annal. minor. tom. X, p. 492.

DCC. 1431, 6 Septembris, Ragusii.

Commune ragusinum regi et imp. Sigismundo conqueritur iterum de Radossavo Paulovich, „perfido heretico patarino, qui in dies in nos gravius sevit et molitur„; multarumque expensarum auctor extitit, nam „stipendiarios Italicos" contra illum intertenere, oratores ad d. Teucrum mittere debet. Interim Radosavus, postquam Teucrorum oratorem sibi devincire scivit, „cautis modis et versutiis quesivit se reconciliare cum rege Bosne", quem contra Ragusium excitare tentavit; unde petitur imperatoris intercessio penes regem Bosnae.

Gelcich: Diplomatarium, p. 355—8.

DCCI. 1431, 19 Septembris, Ragusii.

Commune ragusinum imperatori Sigismundo notum facit, quod Radosavus Paulovich revera sese cum rege Bosnae reconciliaverit, huncque oratorem nobilem Ivanem Goisich Ragusium exmisisse, qui regis „admiracionem" enunciavit, „quod absque eius licentia et sciencia impetraverit (commune) a. d. Teucrorum ex territoriis ipsius Radossavi fidelis sui"; e contra voluisse se „serenitati sue" (regi Bosnae) in memoriam revocare, quod Radosavus „paulo ante quesiverat alium regem inducere in Bosnam", reconciliationem ipsius non esse sinceram, „nam videns se arctatum et statum suum labescere, non quod amicus esse vellet, magna simultate dispondit se corone sue amicum et fidelem". Petitur denuo intercessio penes regem Bosnae.

Gelcich: Diplomatarium p. 358—362.

DCCII. 1431, 2 Novembris, Romae.

Eugenius PP. IV. supplicantibus „Fr. Joanne Corethye de Spaleto et Blasio de Sclavonia" permittit, ut fratres Bosnenses in provinciis „Dalmatiae, Croatiae, Bosnae, Sclavoniae et Hungariae" inter fideles (quos Turcae saepissime adoriuntur, bona eis eripiunt, filios abducunt, multos trucidant, sacerdotes et ministros inde abigunt), tria loca, si pia largitione fidelium concedantur, recipere possint.

Dum uberes fructus . . . . Datum Romae apud s. Petrum anno etc. MCCCCXXXI. IV nonas Novembris anno I.

Ex libr. 2 de regularibus an. I, fol. 46. *Wadding*: Annal. minor. tom. X, p. 497.

DCCIII. 1431, 30 Decembris, Ragusii.

Commune ragusinum imp. Sigismundo supplex fit, ut, quum Teucri orator, prout sibi per Stephanum Bicheli nunciatum fuit, ad complananda cum Radissavo Pavlovich dissidia non advenerit, penes „dominum Teucrorum Omorat" exoperari velit, „quod nobis contra dictum Radossavum ius velit administrare", et damna reficere.

Gelcich: Diplomatarium p. 363—4.

DCCIV. 1432, 20 Martii, Ragusii.

Commune ragusinum „Donise de Vladichovichi" Dalmatiae et Croatiae vice-bano ad litteras 17 Februarii Venetiis datas respondet, binas imp. Sigismundi litteras ad Bosnae regem et vojvodam Sandagl directas a se illico per oratores suos ad ipsos expedivisse; gratiasque agit de oblata intercessione apud regem Bosnae, quod qua imperatoris orator „negotium" Ragusinorum promoturus sit.

Gelcich: Diplomatarium p. 364—5. D. Vladković die 22 Julii appulit ad regem Bosnae et 26 e. m. inde recessit legatione feliciter peracta. Ibid. p. 372.

DCCV. 1432, 22 Martii, Ragusii.

Commune ragusinum imperatori Sigismundo notum inter caetera facit: „Isach voivoda Teucrorum per viam Bosne cum circa 3000 Teucris transivit in Croaciam, in Luca et tenutis Jadre, ubi magnum damnum armentorum et gregum intulit; personarum vero minimam, immo quasi nullam predam facere potuit". Revocatus ab ipso Omorat.

Gelcich: Diplomatarium p. 367.

DCCVI. 1432, 25 Octobris, Ragusii.

Radosav Pavlović et filius comes Ivaniš, pacem ineunt cum Ragusinis. Testes: comes Jurko Vladimirić, c. Aleksa Paštrović, c. Ivaniš Dukoević, c. Ostoja Borovinić, c. Radosav Vladimirić, c. Budisav Bogavčić, c. Tvrdisav Borovinić, c. Tvrtko Mihajlović, c. Stepan Čipčić, voevoda Vukašin Zbisalić, c. Sanko Bogavčić, c. Vučihna Bratelević, c. Vukašin Vladimirić, c. Brajlo Tezalović et c. Ivaniš Hrebeljanović. Scripsit diac. Ostoja.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monum. serbica, p. 366.

DCCVII. 1432, 11 Novembris, Ragusii.

Commune ragusinum imperatori Sigismundo nunciat: „Teucri ad numerum 3000 equorum, vel circa, in Croaciam pluribus diebus transierunt, ubi . . parum, immo nullum damnum intulerunt. Lis orta est inter d. regem Bosne et d. dispot Sclavonie, qui ad confinia territoriorum suorum se damnis afficiunt, ac turbant et molestant . . ."

Gelcich: Diplomatarium p. 378.

DCCVIII. 1433, 21 Februarii, Ragusii.

Comes, nobiles et totum commune Ragusii fatentur se a Sandal vojevoda accepisse depositum 8731 ducatorum aureorum, aliaque insuper vasa et obiecta ex auro, per comitem Pribisav Pohvalić. Inscripsit ragus. logotheta Nikša Zvezdić.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monum. serbica, p. 372.

DCCIX. 1433, 2 Martii, Sutiska.

Stephanus Tvrtko Tvrtković, rex Bosnae, pacem a Radosav Pavlović, vojevoda cum Ragusinis compositam confirmat. Testes: voevoda Petar Klešić, aulae magister Ivaniš Biohanić et comes Tvrtko Borovinić.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monum. serbica, p. 374.

DCCX. 1433, 25 Martii, Borač.

Radosav Pavlović, vojevoda Bosnae, pacem cum Ragusinis 25 Octobris anni 1332 initam iuramento firmat. Testes: comes Jurko Vladimirić, c. Aleksa Paštrović, voevoda Vlkašin Zbisalić et c. Brajlo Tezalović. Scripsit diac. Ostoja.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monum. serbica, p. 376.

DCCXI. 1433, 1 Aprilis, in partibus Uzorae.

Stephanus Tvrtko rex Bosnae, ex Hungaria, quo aufugerat, in Bosnam rediens, per quosdam sinistre informatus hortatur vicarium Bosnae s. Jacobum, ne novitates in monasteria franciscana inducat, profitetur se velle fidem catholicam defendere etc. ipsum vicarium invitat, ut in Bosnam redeat, et quaedam componat.

Stephanus Twertko, Dei gracia rex Rascie, Bosnie, Maritimeque etc. Reverendissimo in Christo patri domino Jacobo de Italia, ordinis fratrum minorum, sacrosancte scripture predicatori, amico nostro carissimo, in spiritu sancto omnimodam salutem cum amicabili caritate non reddente malum pro malo.

Reverendissime pater. Altissimo deo teste, tue paternitatis pridem in regno nostro adventus non displicuit nobis, ut eciam hoc bene noscitis; inde transactis vobis aliquibus diebus in nostro regno, (nos) informati vere per quosdam magistros ex religione vestra, duxerimus ad vestram paternitatem seriose dicere, ne inciperentur per vos in eodem nostro regno, que usque modo non fuerunt per priores sanctos vestros fratres vestros exorta; vos ob hoc forsitam maius per nostros inimicos adhortati, in ira de regno nostro secessistis.

Nunc autem, sancte pater, et quam plurimum indisplicenter scentimus, vos tam maleque pessime, nos non hominem christianum reputando, nisi quam paganum per christianitatem diffamare quoque iudicatis, quod absit. Quamobrem supplicamus humiliter vestre paternitati intuitu Dei omnipotentis revenire ad nos cupiamus; nosque exultare coram se, atque vestros, per quos sumus inducti in tale scandalum, si opus inquam fuerit ponam me in meritam culpam, sin autem ipsorum (detegere) veritatem rei vestrum officium est. Nos, honorandissime pater, non tedet vos nostrum in regnum fidem romanam predicare modo, ymo et nos volumus hanc adiuvare, (quem) ubique (volumus) habere (commendatum) tanquam (vicari)um et amicum carissimum cum debita dileccione. Si vero recusaveritis premissa hec, factum sciatis hoc in munere, in tali re nullatenus volumus sic pertransire, ymo amodo ad curiam romanam (aliquos ex nostris) intendimus destinare, nosque de talibus expurgare; recommendando nos vestris piis orationibus.

Datum in partibus nostris Uzore primo die mensis Aprilis anno domini 1433.

Ex original. in tabular. conventus fratr. minor. della Nova Neapolit. Sigillum cum inscriptione illegibili; in scuto corona. Externe: Littera regis Stephani regis Rassie et Bosne in favorem beati fratris Jacobi de Marchia.

DCCXII. 1433, 30 Septembris, Romae.

Eugenius PP. IV. approbat omnia privilegia a Joane PP. XXII[1] Urbano PP. V., Urbano PP. VI, Martino PP. V. fratribus vicariae Bosnae olim concessa; insuper addit, quod possint „in de Harabkh, Alsan, Chabol, Kovinum, Haran, Orsua, Kewesd, Cheri, Sebes et Haczach, terris

[1] Cum hora undecima... Dat. Avinione X kal. Novembr. an. VI. Apud *Wadding*: Annal. minor. tom. VI, ad an. 1321.

regi (Sigismundo) subiectis, et in quibus heretici et schismatici plerique, nec non populus veram Dei notitiam non habens, moram trahunt, evangelizationis ministerium prosequi . . . et . . . ad habitandum domos recipere . . . omnibus et singulis gratiis, privilegiis etc. uti, ac in singulis ipsarum terrarum villis etc. a quibus . . . episcopi catholici inibi dioecesani ultra duas dietas legales remoti fuerint, ea que ad huiusmodi episcopalem dignitatem pertineant, exercere . . ."

Romanus pontifex . . . Dat. Rome apud s. Petrum anno incarnationis dominice 1433 pridie kal. Octobris an. III.

Original. in tabular. fratr. minorum prov. ss. Salvatorrs Hungariae conventus Gyöngyös. *Wadding*: Annal. minor. tom. X, p. 213, ubi tamen nomina locorum non recte leguntur uti: Harablech, Resan, Thabol.

DCCXIII. 1433, 5 Octobris, Ragusii.

Commune ragusinum oratoribus suis ad imperatorem ituris, Paschali de Resti, Marino J. de Gondola et Blasio de Georgio inter caetera committunt, ut voivodam Radosavum Pavlović, qui cum Ragusinis pacem iniit, ad ipsius preces imperatori comendent.

Gelcich: Diplomatarium p. 381.

DCCXIV. 1434, 22 Januarii, Pod Vsinem.

Ivaniš banus, comes Cetinensis etc., ad preces Fr. Joannis, vicarii bosnensis, Dminoslavum Vehoević, eiusque familiam, declarat in posterum ab omni et quavis praestatione liberum.

Ми бан Иванишь, кнезь цетински и клишьки и вељле, дамо видити всаком8 чловик8, ком8 се достои, по сем нашем8 ѡтворен8 лист8, да 8чинисмо т8и милость Дминослав8 Вехоевић8 и нѣгов8 осьтатьк8 по прошни почьтованога м8жа ѡтца нашега д8ховнога Ж8вана викара босаньскога, ѡстависмо реченом8 Дминослав8 и негов8 ѡстатьк8 всаки доходакь, ки би имиль к намь пристоѧти ѡт нега тако д8катьни тако всак8 сл8жб8, ка би пристоѧла от нега к намь; и заповидамо тврьдо всимь власникомь нашимь, ки с8 сада и ки хоте наприда бити, да више рѣенога Дминослава имаю 8 всемь ѡвоме држати више писаномь; и да неимаю зань ниѥдьне потрѣбе ниѥднимь х8димь диломь, ниѥдьнимь дохотькомь, ки би к намь пристоѧль, ниѥдьномь заповидию; и ноще га прѣдасмо 8 сл8жьб8 црикви свете Марие подь Всинѥмь с ономь земьломь, к8 м8 см8 заминили за негов8 крчь. и на все ово више писано дасмо Дминослав8 ѡвь нашь ѡтворень листь подь наш8 печать ва вичие потврѣение, нем8 и негов8 ѡсталом8. Писан подь Всинѥмь (sic) двадесет и др8ги дань геньвара мисеца, лита гна тис8ча четириста тридесеть и четири.

Ex original. in tabular. conventus fratr. minor. Trsaten. in Croatia. Sigillum parvum rubrae cerae impressum.

DCCXV. 1434, 30 Aprilis, Basileae.

Sacrosancta generalis synodus basiliensis, confirmat omnia indulta et privilegia, a sede apostolica fratribus minoribus vicariae Bosnae concessa. tam quoad conventus, quam quoad electionem vicarii et modum regiminis,

Sacrosancta generalis synodus Basiliensis in Spiritu Sancto congregata universalem ecclesiam repraesentans. Ad perpetuam rei memoriam. Universalis ecclesia in decore sancte religionis ordinis fratrum minorum, sub qua domino devotum et gratum illius fratres impendunt famulatum, exultat, praesertim dum prospicit, quod per exercitium bonorum operum et preclara sanctitatis merita alios trahant ad divine laudis preconium, evangelizent verbum Dei, et tamquam ministri Satoris eterni in agrum sterilem non credentium uberius serere semen gratie non formidant, circa illorum igitur statum optimum omni studio invigilat, ut pacis et tranquilitatis affluant ubertate. Sane nuper dilectissimi ecclesiae filii Sigismundi, Romanorum imperatoris et regis Hungarie, nobis exhibita petitio continebat, quod nonnulla loca, claustra seu conventus et domus dicti ordinis, de observantia sancti Francisci nuncupati, in Hungarie, Bozne et Dalmatie regnis constituta, generali ministro duntaxat immediate subiecta, que per vicarium vicariatus Bozne iuxta morem ipsius ordinis reguntur et gubernantur; quorum fratres in eorum opportunitatibus ad ipsum vicarium tanquam superiorem semper habuere, prout habent, recursum. absque eo, quod aliquis provincialis minister de regimine, gubernatione, aut superioritate locorum claustrorum et fratrum predictorum se quovismodo intromittere debeat vel etiam teneatur. Quodque pro predictorum tam fratrum quam locorum conservatione multa sint eisdem a sede apostolica privilegia indulta. Quare pro parte ipsius imperatoris asserentis eosdem fratres in regnis predictis etiam a tempore dive memorie Ludovici regis Hungarie, qui ad eos singularem gerebat devotionis affectum, ab infidelibus multas et diversas persecutiones pro fide catholica sustinuisse, et sine numero suis sanctis vita, moribus et predicationibus infideles ad fidem traxisse; nobis fuit humiliter supplicatum, ut prefatis fratribus, ne in premissis per aliquos molestentur seu impediantur, providere, ipsosque, si opus fuerit, generali ministro, prout subiecti sunt, subiicere et per vicarium predictum regendos fore decernere et statuere, nec non predicta eis a sede apostrlica indulta privilegia confirmare dignaremur. Nos igitur quieti et tranquillitati dictorum fratrum intendentes huiusmodi supplicationibus inclinati, eorum etiam generali ministro assensum prebente, omnia et singula loca, claustra seu conventus et domos fratrum in regnis predictis et in partibus ad ipsa vel aliquod ipsorum pertinentibus, tam inter fideles quam inter infideles constituta seu constructa et in futurum construenda, et illorum fratres per eundem vicarium Bosne, electum per dictorum locorum fratres, et per ministrum generalem confirmatum, regendos et gubernandos, prefato generali ministro duntaxat, auctoritate universalis ecclesie, sicut a longissimis temporibus fuerunt subiicimus et decernimus ac volumus subiacere, ita quod provinciales ministri seu alii in ipso ordine superiores deputati, nullam in dicta loca claustra, conventus, ac domos et fratres eorundem iurisdictionem habeant, vel aliquam potestatem; sed perpetuis

futuris temporibus ab eis et horum iurisdictione ac superioritate exempti simpliciter et penitus sint immunes.

Confirmamus etiam omnia et singula eisdem a sede apostolica pro ipsorum conservatione et augmento fidei indulta privilegia et ea volumus perpetuo in suo robore pèrmanere. Non obstantibus statutis et consvetudinibus domorum et ordinis predictorum et iuramento confirmare apostolica vel quavis firmitate alia roboratis ceterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre subiectionis, constitutionis, voluntatis et confirmationis infringere vel ei ausu temerario quovis modo contraire. Si quis autem hoc attentare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac universalis ecclesiae se noverit incursurum.

Datum Basilee pridie kal. Maii anno domino millesimo quadrigentesimo tricesimo quarto. (L. S. P.) Dupplicata M de Leweld.

Diploma hoc synodale, quod in archivo provinciae (ss. Salvatoris) reperimus munitum est plumbo rotundae figurae sigillo, e canabinis zonis pendente. In parte huius una videre est divinum spiritum a mundi servatore missum, quem congregati patres excipiunt; parte vero altera hanc vetustis characteribus inscriptionem: † SACROSCA : GENERALIS : SINODUS : BASILIENSIS.« Nota P. Vincentii Blaho.

Ex original. in tabular. prov. ss. Salvatoris fratr. minor. Gyöngyösien.

DCCXVI. 1434, 4 Julii, Csanadini.

Joannis Marzali de excursionibus militaribus in Turcos susceptis, ad b fr. Jacobum de Marchia, relatio.

Religiose vir, pater noster percarissime! Vestra scire dignoscatur paternitas, qualiter vestra paternitas nos excitabatur (sic), dum et quando erga nos hic in Chanado fuistis, in salutem et emendationem plebis pro defensione tocius christianitatis cum secura et tuta processione et gressu fidedigno contra sevissimos Turcos etiam Christi inimicos; nos quoque confisi in eisdem verbis, per vos nobis prolatis, cum gentibus nostris exercitua(libus) applicuimus ad Posesyn iuxta Danubium cum aliis fratribus et amicis nostris; deinde transfretati ipsum tota die videlicet et nocte feria quarta sequenti post festum beatorum viti et modesti martirum. De gestis autem nostris, quid ibi egerimus sicut domino nostro imperatori patefecimus, sic et vestre eiusdem paternitati patefacimus, eandem literam de verbo ad verbum, sicut et scripsimus eidem domino nostro imperatori de gestis (nostris).

Sacratissima imperialis maiestas, domine noster naturalis, metuende! Eadem imperialis cesarea vestra serenitas . . . cum gentibus nostris exercitualibus per vestram serenitatem deputatis, (ut) in quodam registo, presentibus incluso, lucidius eadem serenitas poterit intueri.

Primo sciat serenitas vestra, quod feria tercia proxima post festum beatorum viti et modesti martirum cum dictis gentibus ad Kwzeg prope Posesyn applicuimus, ad quem locum Frank banum de dicta Posesyn, ubi ipse nos cum pleno apparatu navium videlicet et galearum portuque nostre transfretacionis advenisse expectabat, ad nos venire fecimus, ipsoque Frank bano adveniente in dictam Kozeg habentes inter nos pleno tractatu, quibus modis et viis in ho(c) vado et w. s. mandatum exequi debemus maturo consilio deliberato, quid agere debeamus, conclusimus.

Item feria quarta appl(icuimus) ad dictam Posesyn, ubi modo pertractato ipsum Frank banum cum pleno apparatu invenimus, et circa meridiem vel post incepimus ipsam trans(fretationem eadem) die, et nocte transfretati sumus Danubium, (cum) equitibus scilicet et peditibus.

Item feria quinta mane sequenti audita missa pro salute et prosperitate itineris, eundem Frank banum iuxta mandatum s. v. in custodia portus, ubi v. s. hominum nostrumque refugium post deum reliquimus, valedicentes in nomine domini iter nostrum versus Salathii gressus nostros protendimus, ubi in fluvio Morwa, ubi Turcorum naves et galee existebant.

Item sabbato sequenti in festo (beatorum) decem milium militum (martyrum) venimus ad lo(cum) . . . constellacionem predictarum navium exploratores nostri . . . navibus et galeis cum omnibus instrumentis bellicosis et navibus ad locum aptum et sufficientem . . . (cum) cuspidibus, lanceis, clipeis, arcubus, sagittis, balistris, pixidibus, bombardisque et pulverum copia, predictis bombardis, balistis et pixidibus dispositis, scilicet protinus . . . et multo ignis incendio comburi et consumi fecimus pulverem, ipsas (naves) per dictum fluvium Morua ad Danubium, deinde ad mare transmisimus; custodes vero dictarum navium et galearum, qui fugere non valuerunt (a) custodibus (nostris) in ore gladii trucidari fecimus; ibidem incendio consumi et comburi fecimus villas illas eciam cominus locum constellacionis dictarum navium et galearum ac castri Petrocz adiacentes, scilicet ignis incendio consumi et comburri fecimus.

Item die dominico sequenti continuando iter nostrum versus Zalagh omnes et quaslibet villas circumquaque existentes usque ad castrum et civitatem Crusolcz repertas penitus in toto igne consumi et comburri fecimus.

Item dicto die dominico circa meridiem ad dictam civitatem et castrum Crusolcz applicuimus, ibique parva mora protracta diem, prout prius quoque in Hungaria V. S. regno consveto in Houanium (sic) introducendo vigiliam festi beati Johannis baptiste, postpositis carpentis et aliis lignis pro igne vigilie dicti beati Johannis baptiste sal . . . . in castro habitacionis et prope profanae mansionis dominii Turcorum ignem solemnem in edificiis ipsius castri et civitatis pertinenciisque eorumdem, prout ab infancia nostra usque ad presens peractam vigiliam predictam beati Johannis baptiste cum tanto e validissimo igne nec nos nec alius celebravimus vel celebrari vidimus, cum dictum totum castrum et civitatem cum adiacentibus ignis voragine ad nihilum redigi fecimus.

Demum ad laudem dei et virginis gloriose matris eiusdem tunc eciam propterea festinavimus dictam vigiliam beati Johannis baptiste, quia ipso tempore concurrit; demum insuper propter exaltacionem et honorem cesaree(que) maiestatis vestre dignitatem, tum et permaxime in confusionem et horrorem, obprobrium et oppressionem prefati dominii Turcorum . . . dei cum adiutorio complevimus.

Hiis peractis sequenti die, hoc est in predicto festo beati Johannis baptiste, dictum flumen Morwa transivimus ad terras despoti, quamvis . . . V. S. nobis commiserat . . . (per) terras ipsius despoti non ire nec illis in aliquo dampnum inferre, tamen propter aliquas naves et galeas ad hoc in dicto fluvio repertas et non invenientes scilicet ad easdem, cum

alibi dictum fluvium pertransire non valeremus ... (coacti) necessitate ... ad terras (predicti) despoti transivimus, continuando gressus nostros versus Kowinien. inter fluvium Morwa et Zendrem existentem, ubi similiter Frank banum prius per nos ad hoc requisitum, cum plurimo apparatu portus promptum et paratum invenimus.

Item feria quinta in festo beati regis Ladislai cum victoriosissimo triumpho letantes applicuimus, statim(que) exploratores nostros per vestigia nostra usque ad Palocz stare disposuimus, prout in talibus moris est.

Et recte dum opus daremus transfretationibus quasi post meridiem iam maiore et roboriore parte convenienter transfretante, de facto venerunt iidem nostri exploratores dicentes, quod ille sevissimus et nequam Allebeg cum sua potencia, quibus potuit et valuit de Bodinio usque ad vestigia nostra nos insequendo, in locum transfretacionis nostre ad Szendrew predictam veniens irruendo nobiscum bellaturus; nos vero qui in Christi dei (nomine) in cunctis euntes optantes laborare quoque et revertentes nunc eiusdem signum (eciam) invenientes, tot quot illuc aderamus capitibus nostris pro laude et gloria cesaree maiestatis vestre, dignitate statuque regni Hungarie et incolarum eiusdem defensione in nullo parcentes insurgentesque vibravimus nos contra dictum Allebeg gentesque eiusdem, in eumque irruentes et obstantes in fugam eundi convertimus; et sic in ore gladii fere ad tria miliaria insequendo, interimendo omnes, qui fuge presidio evadere non valuerunt, ymmo et prefatum nequissimum Allebeg, si secundum equum, quem ad hoc deputatum habuit conservandum, non ascendisset velocius, ex tunc in nomine domini hec operati sumus, speramus eundem in conspectum serenitatis transmittere putand.(?)

Hys literis pro laude digna v. serenitatis honoris conclusione, consolacione ac cordis iucunditate, visusque delectatione tria banderia ipsius Allebeg, modo preatacto per nos obtenta, tandem et expost per unum ex nobis vestre dignissime serenitati et alia de gestis nostris, que ad presens operati sumus, per eundem disponemus referenda.

Idcirco vestram requirimus paternitatem per presentes diligenter, quatenus pro tali victoriosissimo triumpho ac laude digna gloria deum misericordiarum pro nobis ac pro hiis, qui inibi mortui sunt precibus devotis obsecrare dignemini et velitis.

Date Chanadi die dominico proximo post festum visitacionis beate Marie virginis anno domini (MC)CCCXXXIIII.

Johannes de Marczali magister Janitor imperialis mayestatis, ac vester in omnibus.

(A tergo): Religioso viro fratri Jacobo Marchie ordinis sancti Francisci confessoris patri nostro honorando.

Ex originali. Ad est et fragmentum sigilli rotundi cerae viridi impressi.

DCCXVII. 1434, 3 Augusti.

Voevoda Radosav Pavlović communi ragusino fatetur, se a Tomko Bunić accepisse suam frugum de Canali portionem.

Pucić: Споменици србски, II, 91—2.

DCCXVIII. 1434, 12 Augusti, sub Kreševo.

Juraj, filius fratris Hrvoje, vojevoda inferiorum partium (dolnjih kraj), Paulo vojevodae, comiti Nicolao et c. Vlatko Jurjević et c. Vuk Vukičević, arces et terras, quas olim Sandal vojevoda occupaverat, restituit, omniaque eorum iura confirmat (castra Vratar, Novi, Kruševac, pagus Draglan in župa gorska, pagus Kozica, pagus Hrašćane, pagus Vrh do, pagus Zahoćani, pagus Zahodi, pagus Živogošć, pagus Tučevi, pagus Kotišina, pagus Makar, pagus Bast, pagus Vinica). Testes: ex Chulmo c. Vuk Rupčić, c. Pavko Komlinović, ex affinibus voevoda Ivaniš Dragišić; ex (župa) Zemalnik voevoda Mirko, c. Petar Brsačić, ex Sana c. Juraj Mišlenović, c. Martin Deanišević, ex Pliva c. Tvrtko Milatović, c. Radoe Čuklić, ex aula pristav c. Tomaš Capić, c. Juraj Petovović.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monum. serbica, p. 377.

DCCXIX. 1434, 16 Augusti, Ragusii.

Commune ragusinum Mathco (Talovec) comiti covinensi ad ipsius litteras altera die perceptas respondent, exinde se percepisse: „qualiter (idem comes) dicit de progressibus suis cum potenti exercitu in regnum Bosne"; „supergratum" sibi futurum, cum pervenerit, seque constituerit cum d. rege Bosne". Commendantur ipsi mercatores ragusini.

Gelcich: Diplomatarium p. 384—7.

DCCXX 1435, 16 Februarii, Ragusii.

Commune ragusinum imperatori Sigismundo inter caetera refert, sibi nunciari, „quod d. rex Bosne se contulit ad conspectum s. maiestatis vestre; et, ut presensimus, etiam d. Georgius dispot Sclavonie ad eandem profecturus est"; orat, ut utrique commendet Ragusium.

Gelcich: Diplomatarium p. 389.

DCCXXI. 1435, 24 Martii, Ragusii.

Commune ragusinum imperatori Sigismundo inter caetera nuntiat: „Voivoda Sandagl, qui ex baronibus regni Bosne non minor habebatur, die martis xv huius suum diem clausit extremum, relicto successore nepote suo comite Stephano, eius condam fratris genito, qui comes Stephanus in eius dominio successit, et succedere videtur satis pacifice absque ulla novitate, de qua digna mencio fieri posset".

Gelcich: Diplomatarium p. 390.

DCCXXII. 1435, 28 Martii, Ragusii.

Comes, nobiles et totum commune Ragusii testantur, se accepisse depositum comitis Stephani et eius filiorum c. Vladisav et c. Vlatko per comitem Pribisavum Pohvalić. Inscripsit ragus. logotheta Nikša Zvezdić.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monum. serbica, p. 380. *Pucić*: Споменици српски, II. 92.

DCCXXIII. 1435, 11 Aprilis, Venetiis.

Scribitur comiti Catari Laurentio Vitturi, ut castrum Novi, quod post mortem magni voivodae Sandali „quidam castellanus" offert dominio

veneto, „in bona gratia debeat accipere; nam et Ragusini procurant omni studio habere illud".

Ljubić: Listine, IX, 77.

DCCXXIV. 1435, 7 Maii, Ragusii.

Commune ragusinum imperatori Sigismundo ad litteras Posonii 21 Aprilis datas, quibus „intimat expedicionem inde d. Tverchi regis Bosne... facta (sibi) fidelitate et obedientia debita"; item „hortatur (Ragusinos) ad subsidia exhibenda baronibus terre de Chomlian (Hum), qui extincto voivoda Sandagl ad obedientiam solitam corone eiusdem redierunt" — respondet, quod „baronibus terre Comlian possibilibus subsidiis et favoribus obsequentes" futuri sint. Inter successorem Sandagli comitem Stipanum et voivodam Radossavum Pavlovich „dissidia bellica" exorta esse; ob quae Stipan rogavit Ragusinos, ut illum Sigismundo commendarent; quod faciunt.

Gelcich: Diplomatarium p. 891—2.

DCCXXV. 1435, 27 Julii, Florentiae.

Eugenius PP. IV. fratr. Joannem de „Waya", olim vicariae Bosnae vicarium, nominat episcopum Varadiensem.

Apostolatus officium... Dat. Florentiae anno etc. MCCCCXXXV. VI. kal. Augusti an. V.

Ex libr. I de exhibitis etc. an. 5 fol. 225. *Wadding:* Annal. minor. tom. X. p. 545.

DCCXXVI. 1435, 24 Augusti, Bobovac.

Stephanus Tvrtko rex Bosnae fratri „Jacobo de Marchia vicario Bosnensi et amico (suo) „scribit, ne quosdam religiosos (sui) regni de tenutis et pertinentiis castri Juyze" expellat.

Datum in nostro castello Bobovvach in festo s. Bartholomaei apostoli, anno domini MCCCCXXXV.

Wadding: Annal. minor. tom. X, p. 232.

DCCXXVII. 1435, 24 Augusti, Ragusii.

Commune ragusinum imperatori Sigismundo et Matconi comiti couinensi refert, „quod Teucri, quos referunt aliqui esse ad numerum 1500, in regnum Bosne intraverunt, qui usque nunc nil dignum significatu egerunt, preter quod quandam contratam aliquorum, qui voivode Stipani, nepoti Sandagl, ad cuius petitionem videntur venisse, rebellarunt, fuerunt depredati".

Gelcich: Diplomatarium p. 393.

DCCXXVIII. 1435, 7 Septembris, in campo regis apud Basileam.

P. Guilelmus de Casali minister generalis ordinis s. Francisci s. Jacobo de Marchia, vicario Bosnae, dat potestatem assumendi sibi aliquot fratres ex alienis provinciis ad disciplinam regularem in vicaria Bosnae renovandam necessarios.

In Christo sibi carissimo fratri Jacobo de Marchia, vicario vicarie Bosne ordinis minorum, frater Guilelmus de Casali sacre theologie ma-

gister ac eiusdem ordinis generalis minister et seruus, salutem et pacem in Domino sempiternam. Ne vicaria Bosne tue cure et regimini commendata refformacione careat opportuna, quam ex tuo desiderio et ex meis mandatis refformare intendis, licet sine coadiutoribus id implere non possis. Volens tibi coadiutores, ut teneor, ex omni parte ordinis procurare, tibi liberam facultatem tribuo vocandi duos vel quatuor fratres de quibuscunque provinciis Italiae vel extra Italiam, quos pro dicta reformacione iudicaveris evocandos, qui vocati tuis mandatis obedire firmiter teneantur sub pena excommunicacionis, quam contra contumaces et inobedientes profero in hiis scriptis; subque eisdem censuris et penis tam ministri provinciales quam ipsorum vicarii et quicunque alii michi subditi abstineant, ne per te sic evocatos impediant aut molestent, nec impediri aut molestari permittant quoquomodo, non obstantibus quibuscunque litteris aliquibus in contrarium etc. concessis, cuiuscunque tenoris existant, et si de eis et de earum tenoribus esset plena et expressa mentio cum revocatione de verbo ad verbum facienda, quas quantum ad hoc, hac vice, volo esse suspensas. Exortando in Domino quoscunque ministros et eorum vicarios aut ceteros in ordine presidentes, ne moleste id ferrant, sed pocius pro tanto bono conficiendo omnibus favoribus tibi assistant. Vale in Christo Jesu et ora pro me. Datum in campo regis apud Basileam, septimo Septembris MCCCCXXX quinto. Visa propria manu. (G) placet.

Ex original. in tabular. convent. fratr. minor. della Nova Neapolit.

DCCXXIX. 1435, 10 Octobris, Nevesinje.

Stephanus, filius quondam Vukac Hranić, Sandal magni ducis ex fratre nepos, magnus Bosnae vojevoda, dimidium terrae Konavlje, quod maiores sui cum arce Sokol, Vitalina, Captat, Obod et pertinentiis olim Ragusio cesserant, iuramento confirmat. Scripsit diac. Vlatko.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monum. serbica, p. 381.

DCCXXX. 1435, 30 Octobris, Ragusii.

Comes, nobiles et totum commune Ragusii fatentur, se accepisse a Stephano vojevoda depositum auri. Inscripsit ragus. logotheta Nikša Zvezdić.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monum. serb. p. 384.

DCCXXXI. 1435, 30 Novembris, Ragusii.

Commune ragusinum „d. Matco de Tallovez, regni Sclavonie bano", congratulando ipsi de collato per regem banatu, refert: „Barach voivoda Teucer, qui cum Teucris Bosnam intraverat, in regione Calumfelde et extra aliquas terras predatus est, nunc videtur cum ipsis Teucris versus civitatem Chodidich se recepisse".

Gelcich: Diplomatarium p. 394.

*

DCCXXXII. 1435, 3 Decembris, Tatae.

Sigismundus rex invitat s. Jacobum de Marchia, ut ex Slavonia quamprimum Tatam veniat ad tractandum cum magnatibus etc. per universitatem Bohemorum deputatis.

Sigismundus Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, ac Hungarie, Bohemie, Dalmacie, Croacie etc. rex. Religiose ac Deo deuote vir, nobisque sincere dilecte. Quia nunc nonnulli barones et milites et civitatenses Bohemi de regno nostro Bohemie (per) universitatem Bohemorum ad nos missi apud nostram, in hoc loco existunt, constituti maiestatem, proptereaque persona vestra pro reportando, per vestri medium, Deo propicio, uti in Domino speramus, de eis fructum salutis est necessaria. Ideo vestram requirimus et rogamus deuocionem eidem committendo, quatenus statim agnita presencium noticia, in curru et equis ac expensis per fidelem nostrum reverendum in Christo patrem Henricum episcopum quinqueecclesiensem, si in civitate seu diocesi quinqueecclesiensi, sicut nobis dictum est, existitis constitutus, vel dominum episcopum boznensem, si in Dyako estis, quibus exinde singillatim direximus scripta nostra vestre fidelitati assignanda, huc ad nostram quatenus veniatis maiestatem; scripsimus enim, ut prefertur, et mandavimus per alias litteras nostras prefatis dominis episcopis quinqueecclesiensi et boznensi, ut alter eorum, in cuius videlicet diocesi nunc existatis, in curru leui et equis recentibus atque expensis suis propriis vos et vestram personam ad nostram conduci faciant maiestatem; aliud ergo in hoc non facturi. Datum in Tata Sabbato proximo post festum sancti Andree apostoli anno domini MCCCCXXXV. regnorum nostrorum anno Hungarie XLmo nono, Romanor . . Bohemie XV, imperii vero tercio.

(In dorso). Religioso et deo deuoto viro, fratri Jacobo de Marchia, vicario vicariatus Bosne, nobis in Christo sincere dilecto.

1435. (Erant complicatae et sigillo cerae rubrae impresso occlusae).

Ex original. in tabular. conventus fratr. minor. della Nova Neapolit. *Koller:* Historia ecclesiae quinqueeccl. III, 350.

DCCXXXIII. 1435, 17 Decembris, Ferrariae.

P. Guilelmus de Casalis confirmat sanctum Jacobum in officio vicarii, revocat omnes gratias fratribus concessas; scribit insuper de missa coram de fide suspectis non celebranda ac de osculo patene et pacis; vult etiam, ut fratres vicariae renuntient iuri eligendi sibi vicarium etc.

Jhesus. Domino Jesu Christo filii mi refero gratias et virtutibus tuis pro tanto bono, quod Dominus operatus est te mediante in reformatione illius vicarie, que ex visitatione, quam ad me misisti, deformatissima fuit in quolibet genere.

Et cum eo ex honore mihi iniuncto cupivissem sepe fructum reformationis illius, te inter ceteros nostre professiones fratres electissimos mihi obtulit ad hoc sanctum opus conficiendum misericordia Jesu Christi; ne igitur in vanum Dei gratiam accepisse videamur . . . ex . . . . litteris hiis anexis percipies: primum anuendo precibus fratrum vicarie te ut institui vicarium eis ordinarium, ita confirmo, et confirmatum esse volo

(ut fungaris) quibuscunque vicibus meis, sicut (ex) litteris hiis anexis videbis; omnes vero gratias concessas fratribus pro manendo cum aliquibus prelatis vel principibus, cuiuscunque condicionis existant, in regno Vngarie et in tota vicaria Bosne, preter imperialem maiestatem, quam omnino excludi volo ab hac revocatione mea, revoco et anullo, et volo, quod omnes reducantur ad obedientiam prelatorum manendo in locis, in quibus sunt collocati. Mandoque fratribus, ut nulli celebrare presumant cuiuscunque conditionis eciam si regalis in eisdem regno et vicaria alicui, alias in fide catolica suspecto, qui de presenti non obtinuit (meam) novam provisionem; idem de osculo patene et pace scribo; preterea illos, de quibus mihi scribis, quod alter verberavit mag . . . . . seu violentas in eum manus posuit, alter vero tam crudeliter et scandalose persecutus est portitores litterarum mearum, volo mihi de hoc presentari; omnibus aliis indulgeo et omnes in filios capio et pro ipsis me omnia bona mihi possibilia facturum profiteor, si perseveraverint, et si renunciaverint bulle, quam ipsi impetraverunt in concilio de electione vicarii; re vera non possunt bona conscientia fratres minores vocari, sic venerabiles patres in meo conscilio congregati determinarunt; eos quos expulisti infames et turbatores bonorum tenebo semper extra vicariam. Vide tamen primo ne per aliquos decipiaris, quia in omnibus tibi credam. Quod autem te alienem ab illo honore, pro nunc mihi ullo modo videtur, cum vero vicariam visitaveris et pro tempore ordinem bonum posueris, tibi dabo licentiam eundi in Boemiam, sed ante (omnia) propter dominum attendas ad hoc bonum, quod revera maximum est et quod omnes mecum summe in Domino comendant; quod fratres, quos invises tibi obediant, volo et ita in litteris declaro; tamen tu quam modestissime potes gravare fratres et provincias (ne) facito; fr. Silvester aliquantulum gravabatur, tamen omnino vadit ad obedientiam tuam, quam confirmavi; quum vicariam egredieris facta visitatione ut . . . . . absentia tui. Ora Dominum pro me et fac orare et in epistola quantum potes significa, quod Dominus operatur in manu sua.

Vale, ex Feraria XVII Decembris. Fr. Guilelmus de Casalis ordinis minorum generalis minister propria manu.

(In dorso). Venerabili religiosissimo fratri J. de Marchia, vicarie reformatori.

(Sigillum parv. in dorso impressum.

Ex original. in tabular. fratr. minor. della Nova Neapolit.

DCCXXXIV. 1435, 17 Decembris, Ferrariae.

P. Guilelmus de Casalis, minister generalis ordin. minorum, gratias quas nonnullis fratribus vicariae Bosnae concesserat, revocat, et nonnulla insuper prohibet.

Generalis (ministri) commissio propria. In Christo sibi carissimis fratribus vicario meo vicarie Bosne et ceteris in ea commorantibus, frater Guillelmus de Casali, sacre theologie magister et ordinis minorum generalis minister et servus salutem et pacem in Domino sempiternam.

Quoniam pervenit ad aures meas, plures fratres eiusdem vicarie, quibus gratias meas libenter concesseram, illis abuti, quo se ad eas indignos

reddiderunt: ideo plurimas tenore presencium ex ipsis graciis inferius annotandis revoco, casso et annullo et penitus pro non concessis habeo, eciam si in litteris hec clausula haberetur, non esse revocandas, nisi de verbo ad verbum specialis mencio de eis fieret, aut quecunque alie, que huiusmodi mee revocationis, cassacionis, annullacionis cuicunque presentes intuenti dubium affere possit.

Et in primis, quascunque gracias regibus, dominacionibus, comitibus, marchionibus, quibuscunque nobilibus, archiepiscopis, episcopis, abbatibus et quibuscunque aliis cuiuscunque conditionis, gradus, aut dignitatis existentibus, de capellanis et confessoribus sive quacunque alia familiaritate concessas revoco et annullo, exceptis hiis litteris et graciis, que sereniisime maiestati imperiali a me merito concesse sunt, quas suo robore et virtute, qua concesse sunt, haberi volo.

Item litteras et gracias concessas fratri Joanni, Prozob dicto, de gwardiania duorum locorum, scilicet Dezewyza et Howoiza (sic) revoco et annullo. Item gracias de elemosinis petendis per fratres pro necessitatibus, si qui abutentes inventi fuerint, aut sine necessitate peterent aut in dampnum locorum seu conventum; volo huiusmodi fratres ab hac insolentia et malo exemplo a vicario aut ceteriš vicarie prelatis corrigi et ut desistant amoneri.

Valete in Christo Jesu et orate pro me.

Date Ferare anno domini millesimo quadringentesimo xxxv, die mensis Decembris xvii.

Guilelmus placet et omnes gracias illius vicarie fratribus concessas usque ad presentem diem libens in manibus tuis repono.

Visa propria manu.

Confirmo item predicta omnia propria manu ego dictus frater Guilelmus generalis prefatus usque presentem diem honorem 1437 (1435) die Decembris nolens ea revocare; visa propria manu mea (ut) constaret.

(A tergo est sigillum magnum ordinis cerae subrubrae impressum).

Ex original. in tabular. convent. fratr. minor. della Nova Neapolit.

DCCXXXV. 1436, 25 Januarii, Albae Regiae.

Stephanus Tvrtko, rex Bosnae, recipit omnia claustra „ordinis s. Francisci de observantia vicariae Bosnae“ in clientelam, conceditque fratribus omnem libertatem „praedicandi verbum Dei ac sanctae catholicae et romanae ecclesiae veritatem“.

Farlati: Illyr. sacr. tom. IV, p. 66. *Katona:* Histor. Critic. reg. Hungar. tom. XII, p. 736.

DCCXXXVI. 1436, 26 Januarii, Alba Regiae.

Stephanus Tvrtko rex Bosnae fratres minores Bosnae eorumque monasteria sub suam recipit protectionem, promittitque eisdem libertatem ubique verbum Dei praedicandi.

Nos Stephanus Tvertkus, Dei gratia rex Bosnae etc. Ad cunctorum notitiam praesentium pariter et futurorum harum serie volumus pervenire, qualiter nos per serenissimum et invictissimum dominum nostrum, dominum Sigismundum Romanorum imperatorem, semper augustum, ac

Ungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. regem gloriosissimum in sua civitate Albaregali praesentibus infrascriptis praelatis et baronibus regni sui Ungariae, videlicet: reverendissimo in Christo P. P. D. D. Petro de Rosgon Agriensis, Simone similiter de Rosgon Wesprimiensis et Clemente Jeurinensis ecclesiarum episcopis; nec non magnificis Mathia de Palutz, dicti regni Ungariae palatino; comite Stephano de Báthor, iudice curiae regiae; Matkone de Taloucz, bano regni Slavoniae; Ladislao de Gara, bano Machoviensi; Petro Chech et Emerico de Marczalli, ianitorum regalium magistris, ceterisque quam pluribus praesentibus et adstantibus. Item magnificis et egregiis Tuertkone Borovinich, palatino regni nostri Bosnae; Georgio filio Dragich; Ladislao filio quondam vajvodae Pauli Klessich, magistro curiae nostrae, et Hristoja de Hlevna, camerario nostro, nostris in regno nostro Bosnae baronibus, nobilibus et militaribus personaliter requisiti et moniti promisimus, immo praesentium tenore firmiter promittimus sub bona et inviolabili fide nostra, quatenus omnia claustra seu loca fratrum minorum ordinis s. Francisci de observantia vicariae Bosnae, in dicto regno nostro Bosnae et terris eiusdem et specialiter in terris et tenutis potestati nostrae subiectis ac fratres in eisdem nunc et in futurum successivis semper temporibus degentes et Deo famulantes, ab omnibus et singulis ex quacunque causa aut quocunque ingenio vel colore turbare et molestare volentibus, totis nostris viribus protegemus, tuebimur et manutenebimus, nec per nosmetipsos, aut nostrates aliquam molestiam vel turbationem eisdem vel alicui eorum inferemus, nec inferri faciemus neque permittemus, dantes et concedentes eisdem F. F. praesentibus et futuris et cuilibet eorum plenam, liberam et omnimodam facultatem in omnibus terris et locis regni Bosnae et praesertim nostrae iurisdictioni et potestati subiectis praedicandi verbum Dei ac sanctae catholicae et romanae ecclesiae veritatem; omnes et singulos homines utriusque sexus, cuiuscunque sint aetatis et conditionis, baptizandi et ad fidem, quam sancta catholica et romana profitetur ecclesia, convertendi, nec aliquo tempore huiusmodi sanctas et salutiferas ipsorum operationes quovis quaesito colore, directe vel indirecte, per nos vel alios, palam vel occulte, impediemus vel impediri faciemus.

In cuius rei memoriam et firmitatem perpetuam praesentes nostras litteras, eisdem fratribus sub nostro sigillo authentico, quo utimur in praesenti, duximus concedendas.

Datum in dicta civitate Albaregali die 25 Januarii, videlicet in festo conversionis s. Pauli apostoli, anno Domini millesimo quadrigentesimo tricesimo sexto.

P. Emericus Pavić: Ramus. virid. Oliv. p. 6.

DCCXXXVII. 1436, 8 Maii, Tordae.

Georgius episcopus Transilvanus invitat s. Jacobum de Marchia, vicarium Bosnae etc., ut quamprimum ad suam ecclesiam pro extirpatione haeresis veniat.

Venerabilis et egregie domine et pater religiose. Litteras vestrae venerationis per discretos presbiteros Stephanum, rectorem altaris sanctae Trinitatis in ecclesia nostra, et Blasium, plebanum de Igen, capellanos

nostros speciales nobis allatas, quarum unam heri, hora cene, et aliam, videlicet a prefato Blasio presbitero, hodie tempore prandii accepimus reverenter, quibus revisis, continenciisque earum sane intellectis, de omni vestro labore salubri per sancte predicacionis vestre effulgenciam, pro exaltacione ecclesie dei stabilitateque et robore orthodoxe fidei eximie ampliato, deo omnipotenti et demum vestre gracie maximas et immensas referro graciarum acciones, meque ad omnia vestre paternitatis beneplacita offerro semper paratissimum, vobisque omnem meam auctoritatem, tam in foro confessionis, quam in inquisicione heretice pravitatis exequenda do et concedo, ymo dedi et concessi vigore presencium mediante, omnes et singulos promiscui sexus homines dicta auctoritate mediante absolvere possit et valeat; mea utique vestre paternitatis adventum celeriorem in hoc necessitatis actu a predicto Blasio capellano nostro, eiusdem vestre paternitatis litterarum latori insinuato, magna desiderabant suspiria; sed in dictis litteris vestre paternitatis inter alia clare conspexi, quod si tam in brevi ab illinc recederet, feruor populi tepescet et labor vester salubris tot diebus continuatus innanis redderetur vacuus. Attamen eandem paternitatem vestram affeccionatissime flagito, instanti prece et cordiali, quatenus, deo auxiliante, completo in illis partibus labore, pro salutifero divine propiciacionis intuitu et ob fidei sancte fortitudinem iter vestrum usque huc reflectendo pro extinccione predicte secte pestifere has partes ingredi dignemini, et velitis diem et tempus progressus vestri, dum scilicet ad has partes ingredi malueritis, (quod) per occurrentes nuncios mihi intimatur, ut usque ad oppidum ecclesie nostre Tasnad in obviam paternitatis vestre recenciores homines et nuncios transmittere votive valeam et possim. Datum in Torda feria tercia in festo Apparicionis beati Michaelis Archangeli, anno domini MCCCCXXXVI.

Sciat veneranda paternitas, quod nunc vocatis ad nos egregiis Petro Ygmandi, vicario et canonico ecclesie varadien. et archidiacono in ecclesia nostra, nec non Michaele plebano de Stolthenbergh, decretorum doctoribus, ac aliis bacalariis et jurisperitis, cum quibus in presenti loco occupamur . . . pro inquisicione et excommunicacione hereticorum prenotatorum. Georgius episcopus transsilvanus.

(Sigillum cerae rubrae impressum).

Carissimo et in Christo amabili patri fratri Jacobo de Marchia, vicario Boznensi et predicatori generali a sede Christi et sacro concilio basiliensi misso et deputato.

Ex original. in tabular. conventus fr. minor. della Nova Neapolit.

DCCXXXVIII. 1436, 15 Maii, Venetiis.

Franciscus Foscari, dux Venetiarum, magno vojvodae Stephano, nepoti Sandali, ad ipsius preces per nuncios Pribislaum Po(h)ualich militem et Grubicum de Pruchienich assignat domum in Cataro, quam idem Sandal habebat, praetereaque annue 600 ducatos penes cameram catharensem.

Ljubić: Listine IX, 88.

DCCXXXIX. 1436, 19 Junii, Ragusii.

Commune ragusinum imperatori Sigismundo ad ipsius requisitionem, ut bano Matconi Talovec, qui exmissus est „ad conterrendam infidelita-

tem comitis Johannis Vegle et Segne", exhibeat „bombardas duas ad muros deiciendos et alia armorum genera", excusat se, quod „mense Augusti prope lapso noctis tempore universum armamentum cum maxima palacii regiminis parte crematum est". „His accedit, quod voivoda Stipanus, nepos voivode Sandagl, in cuius dominio et partibus, que nobis in oculis sunt, mercatores nostri degunt et negotia sua gerunt, contraxit parentellam cum dicto comite Johanne, qui oppida plura possidet, et maxime Olnixium . . ."

Gelcich: Diplomatarium p. 400—1.

DCCXL. 1436, 29 Junii, Csanadini.

Albertus, archidiaconus Temesien. canonicus et vicarius generalis Csanadien., s. Jacobo de Marchia, vicario Bosnen. concedit plenam auctoritatem munus inquisitoris in sua dioecesi exercendi, eumque, ut Csandinum veniat, etiam nomine capituli invitat.

Albertus archidiaconus themesiensis et canonicus ecclesie Chanadiensis ac sede episcopatus vacante per honorabile capitulum eiusdem ecclesie vicarius in spiritualibus generalis deputatus.

Religioso ac devoto viro domino fratri Jacobo de Marchya, ordinis minorum beati Francisci confessoris vicario Bosnensi, salutem etc.

Caritatis ac deuocionis contiuuum incrementum. Quia ex vestre fraternitatis devota intimacione intelleximus, ut v. fraternitas in extirpandis heresum versuciis, que nunc in hoc regno Hungarie lantenter palpitant, laboribus, fatigiis et sudoribus non parceret, sed deo propiciante vigilanter contra tales hereticas prauitates laboraret, pro eo eidem vestre fraternitatis caritati per suas litteras petenti annuimus et presencium serie auctoritatem nostram vobis attribuimus, quatenus pro defensione fidei christiane et exterminatione dictarum heresum in dyocesi Chanadiensi ubilibet plena et omnimoda auctoritate fungi et uti possitis, ac in omnibus aliis necessariis ad salutem populorum debendis ipsa auctoritate precedente valeatis; alias eciam sacerdotes et plebanos, quos idoneos ad hoc repereritis loco mei, in premissis, instituere et deputare valeatis. Item eandem vestram paternitatem requirimus, et domini nostri de capitulo affectantes requirunt, ut vos propria vestra in persona huc Chanadinum pro meliori et uberiori expedicione premissorum ac seminandis graciis divinis dignaretur (sic) venire eadem vestra fraternitas. Valete in Christo Jhesu.

Datum Chanadini feria secunda proxima ante festum sancti Galli confessoris. Anno domini millesimo quadringentesimo tricesimo sexto.

(Sig. cerae viridi impressum).

Ex original. in tabular. convent. fratr. minor. della Nova Neapolit.

DCCXLI. 1436, 22 Augusti, Bononiae.

Eugenius PP. IV. fr. Jacobum de Marchia nominat inquisitorem in Hungaria et Austria.

Licet ubilibet . . Dat. Bononie anno incarnationis dominice MCCCCXXXVI. XI kal. Septembris an. VI.

Wadding: Annal. minor. tom. X, p. 269.

DCCXLII. 1436, 25 Augusti, Bononiae.

Eugenius IV. concedit, ut dicti fratres vicariae Bosnen. accedente parochorum assensu ubique in partibus vicariae sacramenta ecclesiastica administrare possint.

Eugenius episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis ac fratribus ordinis minorum sub vicariatu Bosnae secundum morem dicti ordinis constitutis, salutem et apostolicam benedictionem.

Ad ea, quae propagationem et incrementum catholicae fidei respiciunt, intensis invigilamus affectibus, et his, ut pium consequantur effectum, apostolicos favores libentius impertimur. Cum itaque, sicut fideli relatione percepimus, vos exemplo vitae et doctrina scientiae salutaris errantes a fide ad cognitionem veritatis inducere, et in ipsa fide persistentes confirmare indefessis studiis et laboribus continuo invigilatis, nos volentes ea vobis concedere, quae animarum salutem concernunt, vestris etiam in hac parte supplicationibus inclinati, ut omnibus personis utriusque sexus in partibus vicariae Bosnae constitutis, quoties expediverit, in forma ecclesiae consueta Baptismatis et Eucharistiae, et caetera alia sacramenta ecclesiastica, dummodo rectorum accedat assensus parochialium ecclesiarum, ubi personae huiusmodi fuerint, felicis recordationis Clementis Papae V. praedecessoris nostri, et alia qualibet constituone edita in contrarium, non obstantibus, jure parochialium ecclesiarum et cuiuslibet alterius semper salvo, auctoritate praesentium vobis indulgemus. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostrae voluntatis et concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Bononiae anno sucarnationis Dominicae millesimo quadringentesimo tricesimo sexto, octavo kalendas Septembris, pontificatus nostri anno sexto.

Ex original. in tabular. prov. ss. Salvatoris fratr. minor. Gyöngyösien.

DCCXLIII. 1436, 25 Augusti, Bononiae.

Eugenius PP. IV. concedit, ut fr. Jacobus de Marchia possit recipere „in Bohemia duo, in Hungarie regnis tria, in Austria tria etiam loca“, pro usu et habitatione sua et fratrum monasteria construere „nec non quoscunque fratres ... „etiam de vicaria Bosne, ad id voluntarios... transferre etc.“

Sacre religionis. Dat. Bononie anno incarnationis dominice MCCCCXXXVI. VIII. kal. Septembris an. VI.

P. Urb. Fridrich: Histor. provinc. ss. Salvatoris p. 7.

DCCXLIV. 1436, 25 Augusti, Bononiae.

Eugenius IV. approbat omnes gratias, indulta et privilegia a praedecessoribus suis fratribus minoribus vicariae Bosnae concessa.

Eugenius episcopus servus servorum DEI. dilectis filiis vicario ac fratribus ordinis minorum secundum morem dicti ordinis constitutis, salutem et apostolicam benedictionem.

His quae per romanos pontifices praedecessores nostros provide concessa sunt, cum a nobis petitur, libenter adjicimus nostri muniminis firmitatem. Cum itaque sicut exhibita nobis nuper pro parte vestra petitionis series continebat, quod retroactis temporibus nonnulli romani pontifices, praedecessores nostri, zelo religionis et fidei inducti, certas gratias, indulta et privilegia vobis concesserint, pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, ut privilegia, gratias et indulta huiusmodi et contenta in eisdem pro eorum subsistentia firmiori de benignitate apostolica confirmare dignaremur. Nos igitur simili religionis et fidei zelo provocati, omnia et singula, gratias, indulta et privilegia huiusmodi, et contenta in eisdem, quorum omnium tenores praesentibus haberi volumus pro sufficienter expressis, et specifice declaratis, prout provide et juste concessa sunt, auctoritate praesentium, harum serie confirmamus, et praesentis scripti patrocinio communimus.

Nulli ergo omino hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis et communitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Bononiae anno incarnationis dominice millesimo quadringentesimo tricesimo sexto, octavo kalendas Semtembris, pontificatus nostri anno sexto.

Ex originali in tabular. prov. ss. Salvatoris fratr minor. Gyöngyösien.

DCCXLV. 1436, 26 Augusti, Bononiae.

Papa Eugenius IV annuit, ut clerici in vicariatu Bosnen. in vigesimo secundo aetatis anno a quocunque episcopo catholico ad sacrum presbyteratus ordinem promoveri possint.

Eugenius episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis vicario et fratribus ordinis minorum sub vicariatu Bosnae secundum morem dicti ordinis constitutis salutem et apostolicam benedictionem. Piis fidelium votis, et eorum praesertim, quos religionis zelus, et vitae integritas commendant, libenter annuimus, eaque prosequimur favoribus oportunis. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, quod cum in vicariatu Bosnae magna catholicorum presbyterorum penuria existat, et propterea missarum solemnia secundum ritum romanae ecclesiae iuxta desiderium devotarum et catholicarum personarum frequenter celebrare non possunt, quodque cum difficilis ab illis partibus ad sedem apostolicam accessus sit, nobis humiliter supplicastis, ut vobis fratribus dicti ordinis sub dicto vicariatu existentibus, etiam in vicesimo secundo suae aetatis anno constitutis licentiam concedere possitis, ut ad omnes etiam sacros ordines promoveri valeant, de benignitate apostolica indulgere dignaremur. Nos igitur, qui cultum divinum nostris praesertim temporibus augeri desideramus, huiusmodi etiam supplicationibus inclinati licentiam concedendi fratribus huiusmodi etiam in dicta aetate constitutis alias tamen idoneis suscipiendi temporibus a iure permissis etiam sacros ordines a quocunque antistite gratiam et communionem sedis apostolicae in contrarium editis non obstantibus quibuscunque, auctoritate vobis praesentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis

autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Bononiae anno incarnationis dominicae millesimo quadringentesimo tricesimo sexto, septimo kalendas Septembris, pontificatus nostri anno sexto.

Ex exemplari in tabular. provinc. ss. Salvatoris fratr. minor. Györgyőssiense.

DCCXLVI. 1436, 31 Octobris, Klisae.

Joannes Frankopan etc. quandam possessionem donat cuidam Vinjae Dubravčić, Gregorio fratri et Nicolao nepoti eius.

Ми Ханжь Франкапань, Вегле, Сена, Модрѣша, цетински и клишки кнезь, Далмације и Хрвать бань, дамо знати всакомѣ, комѣ се достои, и прид кога та наш листь приде, како ми смисливше праве и верне слѣжбе кнеза вирна Дѣбравчића и Гргура брата негова и Миклошша синовца негова, кие намь слѣжише и намь ѣгодише право, верно и достоино, за ке нихь праве и верне слѣжбе би од нась достоини боле и веће плаће примѣти, да за сада ли хотеће николико к нихь слѣжби извити и нимь нашѣ лѣбав и милость ѣказати, дасмо и даемо реченомѣ вирнѣ, Гргѣрѣ и Миклошшѣ все оно иминие, ко е било и ко е држаль Юриѣь постоларь ѣ Цетини под Авьсинемь и ѣ сели Насоачи, и такоие имение, ко е држал Юрко Галардиѣ такое ли под Авьсинемь, то що годне нию било и що ста она вола када држала земьле, винограде, сада, вртле, синокоше и всака ина приходишћа и користи, какѣ они онди имали и ѣдржали, то все дасмо реченомѣ вирнѣ Гргѣрѣ и Миклошшѣ и нихь остаткѣ ѣ вике. и на то на всье за већѣ птрѣпѣ (потврьдѣ?) и вичне споменѣтие та нашь листь писати и нашимь печатомь запечатити ѣчинисмо. писань на Клиси послидни дан мисеца октѣбра ва лита роиства божѣ тисѣћ четириста тридесет и шесто лито.

(Sigillum parvum rubrae cerae impressum).

(In tergo): Donatio Joannis de Frangepanibus facta anno 1436.

Ex originali in tabular. conventus fratr. minor. Trsaten. in Croatia.

DCCXLVII. 1436, 28 Octobris, Visoko.

Magnus comes bosnensis Tvrtko Borović communi ragusino fatetur, se a com. Maroje Rastić percepisse arendalem canonem de domibus, quae erant ducis Sandal, pro competente sibi medietate.

Pucić: Споменици србски, II, 93.

DCCXLVIII. 1436, 13 Novembris, Ragusii.

Comes, nobiles et totum commune Ragusii fatentur, se accepisse depositum ab Helena, filia imperatoris Lazari et vidua Sandal, magni vojevodae. Inscripsit ragus. logotheta Nikola Zvezdić.

Dr. *Fr. Miklošić:* Monum. serbica, p. 386.

DCCXLIX. 1436, 15 Novembris, Bononiae.

Eugenius PP. IV. archidiacono ecclesiae sibenicensis, ut „Danieli, Petro, Jacobo, Michaeli, Joanni et Georgio Radoslauchic... natis Sibe-

nicensibus concedat facultatem aedificandi conventum cum ecclesia in insula Crapan dioeces. Sibenicen. et eam tradendi fratribus vicariae Bosnae.

Votis fidelium... Dat. Bononiae an. etc. MCCCCXXXVI. XVII kal. Decembris an. VI.

Ex libr. 2 de regularib. etc. an. 6 fol. 225. *Wadding*: Annal. minor. tom. X, p. 261.

DCCL. 1437, 1 Januarii, Ragusii.

Commune ragusinum fatetur, se percepisse a comite Radosavo Pavlović per ipsius legatos c. Brailum Tezalović, christianum Radašin et comitem boračensem Dabiživ depositum. Inscripsit logotheta Nikola Zvezdić.

M. Pucić: Споменици српски, II, 93—5.

DCCLI. 1437, 12 Januarii, Pragae.

Sigismundus rex adversus Turchos in partibus Hungariae meridionalibus bellaturus requirit s. Jacobum, vicarium Bosnae, ut cum sex vel octo fratribus suis exercitui se adiungat.

Sigismundus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, ac Hungarie, Bohemie, Dalmacie, Croacie etc. rex. Commissio propria domini imperatoris.

Venerabilis et religiose Deoque devote, nobis sincere dilecte. Vestre paternitati duximus presentibus notificandum, quod nos, gracia divina nobis suffragante, ad festum sancti Georgii martiris proxime affuturum et estatem instantem contra sevissimos Turcos, crucis Christi persecutores, confiniorum regnorum nostrorum dirissimos invasores, validum exercitum tam Bohemorum quam Hungarorum, aliarumque eciam diversarum nacionum ex immutabili proposito intendimus instaurare, ymo utique iam disposuimus et aptavimus in effectu. Verum nos vestre paternitatis personam cum ceteris fratribus vestris huiusmodi exercitui, ad confortandum inibi rore spirituali populum christianum, et verbum Domini predicandum aliaque circa salutem populi exercendum, desiderantes interesse, paternitatem vestram attente requirimus et rogamus, quatenus associatis vobis sex vel octo vestris seu ordinis vestri fratribus, talismodi exercitui nostro velitis interesse, inibi pariter etiam ad nostram maiestatem processuri; nos enim volumus modis omnibus in eodem exercitu constitui propria in persona.

Datum Prage feria sexta proxima post festum epiphaniae Domini, anno eiusdem 1437, regnorum nostrorum anno Hungarie L, Romanorum 27, Bohemie 17, imperii vero 4.

(In dorso): Venerabili et religioso fr. Jacobo de Marchia, vicario Bosne, ordinis fratrum minorum sancti Francisci de observancia, fideli devoto nobis et sincere dilecto.

Ex originali in tabular. conventus fratr. minor. della Nova Neapolit.

DCCLII. 1437, 22 Januarii, Bacsini.

Georgius de Basth, dioecesis Bacsiensis vicarius generalis, s. Jacobum de Marchia, vicarium Bosnae, inquisitorem haereticae pravitatis, omnibus suae dioecesis commendat, eique amplam potestatem necessaria decernendi attribuit.

Georgius de Basth, archidiaconus zegediensis nec non canonicus et vicarius ecclesie bachiensis in spiritualibus generalis. Dilectis nobis in Christo venerabilibus viris, dominis abbatibus, prioribus, prepositis ac universis et singulis dominis vicearchidiaconis ac ecclesiarum parochialium rectoribus, in dyocesi bachiensi ubivis constitutis et commorantibus; item magnificis et egregiis comitibus, vicecomitibus, militibus, nobilibusque et ignobilibus ac alterius cuiusvis status et condicionis hominibus, in predicta dyocesi existentibus et commorantibus, fratribus nostris in Christo carissimis, quibus presentes ostendentur, salutem in domino.

Quia reverendus pater dominus frater Jacobus de Marchia, vicarius Bozne, ordinis fratrum minorum indagator et extirpator heretice pravitatis per regnum Hungarie, et nonnullas alias partes corone eiusdem regni subiectas, per sedem apostolicam et sacrosanctum basileense concilium transmissus et deputatus pro execucione dicti sacri officii vestri in medium se necessario habeat conferre: quapropter vobis prenotatis universis et singulis dominis tam ecclesiasticis quam secularibus, in virtute sancte obediencie et sub excommunicacionis pena, quam in vos et vestrum singulos ferimus in hiis scriptis ferentes districte precipientes mandamus, quatenus (prefato) venerabili viro, domino fratri Jacobo, in executione et inquisicione predicte heresis, quocies opportunum fuerit, ad inquisita et interrogata, ob animarum vestrarum salutem, respondere semper prompti sitis et parati, sibique in omnibus licitis et honestis, dictum suum officium concernentibus, parere debeatis. Ne autem huiusmodi pestifera heresis peramplius in dicta dyocesi pululare valeat, idem pater Jacobus idoneos custodes per civitates et loca, qui sollicite huiusmodi negotium vigilare debeant constituendi habeat facultatem auctoritate nostra in hac parte sibi attributa. Datum Bachye vigesima secunda die mensis Januarii, anno domini millesimo quadringentesimo tricesimo septimo.

(Sigillum erat cerae impressum sed nunc tantum fragmenta cerae videntur).

Ex originali in tabular. conventus fratr. minor. della Nova Neapolit.

DCCLIII. 1437, 31 Januarii.

Radosav, magnus vojevoda regni Bosnae, testatur se a Ragusinis accepisse palatium et pecuniam, quae post palatii restaurationem superat. Scripsit diac. Ivan.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monum. serbica, p. 387.

DCCLIV. 1437, 25 Februarii, Djakovo.

Ladislaus, filius Johannis a Thamasii, testatur in Sirmii et Bačkae quamplurimis civitatibus ac villis, praeter catholicos et Rascianos, habitare haereticos Bosnenses et Husitas, quos s. Jacobus denuo ad fidem catholicam reduxit.

Nos Ladislaus, filius quondam Johannis vayuode a Thamasii, comes comitatus de Posega, memorie commendamus tenore presencium significantes, quibus expedit universis, quomodo reverendus in Christo pater frater Jacobus de Marchya, ordinis minorum vicarius boznensis, ac in regno Hungarie et partibus Austrie papalis inquisitor pravitatis heretice, nec non in predicto regno Bozne et partibus Rascie ac in ceteris circumvicinis ab unitate sancte matris ecclesie separatis legatus sacri concilii basiliensis institutus, in mei veniens presenciam proposuit coram nobis in hunc modum: ut quidam emuli inuidie liuore inflati ipsum fratrem Jacobum in sue legacionis officio in partibus Syrmie inter fluuios Zawam et Danubium constituti, timore Dei postposito, impediverint asserentes, quod dictus frater Jacobus in prefatis partibus officium legacionis minime exercere valeat, licet, inquiunt, circumuicine propinque partibus Bozne et Rascie, tamen in eisdem partibus Syrmie quedam civitates et ville fidei christiane obedientes forent. Nos vero, qui pro annuencia diuorum regum et progenitoris domini regis et imperatoris in iam dictis partibus Syrmie satis in competenti parte dominio temporali fungimur perpetuo mediante nostra consciencia testamur et pollicemur, quatenus maiorem partem predictarum parcium Syrmie Rascianos inhabitare, licet tamen quedam civitates et ville christiano nomine funguntur, tamen in quamplurimis Rasciani et eciam Boznenses cum christianis mixtim commorantur; quedam ciuitates ac ville sectis hereticorum Boznensium ac Huzytarum infecte per plurimos annos extiterunt, quos sicut hereticos antefatus frater Jacobus diuina mediante gracia ex mandato sumpmi pontificis exstirpauit et ad fidem romane ecclesie tanquam pius pater segregauit; ymmo ex altera parte Danubii quasi per spacium unius miliaris vel circa mixtim Rasciani et Boznenses heretici cum christianis moram faciunt personalem. Datum in Dyako feria secunda post festum beati Mathiae apostoli et martyris anno domini millesimo quadringentesimo tricesimo septimo.

(Sigillum ex cera nigra chartae adpressum).

(In dorso): Domini Ladislai filii condam Joannis vayvode de Thamasi, 1437).

Ex originali in tabular. conventus fratr. minor. della Nova Neapolit. *Koller*: Historia eccl. quinqueeccles. III, 361.

DCCLV. 1437, 20 Aprilis.

Stephanus Dragišić testatur, se rite accepisse a Ragusinis suam partem pecuniae, quam olim Sandal, magnus vojevoda deposuerat. Scripsit diac. Pribisav.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monum. serbica, p. 388.

DCCLVI. 1437, 11 Junii, Bononiae.

Eugenius PP. IV. „custodibus et vicario ordin. minorum in vicariatu Bosnae“ concedit, ut possint benedicere vestes, calices, corporalia et alia ad usum ecclesiarum.

Piis supplicum votis . . . Dat. Bononiae an. etc. MCCCCXXXVII, III idus Junii an. VII.

Ex libr. I de regularib. an. 7 fol. 270. *Wadding:* Annal. minor. tom. IX, p. 331.

DCCLVII. 1437, 11 Junii, Bononiae.

Eugenius IV stricte prohibet, ne quis ex fratribus vicariae Bosnae praesumat separationem conventuum Dalmatiae a vicaria procurare, sive idem procurantibus consilium et favorem exhibere.

Eugenius episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis universis et singulis fratribus ordinis minorum professoribus in regno Dalmatiae et ubilibet constitutis salutem et apostolicam benedictionem. Ad ea ex debito pastoralis officii nobis iniuncti libenter intendimus, quae ad religionis conservationem et incrementum pertinent et salutem respiciunt animarum. Cum itaque pro parte dilecti filii Jacobi de Marchia ordinis fratrum minorum professoris in regno Bosnae vicarii ac fratrum in sua comitiva existentium nobis expositum sit, quod nonnulli fratres dicti ordinis dissoluti et vagabundi sub sanctitatis specie et bonitatis simulatione saecularium personarum auxilio freti, loca quaedam in vicariatu Bosnae, in quibus domus et conventus dictorum fratrum existunt, dividere procurant, et domibus et conventibus dicti ordinis in Dalmatia constitutis annectere et incorporare continuo student in maximum praejudicium et gravamen fratrum in dicto vicariatu Bosnae existentium; cum fratres dicti Ordinis in vicariatu Bosnae constituti victum, et vestitum necessarium, quae ex vicariatu Bosnae habent, de caetero habere non possent, pro parte dicti vicarii, ne loca, domus et conventus praedicti ex defectu victus et vestitus dictorum deserantur, nobis fuit humiliter supplicatum, ut super his de oportuno remedio de benignitate apostolica providere dignaremur. Nos itaque hujusmodi supplicationibus inclinati harum serie universis fratribus, ac aliis quibuscunque personis districte, et in virtute sanctae obedientiae praecipimus et mandamus, quatenus ad nostram et sedis apostolicae reverentiam nemo talia praesumere aut quovis modo procurare, sive praesumentibus et procurantibus consilium vel favorem exhibere audeat, intendentes, ut fratres in illis partibus degentes sicut hactenus fuerunt, ita imposterum sub vicariatu Bosnae existant. Nulli ergo etc. Datum Bononiae anno incarnationis dominicae millesimo quadringentesimo trigesimo septimo; tertio idus Junii, pontificatus nostri anno septimo.

Blondus. Gratis pro Deo, de mandato domini nostri PP. Jo. de Montecinere.

Ex originali in tabular. provinc. ss. Salvatoris fratr. minor. Gyöngyösien.

DCCLVIII. 1437, 21 Augusti, Bononiae.

Eugenius PP. IV. permittit „nobili viro Georgio, vaivodae marchioni partium infernalium (sic, i. e. inferiorem) Bosnae“, ut possit „unum in

honorem et sub vocabulo beatae Mariae v. monasterium cum ecclesia" pro fratribus vicariae Bosnae fundare.

Apostolicae nobis . . . Dat. Bononiae anno etc. MCCCCXXXVII. XII. kal. Septembris an. VII.

Ex libr. 2 de diversis formis an. 7 fol. 84. *Wadding:* Annal. minor. tom. XI, p. 335.

DCCLIX. 1437, 7 Decembris, Bononiae.

Eugenius PP. IV. concedit fratribus vicariae Bosnae, ut in Hungaria septem recipiant loca, cum, referente fr. Jacobo de Marchia, vicario, „circa sexdecim ecclesiae et domus fratrum . . . dicti ordinis spatio duorum annorum a Turcis destructae et combustae sint".

Sacrae religionis . . . . Dat. Bononiae an. etc. MCCCCXXXVII. VII. idus Decembris an. VII.

Ex libr. 2 de regularib. an. 7 fol. 24. *Wadding:* Annal. minor. tom. XI, p. 343 *Theiner:* Monum Slavor merid. tom. I, p. 375.

DCCLX. 1437, 7 Decembris, Bononiae.

Eugenius IV concedit fratribus vicariae Bosnen. sacerdotibus, ut debiles et infirmos, quos in domibus, dum eleemosynam petunt, invenerint, sacramentaliter in ecclesia vel ipsis domibus, iniunctis iniungendis, absolvere possint.

Eugenius, episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis, fratribus vicariae Bosnae ordinem minorum profitentibus, salutem et apostolicam benedictionem. Piis supplicum votis libenter annuimus, illaque prosequimur favoribus oportunis. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, quod fratres vicariae Bosnae dicti ordinis, dum pro eleemosynis ad sustentandam eorum vitam accedunt, aliquando personas utriusque sexus reperiunt senio, aut infirmitate, aut aliis passionibus ita debiles et oppressas, ut pro commissis delictis ad ordinariorum suorum praesentiam pro obtinendo debitae absolutionis beneficio ire non possint, nec a rectoribus parochialium ecclesiarum in certis criminibus et delictis, per eas commissis, debitam absolutionem assequi valent; propterea, ne nonnullae personae illarum partium decedant, debitae absolutionis beneficio minime obtento, in animarum suarum periculum et gravamen, pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, ut super his de opportuno remedio salubriter providere dignaremur. Nos itaque, qui ex debito pastoralis officii nobis injucti animarum saluti paterno studio consulere tenemur, hujusmodi supplicationibus inclinati fratribus dictae vicariae in sacerdotio duntaxat constitutis, qui ad hoc per vicarium fuerint pro tempore deputati, hujusmodi debilium personarum ad praesentiam ordinariorum suorum accedere non valentium, in ecclesiis et sacris locis, et cum tempus requireret, et suadente gravi earum infirmitate et in huiusmodi personarum domibus confessiones audiendi, et confessionibus ipsis auditis pro commissis debitam absolutionem quoties oportunum fuerit impendendi, injunctis personis eisdem pro modo culpae poenitentia salutari, et aliis, quae de iure fuerint injungenda, plenam vobis auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus facultatem. Nulli ergo omnino hominum

liceat hanc paginam nostrae concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Bononiae anno incarnationis dominicae millesimo quadringentesimo tricesimo septimo, septimo idus Decembris, pontificatus nostri anno septimo.

Ex exemplari in tabular. provinc. ss. Salvatoris fratr. minor. Gyöngyösien.

DCCLXI. 1437, 8 Decembris.

Eugenius PP. IV. fratri Jacobo de Marchia et eius in vicariatu successoribus potestatem facit „confessiones personarum in partibus illis existentium audiendi et pro commissis debitam absolutionem totiens quotiens opportunum fuerit impendendi etc.“ etiam in casibus episcopalibus.

Inter curas . . . Dat. . . . VII idus Decembris an. VII.

Reg. an. VII, secret. tom. 7 fol. 261. *Theiner:* Monum. Slavor. meridional. tom. I, p. 375.

DCCLXII. 1437, 26 Decembris, Djakovae.

Josephus, episcopus Bosnensis, uti et ille Sirmiensis, de laboribus apostolicis s. Jacobi de Marchia publicum exhibet testimonium.

Nos Josephus, Dei et apostolicae sedis gracia episcopus ecclesie Boznensis, memorie commendamus tenore presencium significantes quibus expedit universis, quod venerabilis et religiosus vir frater Jacobus de Marchya, vicarius Boznensis etc. (iisdem verbis prosequitur uti et episcopus Sirmiensis vid. pag. 163, nr. DCCLXIV).

In cuius rei evidens testimonium presentes litteras nostras patentes sigillo nostro pontificali assignatas exinde eidem duximus concedendas.

Datum in Dyako in palacio solite nostre habitacionis in festo sancti Stephani prothomartyris, anno Domini millesimo quadringentesimo tricesimo septimo.

(Sigillum maius, formae ovalis, cerae impressum).

Ex originali in tabular. conventus fratr. minor. della Nova Neapolit.

DCCLXIII. 1438, 18 Julii, Valpovo.

Ladislaus de Maroth testatur, in Sirmio multas villas et civitates heretica doctrina Husitarum abhinc multos annos infectas extitisse, quam s. Jacobus, Bosnae vicarius, extirpavit.

Nos Ladislaus de Maroth memorie comendamus per presentes, quomodo reverendus in Christo pater frater Jacobus de Marchya, ordinis minorum vicarius bosnensis, ac in regno Hungarie et partibus Austrie papalis inquisitor prauitatis heretice nec non in predicto regno Bosne et partibus Rascie ac in earum circumvicinis, ab unitate sancte matris ecclesie separatis, legatus sacri concilii basiliensis institutus, in nostri veniens praesenciam proposuit coram nobis, ut quidam emuli, invidie livore inflati, ipsum fratrem Jacobum in sue legationis officio in partibus Sirimie inter Zawam et Danubium constitutis, impediverint asserentes,

quod dictus frater Jacobus in prefatis partibus officium legacionis minime exercere valeat, licet, inquiunt, circumvicine propingue partes Bosne et Rascie existant, tamen in eisdem partibus Sirimie quedam civitates et ville fidei christiane obedientes forent. Nos vero, qui per annuenciam regie maiestatis in iam dictis partibus Sirimie in magna parte dominio temporali perpetuo fungimur, mediante nostra consciencia testamur, asserimus et fatemur, quatenus maiorem partem (dictarum par)cium Sirimie Rascianos inhabitare, licet (autem) quedam civitates et ville christiano nomine fungantur, tamen in compluribus Rasciani cum christianis mixtim comorantur; inter veros christianos quedam ville et civitates sectis Husitarum hereticorum infecte per plurimos annos extiterint, quos, scilicet hereticos, prefatus frater Jacobus, divina gracia mediante, ex mandato domini supremi pontificis extirpauit, ymmo et ex altera parte Danubii, quidem per spacium unius miliaris mixtim Rasciani cum christianis morantur. Datum in Walpo feria quinta proxima ante festum beate Margarethe virginis et martyris, anno domini millesimo quadringentesimo tricesimo septimo.

(Sigillum cerae nigrescenti impressum).

Ex originali in tabular. conventus fratr. minor. della Nova Neapolit.

DCCLXIV. 1437, 18 Julii, in Monasterio bani.

Jacobus, episcopus sirmiensis, testimonium exhibet s. Jacobo, vicario Bosnae, quod sua sapientia et solerti cura patarenos et husitas in partibus sirmiensibus ad fidem catholicam reduxerit, et catholicos in fide confortaverit.

Nos Jacobus, diuina miseratione et apostolice sedis gracia episcopus ecclesie sirmiensis, memorie commendamus tenore presencium significantes quibus expedit universis, quod venerabilis et religiosus vir dominus frater Jacobus de Marchya, vicarius boznensis, inquisitor heretice prauitatis per sedem apostolicam ac sacrum concilium basiliense deputatus, nostram ueniens in presenciam exposuit nobis per modum protestacionis in hunc modum: quod quidam forent controversores, sacrosancte orthodoxe fidei persecutores in partibus sirmiensibus, qui Dei timore postposito eundem fratrem Jacobum in sue legacionis officio impediuissent, ac eidem ausu temerario et superstitiose in contemptum sancte romane ecclesie contradixissent asserentes, ipsum non habere in dictis partibus sirmiensibus auctoritatem. Nos vero, qui verum sumus membrum christiane religionis, ac filius pacis et sancte obediencie alumnus, tenore presencium litterarum mearum annotatum dominum fratrem Jacobum omnibus, quibus interest, aut interesse poterit, laudabiliter recommendamus in eo, quod idem Dei sciencia fulcitus in diversis regni partibus, et specialiter in supradictis partibus sirmiensibus, ubi Boznenses ac Rasciani, catholice fidei emuli, mixtim habentur ac inter fluuios Zawam et Danubium simul commorantur, plerosque hereticos diversis heresibus, singulariter heretica prauitate maledictorum Husitarum, sancte romane ecclesie infidelium infectos, sua sapientia et solerti cura redarguit, extirpavit et ad fidem (sanctam conuertit, et) populum Dei per sue predicacionis verbum in fide catholica confortauit. Unde benedictus sit dominus gloriosus. In cuius rei euidens

*

testimonium presentes nostras litteras patentes sigillo nostro pontificali assignatas exinde eidem duximus concedendas.

Datum in Monasterio bani in palacio solite nostre residentie feria quinta proxima post festum diuisionis apostolorum anno Domini millesimo quadringentesimo tricesimo septimo.

(In medio est sigillum impressum cerae rubrae).

Ex originali in tabular. conventus fratr. minor. della Nova Neapolit. *Katona*: Historia crit. VII, 771—4.

DCCLXV. 1437, 14 Novembris, Ragusii.

Commune ragusinum imperatori Sigismundo refert: „De partibus Bosne habetur, regem eiusdem Bosne vinctum et confederatum esse in liga cum voivoda Stipano, ambobus existentibus in guerra cum voivoda Radosavo Paulovich. . .“

Gelcich: Diplomatarium p. 405.

DCCLXVI. 1438, 11 Februarii, Quinqueecclesiis.

Henricus episcopus quinqueecclesien. iniungit clero ilokiensi et vicinis parochis, ut in suis ecclesiis bullas pontificias s. Jacobo de Marchia concessas, divulgent.

Jehsus. Henricus, miseracione diuina episcopus ecclesie quinqueecclesiensis, discretis viris de Wylak ceterisque circumiacentibus plebanis seu ecclesiarum parochialium rectoribus nobis in Christo dilectis salutem cum benediccione. Noueritis, nos bullas sanctissimi in Christo patris et domini, domini Eugenii pape quarti, nobis directas summa cum obediencia et reuerentia, ceu tenemur, recepisse, et earum continentiam iuxta mandatum sue sanctitatis nobis iniunctum fecisse, quas uobis in specie cum presentibus duxerimus exhibendas; super quo uobis presencium serie, in uirtute salutaris obediencie, iniungimus et mandamus, quatenus tenore bullarum predictarum uestris in ecclesiis, prout bullis in eisdem continetur, diuulgare, insinuare et pronunciare debeatis, secus non facturi. Ceterum habemus certitudinem, quod frater Jacobus eligere habeat confessores in casibus episcopalibus aliaque, prout in copiis bullarum clarius continetur. Datum Quinqueecclesiis feria 3. proxima ante festum beati Valentini martyris anno domini 1438.

Ex exemplo in tabular. conventus fratrum minor. della Nova Neapolit.

DCCLXVII. 1438, 2 Aprilis, Strigonii.

Georgius, archiepiscopus strigonien. s. Jacobum de Marchio, vicarium Bosnae tanquam de fide orthodoxa in Hungaria optime meritum summo pontifici commendat.

Beatissime pater et domine colendissime. Post humilem et deuotam subiectorum usque ad pedum oscula beatorum. Eidem vestre sanctissime paternitati significo per presentes: quod religiosus Deoque deuotus frater Jacobus de Marchia, ordinis minorum vicarius Bozne, hic in regno Hungarie in predicando verbum domini et fidei orthodoxe, errores maximos,

qui hic in multis et diversis locis a variis hominibus revocati et Hussitarum sectam tenentes pullulabat, suis maximis diligentissimisque et sudorosis laboribus reprobauit et circa eorumdem hereticorum et eciam multorum scismaticorum ad fidem catholicam reductionem tanquam pugil Christi strenuus accuratam suam apposuit tot vicibus diligentiam, multos convertendo et reducendo; sic quod huiusmodi suis laudabilibus et fructuosis ac salutiferis operibus exigentibus ipsum fratrem Jacobum, tanquam benemeritum et laude dignum de huiusmodi suis hic bene gestis laudabilibus, et sudorosis laboribus, ipsi vestre sanctitati, quantum valeo, sincere recommendo. Quam altissimus pro tranquilla pace et subsistencia ecclesie uniuersalis sue sancte et tocius populi christiani dignetur salubriter et tempora perdiuturna felicissime conservare. Datum feria 4-ta proxima ante dominicam Judica.

Ex exemplo in tabular. conventus fratr. minor. della Nova Neapolit. Exemplar synchronum. Copia archiepiscopi strigoniensi et capituli tituliensis a. 1438.

DCCLXVIII. 1438, 15 Aprilis, Budae.

Elisabeth regina iubet Johannem, archiepiscopum colocen. et bachien. duos e capitulo bacsien. canonicos mittere ad oppidum Ilok, ut inquirerent, cuius auctoritate Symon, archidiaconus, s. Jacobum de Marchia, inquisitorem, excommunicatum declaraverit, et desuper exacte referrant.

Elyzabeth dei gracia regina Hungarie, Dalmacie, Croacie etc. Austrieque et Stirie ducissa iunior, marchionissa Moravie etc. fideli nostro deuoto dilecto reverendissimo in Christo patri domino Johanni, archiepiscopo ecclesie colocensis et bachiensis canonice unitarum, salutem et graciam. Referente nobis religioso fratre Jacobo, inquisitore heretice pravitatis et predicatore in regno nostro Hungarie, nostra percepit serenitas, quod quidam Symon, archidiaconus in ecclesia quinqueecclesiensi, vigoribus reverendi in Christo patris domini Henrici, episcopi eiusdem ecclesie quinqueecclesiensis, auctoritate propriarum litterarum, nulla precedente legitima citacione aut amonicione, eundem fratrem Jacobum sentencia excommunicacionis, indebite lata, innodasset, ac in oppido Vylak et suis pertinenciis innodandum, in suum grave preiudicium et iacturam, procurasset, per hec eidem non minimum derogando; et quia nos premissam sentenciam et omnes ipsius processus per fideles nostros prelatos et barones, vicarios scilicet predicti regni nostri, volumus facere examinari, igitur (ideo) vestram attente requirimus fidelitatem, eidem seriosius committendo, quatenus cognitis presencium continenciis, duobus ex dominis, de capitulo dicte ecclesie vestre bachiensis eligendis, committatis eisdem verbo nostre maiestatis, quibus et nos serie presencium firmiter comittimus et mandamus, quatenus ipsi ad predictum oppidum Vylak et eius pertinencias, consequenterque plebanos et rectores inibi et alias ubilibet sub archidiaconatu dicti Symonis, in hac parte executores constituti, accedentes, de premissis, cur videlicet ac vigore quarum litterarum dictum fratrem Jacobum, et ad cuius instanciam excommunicatum denunciaverint, diligenter inquirere ac huiusmodi litteras sententiales ab eisdem, in specie vel saltem copiam eiusdem repetere et rehabere (ac) sub sigillo dicti capituli bachiensis transmittere debeant et teneantur. Qui quidem

plebani et executores, si hoc fecerint, bene quidem, alioquin ipsos et eorum quemlibet in presenciam fidelis nostri devoti dilecti, reverendissimi in Christo patris, domini Georgii, archiepiscopi Strigoniensis vicariique regni nostri Hungarie predicti, ad nonum diem notificationis presencium eis fiende computandum, de premissis responsuros quoad eundem fratrem Jacobum, (citari debere). Tandem seriem omnium premissorum, prout expediens fuerit, per annotatum capitulum bachiense memorato domino archiepiscopo Strigoniensi conscienciose rescribi volumus et mandamus, presentibus perlectis et exhibentibus. Datum Bude tercio die festi pasce domini, anno eiusdem millesimo quadringentesimo tricesimo octavo.

Sigillum cerae rubrae. Cerae supersunt aliquot tantum fragmenta chartae adhaerentia, quare et scriptura sub sigillo notata legi potest videlicet. Zu pp̃a Venceslai re.

Ex originali in tabular. conventu fratr. minor. della Nova Neapolit.

DCCLXIX. 1438, 28 Maii, Tholosae.

P. Guilelmus de Casalis, minister generalis ordinis, scribit s. Jacobo de Marchia, ut in rigore, quo in Bosnenses fratres procedit, sibi temperet; ne novos in Hungaria conventus quaerat, sed destructos reparet.

Venerabilis et amantissime! Fraternitatis vestre littere me valde letum fecerunt, et omnes patres, quibus res vestras narravi et opera sancta de loco Stagni; et sic non dubitetis, quod nunquam supportabo, ut amoverentur a vicaria, neque quod ulla iniuria fiat eisdem, sed semper defendam, presertim volentes vivere in eadem sub vicario, et vobis humiliter obedire.

Unum vobis prorsus svadeo, ut non scandalizetis in populo fratres predictos; conqueruntur multo, quod predicatis terribilia contra ipsos et queritis eorum confusionem, predicando quod sint excommunicati, qui faciunt elemosinas eis; certe ista non credo, quia iam diu vos cognovi. Non vellitis pro nunc querere in Hungaria novorum edificationes locorum, (sed) edificetis illa, de quibus habetis facultates; et reparetis pro posse destructa, interim dominus aliquid providebit. Vos estis corona ordinis et lumen fidei christiane inter illas tenebras tantarum heresum. Dominus vos iuvet et conservet. Ex Tholosa XXVIII madii.

De apostatis manentibus cum reverendissimo domino episcopo Varadiensi providebo cum gratia domini.

Fr. Guilelmus de Casalis, generalis minister ordinis minorum, propria manu.

Ex origin. in tabular. conventu fratr. minor. della Nova Neapolit.

DCCLXX. 1438, 15 Junii, Ragusii.

Comes, nobiles et totum commune Ragusii fatentur, se legatis vojevodae Stephani, starac Radin et c. Vukman Jugović, dedisse partem depositi Sandal, magni vojevodae Bosnae. Inscripsit ragus. logotheta Nikola Zvezdić.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monum. serbica, p. 390.

DCCLXXI. 1438, 20 Julii, Ragusii.

Radosav Dragišić Kosača fatetur, se accepisse a Ragusinis suam partem pecuniae, quam Sandal magnus vojevoda deposuerat. Scripsit Vukman Jugović.

Dr. *Fr. Miklošić:* Monum. serbica, p. 391.

DCCLXXII. 1438, 17 Augusti, Ferrariae.

Eugenius PP. IV. concedit s. Jacobo de Marchia vicario Bosnae, ut in ditionibus regis Hungariae possit recipere septem conventus.

Eugenius PP. IV. dilecto filio Jacobo de Marchia ord. (s.) Franc. min. professori salutem etc. Alias de tua sincera in domino devocione multiplicique bonitate, quibus apud nos digne commendatus existis confisi, tibi per alias nostras litteras inter alia septem loca pro septem conventibus tui ordinis cum ecclesiis, campanilibus, dormitoriis et aliis necessariis, si tibi christi fidelium pia largitione assignarentur, recipiendi, in illisque conventum huiusmodi erigendi, ordinandi et perficiendi facultatem concessimus, prout in ipsis litteris plenius continetur.

Cum autem etc. ex eo, quod loca recipienda huiusmodi per eorum nomina, circumstantias et vicinia descripta et specificata non sint, a nonnullis cavillatur, litteras nostras huiusmodi vires non habere, teque, qui illarum vigore duo iam loca recepisti, ad illa aliaque loca recipienda potestatem habuisse. Nos volentes in hiis providere, ac cuiusvis ambiguitatis scrupulum amovere, auctoritate apostolica tenore presentium decernimus et declaramus, nostre intentionis fuisse et esse, te loca septem, quecunque ad hoc alias accommoda ubicunque in partibus regnorum carissimi in Christo filii Hungarie regis pro tempore existentis recipere, inibique conventus, secundum tenorem dictarum litterarum nostrarum potuisse et posse in omnibus et per omnia, ac si loca huiusmodi per eorum nomina, vicinia et confinia specifice in dictis litteris descripta et denominata fuissent. Non obstantibus Bonifacii VIII predecessoris nostri et aliis quibusvis constitutionibus apostolicis, etiam si tales essent, de quibus specialis expressa presentibus mentio habenda esset, quarum tenorem hic haberi volumus pro sufficienter expressis, ceterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre constitutionis, declarationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire etc. Datum Ferrarie anno incarnationis Dominice MCCCC tricesimo octavo, decimo sexto kalend. Septembris, pontificatus nostri anno octavo. A. de Florentia.

Ex originali in tabular. provinc. ss. Salvatoris fratr. miner. Gyöngyösien.

DCCLXXIII. 1438, 18 Septembris, Ragusii.

Stephanus, magnus vojevoda Bosnae, vojevodae Sandal ex fratre nepos, fatetur, se accepisse suam partem pecuniae ab eodem Sandal depositae. Scripsit Vukman Jugović.

Dr. *Fr. Miklošić:* Monum. serbica, p. 396.

DCCLXXIV. 1438, 18 Septembris, Ragusii.

Comes, nobiles et totum commune Ragusii testantur, se reliquias pecuniae olim a vojevoda Sandal depositae iterum recepisse, certo tempore c. Vladisavo et c. Vlatko, Stephani magni vojevodae filiis, tradendas.

Dr. *Fr. Miklošić:* Monum. serbica, p. 393.

DCCLXXV. 1438, 25 Octobris, Senis.

P. Gulielmus de Casalis, minister generalis ordinis, novem comitibus ex familia Frangepanorum, qui conventum segniens. liberaliter dotarunt, ordinis benefactoribus, scribit, quae circa quosdam fratres vicariae Bosnae rebelles, decreverit; s. Jacobum laudibus extollit, et pro nonnullis, quos missurus est, fratribus favores exorat.

Magnifici et plurimum honorandi (proceres) et domini. Suscepi litteras vestrarum magnificenciarum super fratribus vicarie Bosne et presertim locorum nostri ordinis, vestro magnifico dominio subiectorum, quibus respondeo, quod licet ex hiis, que nuper senseram, providere sume desideraveram magnificis dominacionibus, nunc eisdem iterum significo quia sensi plures apostatas fugere ex vicaria, et ad illum venerabilem conventum vestrum venire, atque stare sine licentia ordinis in rebellione, quod erat maxime scandalosum; ad obviandum huiusmodi malis, mandaui, quod omnes dicte vicarie expellerentur, et nemo posset recipi ad manendum, exceptis duobus confessoribus, pro quibus me vestrae magnificenciae rogaverant; tamen nunquam fuit intentionis mee, quod pauperes fratres, qui venirent de licencia venerabilis fratris Jacobi de Marchia, vicarii Bosne, pro elemosina petenda prefatis de locis vestrarum magnificarum dominacionum, non reciperentur caritative in conventu; et maxime nunquam venit in animum meum, quod tantus vir, quantus est noster venerabilis frater Jacobus vicarius, non solum in toto ordine, sed in toto orbe clarissimus predicator, in regulari observancia pater integerrimus, cuis doctrina et exemplis tota Ytalia, tota Ungaria fulget, in vestro conventu et civitate non reciperetur, cum ipse sit magna ordinis nostri et fidei christiane corona. Ymmo sum maxime scandalisatus de illo ignorante et phatuo ac scandaloso fratre dominico de Cest'na (Cetina), quod se pervicaciter gessit, et tantum scandalum fecit, ut noluerint eum (Jacobum) in conventum recipere, nec ad predicaciones admittere, in quibus evangelium Christi atque doctrina mirabiliter fulget; et multo amplius me afflixit actus ille scandalosissimus, quem fecit ducendo fratres processionaliter ad magnificentiam vestram, vocando se de observancia, cum non sit dignus osculo pedum prefati venerabilis fratris Jacobi; et hec ad faciendum querelas prefato fratri, quem ipse venerabilis frater Jacobus iuste et sancte corrigi fecit. Ymmo volo quod omnes, qui venirent cum bona licencia ipsius venerabilis fratris Jacobi, vicarii Bosne, ut supra, pro elemosina suscipienda, presertim de locis vestrae magnificae dominationi subiectis et sub eiusdem administracione constitutis, libenter et caritative recipiantur, et donec habuerint elemosinas, pro quibus venient, benigne in conventu tractentur, ymmo aliter videretur mihi cru-

dele; et ne hic, scilicet Dominicus de Cest'na, arrogans et temerarius alias presumat tantum scandalum (patrare, qui non) contentus, expullit illos duos religiosos, quos propter bonam relacionem et animarum vestrarum utilitatem spiritualem in conventu collocaveram vestro, eundem coram me citaui; et ne conventus interea paciatur, loco eius alium mitto, quem ipse venerabilis frater Jacobus vicarius declarabit. (Rogo) instantissime magnificentiam vestram, ut hiis, quos ego mitto, favores opportunos prestare dignentur, nam quantum efficacius potero ad mittendum (apud) ipsum venerabilem fratrem Jacobum pro certo laborabo, me ad mandata magnificentiarum vestrarum penitus offerendo Ex Senis xxv Octobris. V. M. humilis orator frater Guilelmus de Casali ordinis minorum generalis minister inutilis.

In dorso: Venerabili religioso fratri Jacobo de Marchia, vicario Bosne ordinis nostri.

Ex origin. in tabular. convent. fratr. minor. della Nova Neapolit.

DCCLXXVI. 1438, 15 Novembris, Ferrariae.

Eugenius PP. IV. fr. Jacobum de Marchia, ord. minorum, inquisitorem in Hungaria Alberto, regi Hungariae, commendat.

Dudum dilectum filium . . . Dat. Ferrarie anno dominice incarnationis MCCCCXXXVIII. XVII. kal. Decembris an. VIII.

Theiner: Monum. Hung. tom. II. p. 218.

DCCLXXVII. 1438, 24 Decembris, Ferrariae.

Eugenius PP. IV. concedit, ut fratres bosnensis vicariae pacifice possideant domum, quam „ex assignatione dilecti filii nobilis viri Georgii Despoti, regni Hungariae . . . prope oppidum Rivadominarum agrien. dioeces. obtinuerunt".

Decet romanum pontificem . . . Dat. Ferrariae an. etc. MCCCCXXXVIII. IX kal. Januarii an. VIII.

Ex libr. I. de Regularib. et exhibitis an. 8, fol 273. *Wadding*: Annal. minor. tom. XI, p. 363.

DCCLXXVIII. 1438, Ragusii.

Commune ragusinum fatetur, se ab Helena, uxore quondam m. vojvodae Sandal et filia Serbiae despotae Lazari, per eius legatos Lavro Migović et diac. Sladoje percepisse 1000 aureos in depositum.

M. Pucić: Споменици српски, II, 95.

DCCLXXIX. 1438, 24 Decembris, Ferrariae.

Eugenius PP. IV concedit, ut fratres vicariae bosnensis possint adhuc septem loca in Hungaria recipere et ibi conventus etc. erigere.

Eugenius episcopus, servus servorum Dei. Dilectis filiis fratribus vicariae Bosnae ordinis fratrum minorum professoribus salutem et apostolicam benedictionem. Sacrae religionis, sub qua mundanis despectis illecebris in humilitatis spiritu virtutum domino famulamini, promeretur honestas, ut votis vestris, illis praesertim, quae divini cultus augmentum

et religionis propagationem respiciunt, favorabiliter annuamus. Dudum siquidem nos dilecti filii Jacobi, ordinis minorum professoris vicarii Bosnae, asserentis circa sedecim ecclesias et domos fratrum dicti ordinis spatio duorum annorum a Turcis destructas et combustas fuisse, supplicationibus inclinati, vobis per alias nostras litteras in regno Hungariae septem loca, si vobis pia largitione fidelium concederentur, vel alias justis modis illa possetis adipisci, recipere et retinere, et in quolibet ipsorum locorum ecclesiam, sive oratorium, cum campanili, campana, cemeterio, domibus et aliis necessariis officinis, pro usu et habitatione vestra et fratrum dicti ordinis etiam de vicaria Bosnae existentes ad id voluntarios de superiorum suorum licentia transferre et recipere, ac inibi una cum eisdem fratribus sub regularibus constitutis dicti ordinis altissimo famulari, nec non missas et alia divina officia celebrare, ac verbum Dei praedicare libere et licite valeretis, ordinarii loci super hoc consensu minime requisito (etc. ut supra in textu,) licentiam et plenariam facultatem concessimus. Et nihilominus vobis, et universis fratribus in eisdem domibus et locis pro tempore moraturis, ut omnibus et singulis privilegiis indultis et gratiis quibuscunque generalibus et specialibus, quorumcunque tenorum existerent, fratribus ejusdem ordinis per sedem apostolicam concessis et imposterum concedendis uti et gaudere valeretis et valerent, auctoritate praedicta indulsimus, prout in ipsis literis plenius continetur. Cum autem, sicut nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, vos nonnulla praedicti regni loca praefatae concessionis vigore licite acquisiveritis, inibique regularem observantiam instituueritis, propter quod Christi fidelium illarum partium animos ad devotionem, prout vobis a Deo concessum est, incitastis; et si alia vobis loca pro ipso ordine recipiendi daretur facultas, uberem speratis altissimo reddere animarum fructum; quare pro parte vestra fuit nobis humiliter supplicatum, ut super his oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque intendentes religionem nostris potissime temporibus ampliari, hujusmodi supplicationibus inclinati, vobis alia septem loca in regno praedicto, si vobis pia fidelium largitione concedantur, vel alias justis modis illa possitis adipisci, recipiendi et retinendi, et in quolibet ipsorum locorum ecclesiam, sive oratorium, cum campanili, campana, cemeterio, domibus et aliis necessariis officinis pro usu et habitatione vestra, et fratrum dicti ordinis, debita servata distantia, construendi et aedificandi, nec non quoscunque fratres dicti ordinis etiam de vicaria Bosnae existentes ad id voluntarios de superiorum suorum licentia transferendi, omniaque alia et singula faciendi et agendi, quae in praemissis litteris nostris circa primo dicta septem loca hujusmodi vobis quomodolibet sunt concessa, concedimus facultatem. Nos enim vobis et universis fratribus in eisdem ultimis domibus et locis pro tempore moraturis, ut omnibus et singulis privilegiis, indultis et gratiis quibuscunque generalibus et specialibus, quorumcumque tenorum existant, fratribus ejusdem ordinis per dictam sedem concessis, et imposterum concedendis uti et gaudere valeatis, et valeant, auctoritate apostolica praedicta tenore praesentium indulgemus. Non obstantibus omnibus et singulis, quae in dictis nostris literis non obstare voluimus, ac constitutione et ordinatione, qua caveri dicitur, quod fratres dicti ordinis loca aliqua recipere non possint, nisi

specifice et determinate hujusmodi loca per eorum nomina et confinia sint expresse designata, caeterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Ferrariae anno incarnationis dominice millesimo quadringentesimo tricesimo octavo, nono kalendas Januarii, pontificatus nostri anno octavo.

Ex origin. in tabular. provinc. ss. Salvatoris fratr. minor. Gyöngyösien.

DCCLXXX. 1439, mense Februarii, Ragusii.

Radoslav Pavlović, magnus vojevoda Bosnae, testatur se accepisse a Ragusinis per suos oratores c. Budislavum Bogavčić, christianum Radašin Vukšić, c. Vučihna Radosalić et c. Ivaniš Hrebljanović foenora et tributum canalense. Scripsit diac. Ivan.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monumenta serbica, p. 397.

DCCLXXXI. 1439, 3 Maii, Ragusii.

Commune ragusinum fr. Antonio Crispini, custodi conventus Slani, oratori ad regem Albertum, inter alia committit, ut referat, quod vojvoda Stephanus, nepos Sandagli, „novitates" Ragusio iam intulisset, nisi eundem „bonis et dulcibus verbis" ammoverent. Rex provideat, ut banus Dalmatiae et Croatiae succurrat Ragusio, si a voivoda impeteretur.

Gelcich: Diplomatarium, p. 423—7.

DCCLXXXII. 1439, 9 Maii, Florentiae.

Eugenius PP. IV. fr. Joannem de „Waaya" commissarium vicariae Bosnae, inquisitorem haereticae pravitatis instituit, omnesque praelatos, barones etc. provocat, ut „in his, quae dictum inquisitionis officium quovis modo concernunt, praefato Joanni consiliis, auxiliis" etc. assistant.

Ex iniuncto . . . Dat. Florentiae an. MCCCCXXXIX. IX Maii an. IX.

Reg. vatic. an. 8 et 9 libr. I, fol. 312. *Wadding:* Annal. Minor. tom. XI, p. 79.

DCCLXXXIII, 1439, 6 Junii, Budae.

Albertus, rex Hungariae, committit Matko de „Tallowtz" ut, si Stephanus vojevoda, nepos „Zandalii", in Ragusinos bellum moveret, eidem „scriptis superinde non expectatis, cum tota (sua) potentia quam in . . . regno Croacie levare" poterit, se opponat.

Datum Bude tertio die festi corporis Christi an. MCCCCXXX nono.

P. Matković: Starine libr. I, p. 156. *Ljubić:* Listine, IX, 117.

DCCLXXXIV. 1439, 6 Junii, Budae.

Albertus rex archiepiscopo colocensi, eius vicariis ceterisque iudicibus comitatuum sirmiens. et vukovarien. ac oppidi Kamenica, ne eos, qui sancto Jacobo de Marchia in officio inquisitionis favebant, ea ratione iudicent et in eorum iuribus quoquo modo molestare presumant.

Albertus, Dei gracia Romanorum rex semper augustus, ac Hungarie, Bohemie, Dalmacie, Croacie etc. rex, ac dux Austrie etc. Fidelibus nostris

reverendissimo in Christo patri domino Johanni, colocen. et bachien. ecclesiarum canonice unitarum archiepiscopo, eiusque vicariis tam spiritualibus quam temporalibus cunctis, eciam aliis regni nostri iudicibus et insticiariis, presentium noticiam habituris, salutem et graciam. Ex relacione fidelis nostri devoti, dilecti religiosi fratris Jacobi de Marchia ordinis s. Francisci de observancia, vicarii Bozne, nostra satis displicenter intellexit maiestas, quomodo nonnulli forent parcium regni nostri homines, et signanter in comitatibus sirmien. et de Walco ac opido Kamancz commorantes, quorum pravitate scelerate intencionis permoti, atque zelo invidie stimulati, in illos nostros fideles regnicolas, qui fidei catholice augmenta hominum favoribus preferendo prefato fratri Jacobo, alias in officio inquisicionis pravitatis heretice procedenti, nunc in inquirendis latibulis huiusmodi hereticorum, nunc vero in sui progressus direccione auxilio et subsidio adhesissent et astitissent, diversis gravaminum generibus molestare et perturbare niterentur, ymmo iam de facto impedivissent, turbassent et molestassent. Verum cum nos quoscunque ex fautoribus atque adiutoribus antelati fratris Jacobi, qui sibi, ut premittitur, in preatacto officio inquisicionis heretice pravitatis adhesisse dinoscuntur, per quempiam impedire non velimus. Igitur vestre et cuiuslibet vestrum fidelitati firmissime mandantes precipimus, quatenus nullus omnino vestrum talismodi nostros regnicolas, qui, ut prefertur, annotato fratri Jacobo in officio prelato favoribus et auxiliis astitisse et adhesisse noscuntur, sive quempiam ex eis, ad quorumvis instanciam hac racione iudicare (vel) adstare vestro iudicatui compellere, aut eos premissorum occasione in personis, rebus et bonis impedire, molestare seu quovis modo dampnificare (presumat); sed quilibet vestrum omnem questionem contra eos per quemcunque previa racione movendam nostre maiestatis examini et iudicio transmittat, per nos aut alium iudicem, ad hoc per maiestatem nostram deputandum, fine debito terminandam. Et secus nullatenus facere presumatis gracie nostre sub obtentu. Presentibus publicatis exhibenti restitutis. Datum Bude feria quinta proxima post festum Penthecostes anno domini millesimo quadringentesimo tricesimo nono.

Sigillum cerae rubrae fuit impressum, uti ex reliquiis adhuc chartae adhaerentibus patet; sub sigillo ipso leguntur verba: Joh. de Marzali; — pt. comts Temes.

Ex origin. in tabular. conventus fratr. minor. della Nova Neapolit. *Koller*: Historia eccl. quinqueeccl. III, 377.

DCCLXXXV. 1439, 19 Augusti, Borač.

Radosav, magnus vojevoda Bosnae, Pauli Radenović filius, una cum consorte Theodora et filio Ivaniš, profitetur se pecuniam, quam deposuerant, a communi ragusino per oratores c Budisav Bogavčić, christianum Radašin Vukšić, c. Vučihna Radosalić et c. Ivaniš Hrebljanović, rite percepisse Scripsit diac. Ivan.

Kukuljević: »Izvadci listina . . . bosanskih« in Arkiv II, Razd. I, p. 29. *Karano-Tertković*: Srbski spomenici p. 29. *Miklošić*: Monum. serb. p. 398—402.

DCCLXXXVI. 1439, 19 Augusti, Kamenicae in sirmiensi comitatu.

Fassio testium super Valentino, sartore et incola kamenicensi, qui executionem sententiae inquisitoris haereticae pravitatis impedivit.

Anno domini millesimo quadringentesimo tricesimo nono, decima nona Augusti, coram nobis fratre Jacobo, in regnis Hungarie, Bosne, Dalmatie et Sclavonie, ac in partibus Haustrie inquisitore per sumpmum pontificem ordinato et constituto, sedente pro tribunali illo die, seu sesserio, in domo plebani et opido Kamanch, comparuerunt infrascripti testes, (et) tactis corporaliter sanctis evangeliis, singuli et quilibet ipsorum de dicenda veritate et respondendo ad interrogata pure et sine odio vel rancore, quid sentirent seu scirent, contra et adversus Valentinum, sartorem, pro tunc inhabitatorem Kamanch, de impedicione officii inquisitionis executi per Johannem, iudicem de Kamanch, ex precepto et commissione supradicti inquisitoris.

Primo Johannes porkolab testificatus est, qualiter vidit predictum Valentinum sartorem ewaginantem gladium contra Johannem iudicem, pro tunc in actu exsecutorem sacre iusticie, contra tres hereticos relapsos, pro tunc ligatos ad palos; et persequentem eundem per devia, et posthea venit cum multis ad domum predicti iudicis, et confregerunt carceres, ubi stabat vinculatus quidam Valentinus sacerdos pro tunc plebanus de Bechen hereticus convictus per predictum fratrem Jacobum inquisitorem et liberatum ab eisdem.

Item And(re)as sartor similiter fassus est.

Item Blasius Korlath dictus testificatus est, scilicet: non vidit tumultum ipsum ad domum.

Item Tad(e)us Galdi similiter testificatus est.

Item Johannes Fa(r)kas consimiliter.

Item Paulus sartor consimiliter.

Item And(re)as papzolgaya vidit consimiliter et tumultum ad domum judicis.

Item Clemens That(o)s consimiliter.

Item Georgius Ho(r)wath vidit consimiliter.

Item Jacobus Walkovary fassus est, se vidisse Valentinum eduxisse de carceribus hereticum.

Item And(re)as Yrigy consimiliter vidit predictum Valentinum persequentem Johannem judicem.

Item Georgius Sapy dictus fassus est, sicut primus testificatus, scilicet Johannes porkolab.

Item Gregorius S hayw dictus consimiliter vidit predictum Valentinum evaginantem gladium in favorem hereticorum.

Item Tam(a)s Conth vidit consimiliter.

Item Benedictus Viyzew consimiliter vidit.

Item Tad(e)us sacerdos altarista, quemadmodum Johannes porkolab.

Item Emericus sacerdos viceplebanus, consimiliter evaginantem gladium hereticum (se vidisse testatur).

Item Matheus sacerdos altarista sancte beate (sic) virginis audivit vocem Valentini convocantem populum venite . . . cum me, statim interficiemus judicem.

Item Nicolaus sacerdos altarista beate virginis consimiliter vidit evaginantem ensem contra judicem.

Item Georgius sacerdos de Kamanch similiter vidit.

Item Johannes pariter sacerdos vidit, altarista sancte Katherine virginis.

Et ego Mathias Georgii de Debrechen notarius imperialis, ad omnia suprascripta interfui et audivi et manu mea propria scripsi et publicavi et signum meum apposui consuetum.

In dorso: Executio contra Valentinum Vngarum hereticum.

Ex exemplari synchrono in tabular. convent. fratr. minor. della Nova Neapolit.

DCCLXXXVII. 1439, mense Augusto, Bobovac.

Tvrtko, rex Bosnae, testatur, Ivaniš, filium Radosav Pavlović, petitum iuramentum praestitisse Ragusinorum legatis.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monum. serbica, p. 402.

DCCLXXXVIII. 1439, 1 Septembris, Thydewrew.

Consilium regium sententiam s. Jacobi de Marchia, inquisitoris hereticae pravitatis, in Valentinum, sartorem, incolam kamenicensem, latam confirmat, et inhibet ne quis eam ob causam s. Jacobum vel eius fautores quoquomodo molestare audeat.

Nos Laurentius de Hedrehwara regni Hungarie palatinus et iudex Cumanorum, Petrus Cheb de Leva, alias waywoda transilvanen. Ladislaus de Gara, banus machowien., Mathko de Thallowacz, regnorum Dalmacie, Croacie et tocius Sclavonie banus, comes Stephanus de Bathor, iudex curie regie maiestatis, Stephanus de Rozgon, alias comes themesien., Johannes de Korogh, Michael Jakch de Kwsal, alias comes Siculorum, Ladislaus filius condam Johannis waywode de Thamasii agazonum, ac alter Ladislaus de Palocz, ianitorum dicte regie maiestatis magister, Andreas Bothius de Harapk, Emericus et Johannes Marczali comites symigien. nonnullique alii proceres dicti regni Hungarie in consilio prescripte regie maiestatis existentes, universis et singulis quorum interest vel interesse poterit in futurum presencium tenore significamus: quod cum iam dudum assiduo studio multis vigiliis et laboribus religiosus vir frater Jacobus, ordinis fratrum minorum in regnis Hungarie, Dalmacie, Croacie, Bozne, Sclavonie ac Austrie inquisitor heretice pravitatis per sanctissimum dominum nostrum Eugenium papam quartum deputatus ac constitutus multa bona operatus sit in predicto regno Hungarie in predicatione verbi Dei et extirpatione cuiusdam heretice pravitatis Huzitarum aliorumque errorum et criminum, que per quosdam filios iniquitatis seminari et serpere ceperant in dicto regno Hungarie, inter alios quemdam Valentinum sartorem, pro tunc inhabitatorem oppidi Kamancz, multorum testimonio et evidencia fautorem hereticorum convicit et condempnavit, et ipsum rebus terrenis privavit; propterea quia cum Johannes, iudex de dicto oppido Kamancz, officialis et exsecutor sacre iusticie adversus et contra tres hereticos relapsos et convictos per praedictum inquisitorem, pro tunc ad palos ligatos, contra quem predictus Valentinus evaginato gladio cum aliquibus prefatum iudicem est persecutus per devia queque et ex illo

predicti tres heretici liberati sunt. Quo peracto demum venit ad domum iudicis cum eisdem et confregit carceres papales et exinde liberavit quendam sacerdotem hereticum convictum et iam per predictum inquisitorem. Cumque sicuti consvevit huiusmodi officii execucio multos inimicos et emulos excitare, quidam, dei timore postposito, supradictum Valentinum, fautorem hereticorum, conati sunt ostendere innocentem et ab huiusmodi criminis nota expurgare, ac alias quoquomodo officium inquisitionis prefati fratris Jacobi impedire et calumpniare, que cum non solum in ipsius sepefati fratris Jacobi detractionem et infamiam cedant et retorqueantur liuore quodam fomite et odio, verum eciam in detrimentum fidei et salutis populi huius regni et eneruacionem sancti operis, quod operatus est in ipso regno, ac operari poterit in futurum clemencia Saluatoris. Nos vero ad requisicionis instanciam iam dicti fratris Jacobi causam dicti Valentini quibusdam prelatis et doctoribus examinare commisimus, quorum relacione cum intellexerimus, prefatum fratrem Jacobum juridice, juste ac sancte contra jam dictum Valentinum processisse, vestre igitur universitatis et cuiuslibet vestrum fraternitatem et amiciciam requirimus, quatenus ratione huiusmodi processus contra prefatum Valentinum sartorem ipsum fratrem Jacobum vel quemcunque alium huiusmodi rei executorem iusticie, aut qui in hoc facto iam dicto fratri Jacobo auxilium prestitissent vel favorem, nullus infamare aut impedire, vel quouis modo molestare audeat et presumpmat, presentes quoque post earum lecturam semper reddi petimus presentanti. Datum in descensu nostro campestri prope vadum Thydewrew vocatum in festo beati Egidii abatis anno domini millesimo et quadringentesimo tricesimo nono.

Sigilla undecim cerae impressa.

Ex origin. in tabular. convent. fratr. minor. della Nova Neapolit.

DCCLXXXIX. 1439, 15 Septembris, Florentiae.

Eugenius PP. IV. iubet, ut Benedictus episcopus severinen. interim suscipiat curam catholicorum Moldaviae illucque advocet fratres minores vicariae Bosnae et per eos curam pastoralem exerceri faciat.

Eugenius episcopus servus servorum Dei. Venerabili fratri Benedicto episcopo zewrinensi salutem et apostolicam benediccionem. Provida sancte sedis apostolicae cura eo semper intense dirigebatur, ne populi in medio paganorum infidelium, schismaticorum hereticorumque constituti suo spirituali unquam carerent animarum solacio, sacrorumque administracione orbarentur. Hac itaque sancta ex provisione perinde ac ex ea eciam principaliter racione, ut ipsa salvifica ac pura domini nostri Jesu Christi fides inter eosdem paganos, infideles, schismaticos ac hereticos fructiferas capere possit salutis propagacionisque radices, salubriter non minus ac pie instituti fuere iam ab olim diversissimis in terre huius mundane oris episcopatus, inter quos sane non ultimus erat ille, quem in terra Moldauie ob terre illius vastitatem et Christi fidelium incommodam nimis dispersionem preter antiquiorem Ceretensem ab inicio presentis seculi iam vacantem et cum gravi Christi fidelium iactura ne de presenti quidem restaurabilem in terre illius metropoli Bacchowiensi sancta Bonifacii huius nominis pontificis IX. pontificatus sui anno tercio sollicitudo erexit ac

pia Johannis huius nominis pontificis XXIII. pontificatus sui anno quarto liberalitas variis excoluit ornauitque indultis prerogatiuis. Cum tamen eciam sedes hec episcopalis de presenti vacare dinoscatur exindeque maxima oriantur incommoda, quin immo et animarum iactura eo magis funesta extimescenda sit, cum non solum ipsa terra Moldauie, in qua Grecana heresis quoque die magis ac magis pullulare dicitur, sed et finitimi huic terre Ciculi partesque Transalpine, deficientibus iisdem in oris eciam fratribus ordinis minorum, ecclesiasticarum personarum innopia vel maxime periculoso hoc tempore laborent. Hinc fraternitati tue auctoritate apostolica serio iniungimus, ut eo usque eciam, donec adiuvante diuino auxilio, de quo ocius restaurando siue episcopatu ceretensi siue vero bacchowiensi, cum dilecto in Christo filio nostro Ladislao illustri rege Polonie subiectoque eidem Elia palatino Moldauie, per apostolica scripta prouidere poterimus curam pastoralem terris in supramemoratis per te et alios, quos ad id idoneos et sufficientes putaveris, et signanter per fratres minores de regulari observancia provincie boznensis solerter et sine mora exerceas et exerceri facias. Nec secus sub gravi apostolice huius sedis indignacione et censura feceris. Super quibus tamen omnibus plenam et omnimodam tenore presentium tibi concedimus auctoritate apostolica facultatem. Datum Florencie anno incarnacionis dominice MCDXXXIX. decimo septimo calendas Octobris, pontificatus nostri anno nono.

Tabular. conventus fratrum minorum kolosvarien. habet exemplum, quod editum fuit in »Magazin für Geschichte Siebenburgen's« v. Ant. Kurz II Band, p. 26—28. — Szabo Károly Székely Okmánytár Kolosvart 1872. I köt. p. 42.

DCCXC. 1439, mense Septembris.

Eugenius PP. IV. Thomam episcopum „pharensem“ in Bosnam mittit, qua legatum sedis apostolicae, cum facultate tres equites creandi.

Kukuljević: Izvadci listina bosanskih in Arkiv II, Razd. I, p. 26.

DCCXCI. 1439, Titeli in Hungaria.

Capitulum titulense dioeces. bacsien. enarrat studium s. Jacobi de Marchia circa hereticos dictae dioecesis convertendos, exponit eiusdem salutiferos effectus, eumque sanctissimo patri enixe commendat.

Beatissime pater et sanctissime domine noster. Post pedum oscula beatorum, vestre presentibus significandum duximus sanctitati, quod venerandus pater, dominus frater Jacobus de Marchya, vicarius Bozne, ordinis fratrum minorum, indagator et extirpator heretice prauitatis per sanctitatem vestram ad regnum Hungarie destinatus, peregit multis (in) aliis ipsius regni partibus non sine maximo corporis sui periculo, iam pridem ad hanc colocensem et bachiensem canonice inuicem unitam diocesim cum suis fratribus applicuit, ubi dante Domino uberrimos fructus ecclesie sancte Dei reportauit. Nam plurimos hereticos tam clericos quam laycos, quorum in hiis finitimis partibus a longis temporibus copia ingens pullulabat, comprehendit, et per diligens scrutinium ex eorumdem eciam hereticorum ultronea fassione, alios in siluis alios in cellariis, alios vero in molendinis, nonnullos autem in speluncis et cauernis montium et terrarum diuina prophanasse, et sub utraque specie a multis retro tempo-

ribus communicasse, ac sacram eucharistiam nec non sanguinem domini nostri Jesu Christi in quibusdem bursis, ab intus pice subductis, a collo pendentibus, per huiusmodi dampnata latibula detulisse et plurimos nocturno in silencio ad huiuscemodi prophana loca transeuntes, proh dolor, ipsum sanguinem domini nostri Jesu Christi super se et indumenta effudisse, ita ut eciam in calceamenta ipsorum usque conflueret, et terra exinde non mediocriter aspergeretur. Alios eciam non modicos errores fidei katholice contrarios comperit manifeste. Quos quidem hereticos habita superinde deliberacione prematura dignam demeritorum suorum subire fecit ulcionem, sicque ipsos et eorum fautores taliter iam contriuit, erroresque predictos per sancte predicacionis verbum et alia opportuna remedia extirpauit, ut dyocesis predicta se iam laqueis dyaboli gaudet expeditam. Ne autem huiusmodi peramplius in dicta dyocesi oriri possit, ydoneos per ciuitates et loca, qui sollicite (super) huiusmodi negocium vigilare debeant, deputauit. Et nisi ipsi dyocesi per S. V. de persona ipsius fratris Jacobi tam celeriter tamque salubriter prouisum extitisset, ut ipsi heretici asserebant, iam ad arma se promtuabant atque pontifices (cum clero) miserabili neci tradere conabantur, deterius non minus quam in partibus Bohemie, ad quelibet illicita in posterum committenda fieri possent procliviores. Quapropter, bone pater, supplicamus S. V. que nouit equa lance et malorum offensiones et bonorum merita trutinare, humotenus prouoluti, quatenus pro tantis talibusque ipsius fratris Jacobi meritis gloriosis sic ipsum debeas oculis pietatis respicere, ut ipse, qui cribrauit triticum, ne damnetur cum paleis, quod in (curia) S. V. exponendum in peticionibus suis, quas fortassis duxit porrigendas, se gaudeat exauditum; S. autem V. sanam et incolumem conservare dignetur altissimus ad regimen ecclesie sue sancte per tempora longiora.

S. eiusdem deuoti oratores vestri capitulum ecclesie titulensis.

Ex exemplo synchrono in tabular. convent. fratr. minor. della Nova Neapolit.

DCCXCII. 1440, 7 Martii, Ragusii.

Commune ragusinum Elisabeth reginae Hungariae ad requisitionem ipsius, ut Ragusini „castrum Olmis ad manus suas recipiant", refert, quod „vaivoda Stephanus, nepos olim Sandalii, cum potenti et immenso exercitu, tam suorum quam vicinorum eius, qui in favorem eius asistunt, ipsum castrum Olmis personaliter obsessum teneat".

Gelcich: Diplomatarium p. 428—30. In simili bano Matheo de Tallovcz.

DCCXCIII. 1440, 7 Maii, Novii in Dračevica.

Stephanus, Bosnae magnus vojevoda, et filii Vladisav et Vlatko, scripto confirmant se accepisse a Ragusinis omnem pecuniam apud eos depositam, praeter XII millia aureorum Scripsit c. Vukman Jugović.

Dr. *Fr. Miklošić:* Monum. serbica, p. 403.

DCCXCIV. 1440, 9 Maii, Florentiae.

Eugenius PP. IV. dato Brevi ad Dionysium, cardinalem s. Cyriaci in Thermis, et episcopos varadiensem et „vachiensem" concedit, ut a

fratribus vicariae Bosnae loco combustorum et derelictorum domorum... decem alia loca intra regnum Ungarie et partes huiusmodi construi et edificari ac per religiosos de observantia vicariatus . . . sub obedientia... vicarii vicariatus Bosne . . . recipi" possent.

Inter cetera cordis . . . Dat. Florentie anno incarnationis dominice MCCCCXL septimo idus Maii, an. X.

Regn. origin. an. II, libr. I.fol. 3. *Wadding*: Annal. minor. tom. XI, p. 390. *Theiner*: Monum. Hung. tom. II, p. 221.

DCCXCV. 1440, 30 Julii, Florentiae.

Eugenius PP. IV. universos praelatos ecclesiae, viros nobiles, comites, marchiones, barones et reges hortatur, ut „fratres ordinis minorum de observantia nuncupatorum, vicarie Bosne, deputandos per fratrem Dyonisium de Wylak et fratrem Joannem de Waya, vicarium Bosne, ad regna Scithie et aliarum partium quarumcunque nationum circumstantium", ubique iuvent, „permittentes ipsos in . . . accessu, transitu et discessu cum eorum libris, pannis et rebus omnibus libere transire . ."

Cum ob salutem fidelium . . . Dat. Florentie MCCCCXL. III kal. Augusti, an. X.

Exemplum in tabulario conventus Gyöngyösien. ord. minor. provinciae ss. Salvatoris in Hungaria.

DCCXCVI. 1440, 13 Septembris, Venetiis.

Respondetur oratoribus magni vojvodae bosnensis Stephani: non posse ipsi dari auxilium contra comitem „Maticonem" (Talovec), quum loca, quae ipse tenet, sint „corone Hungarie"; dominium vero venetum sit „in treuguis cum corona Hungarie" — porro non posse illi dari civitatem Catari, quia ipsius civibus promissum est, „quod nullo unquam tempore ipsos alienaremus a dominio et protectione nostra" — quando dominium mittet oratorem „ad Teucrum", libenter ipsi recommendabit Stephanum — non posse concedi Stephano Maramonte „salvum conductum", quia ipse, dum esset in Lombardia in servitiis venetis, contra dominium „attentavit" — rebelles Stephani vojvodae „de terris Dalmatie et Albanie" pellendos, si nomina ipsorum in scripto tradantur.

Ljubić: Listine IX, 122—3.

DCCXCVII. 1441, 10 Aprilis, Borač.

Radosav Pavlović, vojevoda Bosnae, Ragusinis in sua terra libertatem mercandi concedit. Scripsit diac. Ivan.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monum. serbica, p. 405.

DCCXCVIII. 1441, 19 Aprilis, Ragusii.

Sigismundus de Goze, orator banorum Matthaei et Petri Tallovez, hisce refert, Ragusinos acceptare oblatum ipsis contra vojvodam Stephanum subsidium, dum eodem indigebunt; item cum gratitudine eosdem

percepisse, quod praefati bani non acceptaverint foedus ipsis a vojvoda Stephano per oratores oblatum.

Gelcich: Diplomatarium, p. 432—4.

DCCXCIX. 1441, 25 Julii, Ragusii.

Commune ragusinum „Petro de Tallovcz" scribit, quod vojvoda Stephanus ipse „bellum palam indicaverit, asserens se ex speciali mandato magni domini sui Teucrorum imperatoris" brevi Ragusinos invasurum. Unde petit subsidium; item ut in casu pacis cum Stephano ineundae, hocce Ragusinis notum reddat.

Gelcich: Diplomatarium p. 435—6.

DCCC. 1441, 28 Octobris, Venetiis.

Capitaneo Scutari iniungitur, ut cum certo equitum numero conferat se Buduam, Antibarum et alia loca Albaniae, quae erant quondam despoti Rassiae Stephani, quaeve comes Stephanus occupare praetendit, iamque cointelligenter cum Jurašević Zentam superiorem ingressus est, illorumque cives ad constantiam hortetur, adeatque dictum comitem, ipsumque permoveat, ut „desistat a novitatibus eis inferrendis". „Si vero idem comes Stephanus se excusaret", declaret illi, quod dominium venetum non sit a pactis cum dicto despoto recessurum, unde et auxilium illis civitatibus et locis praestiturum.

Ljubić: Listine IX, p. 147—8. Simili ratione scriptum est 2 Novembris e. a. Ibid. 149—151.

DCCCI. 1442, 3 Julii, Florentiae.

Eugenius PP. IV. „fr. Nicolao de Tragurio, guardiano domus s. Hieronymi de Uglano, jaderen. dioecesis", permittit recipere „quoddam eremitorium extra et prope muros jaderenses consistens", quod „Theodorus de Brandino de Vicentia laicus" cum parva ecclesia . . . aedificari fecit sub „sanctae crucis vocabulo".

Sacrae religionis . . . Dat. Florentiae an. etc. MCCCCXLII. v. nonas Julii an. XII.

Ex libr. I de regularib. an. 12, fol. 150. *Wadding*: Annal. minor. tom. XI p. 428.

DCCCII. 1442, 14 Aprilis, Ragusii.

Commune ragusinum fidem facit de accepto per comitem Georgium Ratković regis Bosnae Tvrtkonis Tvrtković deposito.

Pucić: Споменици српски, p. 104—5. Item p. 106—8.

DCCCIII. 1442, 1 Julii, Florentiae.

Eugenius PP. IV. fr. Dionysium ab Ilok et eius socios in Moldaviam et vicinas regiones ituros primoribus ecclesiasticis et saecularibus commendat, eisque necessarias facultates et gratias concedit.

Eugenius episcopus servus servorum Dei. Universis et singulis venerabilibus fratribus patriarchis, archi-episcopis et episcopis, ac dilectis

*

filiis electis abbatibus, prioribus, archi-presbyteris et aliis ecclesiarum praelatis, eorumque vicesgerentibus, ac capitulis et conventibus et aliis personis ecclesiasticis, cisterciensibus, cluniacensibus, praemonstratensibus, sanctorum Benedicti et Augustini, ac aliorum quorumcumque ordinum, nec non magistris et praeceptoribus ac fratribus hospitalis sancti Joannis Jerosolymitani et beatae Mariae Theotonicorum, dilectis quoque filiis nobilibus viris, marchionibus, comitibus et baronibus, ac aliis nobilibus potentibus, insuper capitaneis, actoribus, consulibus, antianis, populis, communitatibus et universitatibus civitatum, castrorum et aliorum locorum, ac universis et singulis Christi fidelibus, ad quos praesentes advenerint, salutem et apostolicam benedictionem. Cum ob salutem fidelium Christianorum et conversionem infidelium, haereticorum et schismaticorum et aliarum nationum, quae sanctum nomen domini et fidei catholicae veritatem non agnoscunt, dilectum filium fratrem Dyonisium de Wylak ordinis minorum commissarium nostrum cum multis fratribus, suis sociis, ordinis minorum ad partes Scithiae et Moldaviae ac alia loca praesentialiter transmittamus, nos cupientes eos, et quemlibet eorum in locis, civitatibus et terris, ubi fructum in ecclesia Dei affere posse cognoverint, verbum Dei praedicare, domos seu monasteria erigere et alia, quae pro honore Dei, religionis observantia et fidei christianae augmento necessaria et oportuna erunt facere posse: universitati vestrae et vestrum singulis stricte mandamus, quatenus praedictos fratres simul et divisim prout ipsi deliberaverint in civitatibus, terris et locis vestris, et quae gubernatis, benigne acceptantes, et morari aut transire praedicationi etiam Dominici verbi cum voluerint insistere, monasteria erigere, et alia quae ipsi volent laudabilia opera facere permittentes auxilia, favores et patrocinia eis praestetis, quemadmodum ab eisdem eritis requisiti, nihilominus permittentes ipsos in ejusmodi accensu, transitu et discessu cum eorum libris, pannis et rebus omnibus libere pertransire et de passagio tuto navigiis oportunis et gindis ac scorta eis providentes, si opus fuerit, et ipsi duxerint requirendum vos taliter in praemissis gerentes, quae praeter aeterna beatitudinis praemia, quae huiusmodi bonorum operum fautores consequantur, nostram etiam benedictionem et sedis apostolicae gratiam mereamini. Datum Florentiae anno incarnationis dominicae millesimo, quadringentesimo, quadragesimo secundo, kalendis Julii, pontificatus nostri anno duodecimo.

Ex exemplo in tabular. prov. ss. Salvatoris fratr. minor. Gyöngyösien.

DCCCIV. 1442, 15 Augusti.

Comes Vladislaus, filius Stephani ducis, societatem et amicitiam cum Ragusio init, župam Konavlje se restituturum et rempublicam contra quoscunque defensurum esse promittit.

Kukuljević: Izvadci listina . . . bosanskih in Arkiv. II, Razd. I, p. 26. *P. Karano-Tvrtković*: Srbski spomenici, p. 232.

DCCCV. 1442, 17 Septembris, Venetiis.

Ad requisitionem Stephani, magni vojvodae Bosnae, conceditur salvus conductus eius oratoribus.

Ljubić: Listine IX, 164. Deciso 8 Octobris salvus conductus suspenditur »usque per totum Octobrem, quia posset esse contrarius impresie comitis Stephani vayvodae Scutari«. Ibid. p. 165.

DCCCVI. 1442, 17 Septembris, Venetiis.

Marco Geno provisori in Albania, „quoniam complevit suos quatuor menses et comes Stephanus vajvoda Bosinae, cum quo praticare dedebat, non est in illis partibus, nec rediturus est hoc anno", immo petiit salvum conductum pro suis Venetias mittendis oratoribus, conceditur licentia redeundi Venetias. Comiti Catari committitur, ut contendat Stefanizzam Jurašević dominio veneto devincire, ipsi etiam de introitibus Zente usque 600 hypperp. annue et capitaneatum tempore belli promittendo.

Ljubić: Listine IX, 164—5.

DCCCVII. 1442, 29 Septembris, in monte Bujak ex adverso castello Bujak.

Ivaniš, filius vojevodae Radosav, nepos Pauli Radenović, privilegia Ragusinis olim concessa approbat. Jurant: c. Ostoja Borovinić, c. Žarko Diničić, c. Radoe Radosavi Vladimirić, vojvoda Vukašin Zbisalić, c. Sanko Gaočić, c. Pavkun Zemlić, c. Vučihna Radosavi Vukomirić, c. Pavao Latičić, c. Ružner Divčić, c. Radić Stephani Čipčić in locum Radosavi Vukomirić comes Radoe Capić et in locum Radoje Radosavi Vladimirić comes Juraj.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monum. serbica, p. 411.

DCCCVIII. 1442, 25 Novembris, Gorčane.

Helenae, viduae vojevodae Sandal, testamentum, quo haeredes instituit vojvodam Stephanum, eiusque uxorem Helenam, filiosque Vladislaum et Vlatkum, dominam Catharinam, neptemque Theodoram, et sororem Despinam. Scripsit p. Nikander Hierosolim.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monumenta serbica, p. 415.

DCCCIX. 1442, 10 Decembris, Ragusii.

Comes, nobiles et totum commune Ragusii Theodorae, coniugi Radosavi Pavlović, promittunt se eam in urbem recepturos et depositum accepturos esse et servaturos.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monum. serbica, p. 418.

DCCCX. 1442, 10 Decembris, Ragusii.

Comes, nobiles et totum commune Ragusii cum filiis Radosavi Pavlović, vojevoda Ivaniš et comitibus Petro et Nicolao, amicitiam renovant, et antiqua privilegiorum pacta confirmant. Inscripsit logotheta Nicolaus Zvezdić.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monum. serbica, p. 420.

DCCCXI. 1443, 8 Januarii, Venetiis.

Comiti et capitanio Scutari iniungitur, ut cum comite Stephano vaivoda Bossine, „qui hostiliter iverat cum exercitu suo prope Scutari ad tria milliaria" et inducias inierat, sed eas iterum fregerat, quum dominium

nollet sese in bellum implicare, „faciat bonam pacem“ sub conditionibus, ut Stephanus retineat Antibarim, sed ut Drivastum, omnes partes Zente et Pastrovichii remaneant sub dominio Venetorum; item ut „bastite de novo per comitem Stephanum in illis partibus fabricatae“ dirruantur.

Ljubić: Listine, IX, 167—8.

DCCCXII. 1443, 1 Aprilis, in Ključ.

Stephanus, magnus Bosnae vojevoda, uxor eius Helena et filius Vladislav, ea, quae Helena, Sandal vojevodae uxor, iis reliquerat, se accepisse testantur. Scripsit diac. Vukša.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monumenta serbica, p. 425. — *Pucić*: Споменици српски, p. 102—4.

DCCCXIII. 1443, 10 Maii, Venetiis.

Scribitur „imperatori Turchorum“, ut „Stephano vaivodae, subdito vestre serenitatis“, prohibeat terras et loca veneta partium Albaniae molestare.

Ljubić: Listine IX, p. 170.

DCCCXIV. 1443, 17 Maii, Venetiis.

Antonio Diedo capitaneo Culfi committitur, ut ipse „per mare“ et rector Scutari „cum gentibus per terram“, si fieri potest, „civitatem Antibarim ad obedientiam dominii“ veneti reducant; secus, si „comes Stephanus, vaivoda Bossine, descendisset in Zentam ita potens“, ut pugna sine periculo tentari non posset, pacem cum eo ineat. Si nec hoc fieri posset, curent occupari „castellum Dalmisse aut Narentae, loca comitis Stephani.“

Ljubić: Listine, IX, p. 170—2.

DCCCXV. 1443, 25 Maii, Venetiis.

Oratores comitis Stephani vajvodae Bosnae „expediantur“, quia „venerunt solummodo cum verbis absque facultate seu libertate possendi venire ad compositionem seu concordium“.

Ljubić: Listine, IX, 174.

DCCCXVI. 1443, 31 Maii, Venetiis.

Capitaneo Culfi Antonio Diedo iniungitur, ut, quum comes Stephanus occupatus sit in Bosna, civitatem Antibarim subiiciat; tum inde discedat, „et ad damna terrarum et locorum a parte maris, que obediunt comiti Stephano“, invigilet. Item „bastitam“, quam Stephanus prope Catharum aedificavit „obviando murlachis, ne veniant ad civitatem“, dirruere procurret.

Ljubić: Listine IX, p. 174—5.

DCCCXVII. 1443, 22 Junii, Sutiska.

Stephanus Tvrtko Tvrtković, rex Bosnae, duos viros, Maroje Rastić et eius filium Mihoč, mittit, qui depositam via comitis Georgii Ratković et camerarii c. Restoe apud Ragusinos pecuniam repeterent.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monum. serbica, p. 426.

DCCCXVIII. 1443, 1 Julii, Venetiis.

Capitaneo Culfi Antonio Diedo committitur, ut cum castellum civitatis Antibari ad obedientiam dominii veneti reductum sit, et comes Stephanus per oratores suos inducias offerat, ipse autem „ab illis partibus Albanie sese absentet", „pacem vel treugam honoratam „saltem per annum unum" faciat.

Ljubić: Listine, IX, 175. Ob tractatum pacis cum comite Stephano non acceptatur »liga«, quam comes »Mathico« Venetis per oratores contra Stephanum obtulit. Ibid. p. 176.

DCCCXIX. 1443, 7 Octobris, Ragusii.

Commune ragusinum oratoribus suis ad regem Vladislavum, Nicolae Marini de Caboga, Blasio de Ragnina et Aloysio de Restis committit inter caetera, ut regem orent, quo Ragusinos et illorum mercatores per litteras commendet regi Bosnae, vojvodae Stephano et vojvodae Ivaniš Pavlović.

Gelcich: Diplomatarium, p. 443.

DCCCXX. 1443, 20 Decembris, Venetiis.

Marco Geno comiti et Georgio Lauredano capitaneo Jaderae iniungitur, ut regi Bossine, qui „per suas litteras nunciavit promotionem suam ad regna patrui sui", commendent, quo subditos ad terras dominii veneti venientes protegat, sicut „tempore quondam serenissimi patrui sui".

Ljubić: Listine, IX, p. 178. Praefati de hoc reipublicae mandato certum reddunt regem »Stefanum Tomam« litteris 21 Januarii 1444. Ibid. p. 179.

DCCCXXI. 1444, 23 Januarii, Romae.

Eugenius PP. IV. fratrem Fabianum „de Bachia" vicarium et „illius successores" vicariae Bosnen. vicarios, in Hungariae, Bosnae, Moldaviae, Bulgariae, Rasciae, Slavoniae regnis „inquisitorem et inquisitores heretice pravitatis perpetuo" facit, constituit et deputat.

Super gregem . . . Dat. Rome apud s. Petrum etc. an. MCCCCXLIV, decimo kal. Februarii, an. XIV.

Ex reg. orig. an. XIV de curia libr. XVII, fol. 281. *Theiner*: Monum. Hung. tom. II, p. 223.

DCCCXXII. 1444, 24 Januarii, Romae.

Eugenius PP. IV. fratres minores Hungariae, qui se propria auctoritate a vicaria Bosnensi separantes, fr. Fabianum a Bachia sibi in vicarium elegerant, iterum cum ceteris Bosnensibus unit, et sic unitae vica-

riae et in pristina iura et privilegia sua restitutae, fr. Fabianum praedictum in vicarium iam electum confirmat.

Et si ex debito . . Dat. Romae apud s. Petrum an. etc. MCCCCXLIV. IX kal. Februarii an. XIV.

Ex archivio secreto libr. 22 fol. 273. *Wadding*: Annal. minor. tom. XI, p. 473. *Theiner*: Monum. Hung. tom. II, p. 225.

DCCCXXIII. 1444, 31 Januarii, Romae.

Eugenius PP. IV. concedit vicario Bosnae et omnibus ab illo deputandis, ut in partibus, ad quas se vicaria extendit, professionem per fratres et sorores tertii ordinis s. Francisci emitti solitam recipere, et ad illam emittendam admittere, ipsos tertiarios visitare et regere possint.

Exposcit dilectorum . . . Dat. apud s. Petrum anno etc. MCCCCXLIV. pridie kal. Februarii, an. XIV.

Ex reg. orig. an. XIV. de curia libr. XVII, fol. 284. *Wadding*: Annal. minor. tom. XI, p. 473. *Theiner*: Monum. Hung. tom. II, p. 226.

DCCCXXIV. 1444, 8 Februarii, Hlevno.

Stephanus Thomas, rex Bosnae, notum facit, a se mandatum fuisse datum Georgio vectigalium magistro in Narenta, ut pro portorio salis requirat quinque ducatos per centenarium.

Ljubić: Listine IX, 180.

DCCCXXV. 1444, 11 Februarii, Venetiis.

Comiti Franco Talovec scribitur, comitem venetum Spalati occupasse Polizam et Dalmissam, quae tenebantur „per comitem Stephanum notorium hostem"; sed quum Franco asserat „ea loca de iurisdictione banatus sui Crouacie esse, et illa dicat per comitem Stephanum indebite fuisse occupata", provocatur, ut mittat nuncium Venetias, „qui declaret iura sua".

Ljubić: Listine IX, p. 181.

DCCCXXVI. 1444, 16 Februarii, Romae.

Eugenius PP. IV. fratrem Fabianum a Bachia, vicarium Bosnae, ac illius successores. praefatae vicariae vicarios „in Ungarie, Bozne, Moldavie, Valachie, Bulgarie, Rascie nec non Slavonie et singulis regnis . . ad que vicaria Bozne . . . se extendere dinoscitur, inquisitorem et inquisitores heretice pravitatis perpetuo" facit et deputat, regesque, principes ac praelatos, ut eis auxilium praestent, hortatur.

Inter desiderabilia. . . Dat. Rome apud s. Petrum anno incarnationis dominice MCCCCXLIV. XIV. kal. Martii. an. XIV.

Ex reg. orig. an. XIV. de cur. libr. XVIII. fol. 4.

Eadem facultas dicto fr. Fabiano et fratribus vicariae Bosnae conceditur ad persequendum haereticos Hussitas in Moldavia. Super gregem. . . Dat. Romae X kal. Februarii. Sacrae religionis . . . Dat. Romae IV kal. Februar.

Wadding: Annal. minor. tom. XI, p. 203, 205, 207. *Theiner*: Monumenta Hungariae tom. II, p. 228.

DCCCXXVII. 1444, 26 Martii, Scutari.

Franciscus Quirini comes et capitaneus Scutari nomine sui ducalis veneti dominii init conventionem cum vajvoda Cernoevich, vi cuius venetum dominium se obstringit, quod nec ipsum nec ipsius terras traditurum sit Thurcis vel Bosnensibus; item quod non sit cum vajvoda Stephano Vuchach pacem initurum, donec dicti vajvodae filium non restituet.

Ljubić: Listine IX, 188.

DCCCXXVIII. 1444, 15 Aprilis, Jajce.

Stephanus Thomas, rex Bosnae, Venetis liberam in suis terris mercaturam largitur et in flumine Narenti aliisque aquis navigandi facultatem tribuit.

Ljubić: Listine, IX, 189.

DCCCXXIX. 1444, 15 Maii, Venetiis.

Oratori regis Bosnae „in iustificationem eorum, que acta sunt in accipiendo loca Polize et Dalmisse", respondetur, quod ob amicitiam inter regem et venetum dominium idem sit, ac si loca illa in manibus regis essent.

Ljubić: Listine IX, 193.

DCCCXXX. 1444, 10 Junii, in Bobovac.

Stephanus Thomas, rex Bosnae promittit, se Johanni Hunyadio, cuius intercessione thronum bosnensem adeptus est, amicum et adiutorem fidelem in omnibus necessitatibus futurum esse; insuper spondet se eidem „pro persona sua singulis annis affuturis singula tria millia florenorum auri competenti termino . . ." soluturum esse.

Datum in castro . . . Bobowacz feria quarta proxima post festum pentecostes anno domini millesimo quadringentesimo quadragesimo quarto.

Kukuljević: Arkiv knj. II, Razděl I, p. 38.

DCCCXXXI. 1444, 3 Septembris, Romae.

Eugenius PP. IV. ad rectorem parochialis ecclesiae in Glanesk in Prussia scribit, „regem Bosnae ad bonam frugem christianae fidei" rediisse.

Dat. Romae apud s. Petrum an. 1444. III nonas Septembris... an. XIV.

Assemani Kalendaria eccles. univ. tom. V, p. 81.

DCCCXXXII. 1444, 3 Septembris, Kreševo.

Stephanus Thomas rex Bosnae, Ostojae regis filius, omnia privilegia Ragusio a suis praedecessoribus concessa confirmat. Testes: voevoda Ivaniš Pavlović, voevoda Tvrtko Stančić, voevoda Vladisav Klešić, voevoda Sladoe Semković, voevoda Petrus Pauli Jurjević, com. Juraj Dragičević, com. Vukić Vlatković, c. Ostoja Stipoević, pristav aulicus com. Stipan Vlatković, regni protovestiarius comes Restoe, qui et scripsit.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monum. serbica, p. 427.

DCCCXXXIII. 1445, 23 Januarii, Romae.

Eugenius PP. IV. vicarios ordinis minor. in Bosnia constituit inquisitores haereticae pravitatis, et alios conventus eisdem subiicit.

Eugenius episcopus etc. ad perpetuam rei memoriam. Super gregem dominicum nostre cure providentia divina commissum sedulo vigilantes, illis potissimum juxta pastoralis officii debitum occurrere volumus, per que grex ipse scandalizatur a fide, sine qua nemo proficit ad salutem, eaque de medio tollere et illorum fluxum pestiferum restringere, ne virus insanabile ac perpetuum inferant nocumentum. Cum itaque, sicut ad nostrum non sine displicentia grandi pervenit auditum, quod ad presens in regno Moldavie heretice pravitatis, et presertim cujusdam secte abominabilis Hussitarum nuncupate, satore malorum operum id procurante, numerosa personarum multitudo consistat, que non modo regnicolarum, verum etiam ab ipso regno distantium et precipue non paucorum regni Ungarie incolarum animas sui perversi dogmatis veneno pestifero infecerunt, ac in dies per amplius inficere omni studio satagant, et convenientius timeatur, quod nisi quantocius eorum perniciosis ausibus oportune non providebitur, etiam ad ceteras fidelium partes transeuntes et mortiferum venenum sue erronee doctrine effundentes, quamplurimos inficiant in suorum et plurimorum aliorum evidens animarum periculum, dispendium quoque perniciosissimum pariter et exemplum. Nos igitur super hiis, quantum nobis ex alto permittitur, totis providere viribus intenti et firmam super eo, quod hactenus dilecti filii ordinis minorum professores de observantia nuncupati et precipue vicarie Bosne, qui, ut celebris famaque publica insinuat, se murum facientes pro domo domini et orthodoxe propagatione fidei, ad confundendas eliminandasque hujusmodi heresum superstitiones opem et operam efficaces solertius adhibere, quantum in eis fuit, studuerunt et student, prout tante rei necessitas exigit, in convincendis eliminandisque dictis erroribus suas impertiri partes debeant, fiduciam in domino, ut congruit, acceptantes, motu proprio, non ad dilectorum filiorum Fabiani de Bachia vicarii et fratrum dicti vicariatus vel alterius pro eis nobis super hoc oblate petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione, et ex certa scientia, auctoritate apostolica tenore presentium prefatum Fabianum, quem, sicut fide dignorum testimonio accepimus, religionis et fidei sinceritate ac maturitate morum, nec non litterarum scientia aliarumque virtutum donis raris largitor dominus insignavit, et illius successores, qui pro tempore erunt, prefate vicarie vicarios in Ungarie et Bosne predictis ac Moldavie, Valachie, Bulgarie, Rascie, nec non Sclavoniae ac omnibus et singulis aliis regnis seu partibus, ad que seu quas vicaria hujusmodi se extendere dinoscitur, inquisitorem et inquisitores heretice pravitatis perpetuo facimus, constituimus et etiam deputamus, eis per apostolica scripta mandantes, et in remissionem peccaminum suorum iniungentes, quatenus hujusmodi inquisitionis officium per nos ipsorum impositum humeris, omnibus odio, timore, favore pariter et amore postpositis, sic fideliter et feliciter eorum quisque exequatur, ut per ipsorum sollicitudinis operam zizaniis perniciosi germinis e medio tritici extirpatis, heretice scilicet pravitatis venenosis dogmatibus propulsatis in regnis seu partibus predictis fidei sinceritas vigeat, divinus cultus

augeatur, et populus christianus in dei cognitione ac sue salutis acquisitione non decrescat, ipsique Fabianus et vicarii domino virtutum placidi, nobisque ac dicte sedi nec non successoribus nostris romanis pontificibus reddantur gratiosi, processuri in hujusmodi inquisitionis negotio tam secundum indulgentias et privilegia inquisitoribus pravitatis ejusdem a prefata sede deputatis, seu officia inquisitionis hujusmodi ab eadem sede habentibus concessa, quam etiam secundum canonicas sanctiones. Verum ne ex inquisitionis officio hujusmodi, pacis emulo procurante, inter diocesanos ordinariosque locorum ex una, et Fabianum ac vicarios ex altera partibus dissensiones et scandala suscitentur, volumus et motu, deliberatione, scientia et auctoritate predictis decernimus, quod in prefato inquisitionis officio juris ordo de hujusmodi inquisitione conditus per Fabianum et vicarios predictos perpetuo conservetur; ita tamen, quod si diocesani et ordinarii, vel vacantibus sedibus capitula seu collegia aliqua, se de ipso officio intromittere nollent, vel negligenter quomodolibet se haberent, seu ubi catholicorum episcoporum copia pro tempore non erit aut haberi non poterit ad hniusmodi officium exequendum, dicti Fabianus et vicarii pro tempore officium predictum per se ipsos valeant exercere. Et insuper Fabiano et vicariis pro tempore predictis etiam contra notorios incantatores et notorias incantatrices, et in regno Moldavie episcopis aliisque ordinariis locorum irrequisitis, auctoritate nostra officium inquisitionis hujusmodi exercendi, nec non in omnibus et singulis regnis ac partibus, ad que seu quas vicaria hujusmodi se extendet, antedictis, quotienscunque sibi oportunum videbitur, perpetuo eorum nomine unum vel duos aut tres, seu tot quot pro hujusmodi officii necessitate oportuni videbuntur, idoneos fratres, de consilio tamen aliquorum discretorum fratrum ordinis et vicarie predictorum, qui eisdem et prorsus similibus auctoritate et potestate fungantur, substituendi, sicque substitutos ad ipsorum nutum revocandi plenam et liberam tenore presentium licentiam concedimus pariter et facultatem; ita tamen quod tam Fabianus et vicarii, quam substituti pro tempore predicti de hiis, que in hujusmodi inquisitionis officio secularia concernunt judicia, se intromittere aut eis quoquomodo immiscere nullatenus praesumant. Preterea universos et singulos carissimos in Christo filios nostros reges, ac venerabiles fratres nostros archiepiscopos, episcopos et dilectos filios principes, duces, comites, palatinos, voyvodas, barones, milites, nobiles, communitates et ceteros quoscunque Christi fideles ecclesiasticos et seculares in prefatis regnis seu partibus et alias ubilibet commorantes, cujuscunque status, gradus, ordinis vel conditionis fuerint, obsecramus in domino et per aspersionem sanguinis domini nostri Jesu Christi exhortamur, eisque in remissionem peccatorum suorum injungimus, quatenus dum pro parte Fabiani, vicariorum et substituendorum predictorum, vel alicujus eorum parte fuerint requisiti, ipsis in exercendo inquisitionis officio hujusmodi assistentes, eis auxilium et favorem prestent oportuna, nec per se vel alium seu alios sub excommunicationis pena, quam secus facientes ipso facto incurrere volumus, et a qua nonnisi in mortis articulo constituti per alium quam romanum pontificem, aut Fabianum vel vicarios seu substitutos prefatos vel eorum aliquem, absolvi queant, dictos Fabianum, vicarios et substitutos prefatos vel eorum aliquem seu aliquos, quominus officium hujusmodi libere exer-

cere possint et exerceant, per se vel alium seu alios directe vel indirecte quovis quesito colore molestare, perturbare, aut quomodolibet impedire presumant. Nos enim, qui dudum voluimus, quod littere non expedirentur super indulgentiis ad instar nisi specificarentur, ut reges, archiepiscopi, episcopi, principes, duces, comites, palatini, voyvode, barones, milites, nobiles, communitates ac ceteri Christi fideles, qui Fabiano, vicariis et substitutis predictis in exercendo inquisitionis officio hujusmodi eo promptius auxilium, consilium et favorem prestent, quo se ex hoc dono celestis gratie refectos fore conspexerint, omnibus vere penitentibus et confessis, qui auxilium, consilium vel favorem ipsis Fabiano, vicariis et substituendis pro tempore in hujusmodi exercendo officio prestiterint, auctoritate apostolica tenore presentium concedimus, quod illas et prorsus similes peccatorum suorum remissionum ac relaxationum indulgentias consequantur, que alias in subsidium seu defensionem terre sancte auxilium, consilium et favorem prestantibus hactenus per sedem apostolicam concessae fuerunt. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non voluntate predicta ac statutis et consuetudinibus dicti ordinis, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque et exemptionibus, indulgentiis, litteris apostolicis generalibus vel specialibus, quibusvis personis ecclesiasticis vel secularibus etiam ordinum quorumcunque per sedem apostolicam, vel alias sub quibuslibet verborum formis concessis, quorumcunque tenorum existant, per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus presentium impediri valeat quomodolibet vel differri, que eisdem personis quoad premissa volumus suffragari. Ceterum quia difficile foret hujusmodi nostras litteras ad singula loca deferre, volumus et eadem auctoritate decernimus, quod ipsarum transumpto manu publica vel signo alicujus episcopalis aut superioris ecclesiastice curie munito tanquam prefatis nostris, si originales exhiberentur, litteris plena fides in judicio et extra adhibeatur, et perinde stetur ac si dicte originales littere forent exhibite vel ostense. Nulli ergo etc. Datum Rome apud s. Petrum anno etc. millesimo quadringentesimo quadragesimo quarto[1] decimo kal. Februarii, anno quarto decimo.

Annal. minor. tom. XI, p. 205. *Theiner:* Monum. Hung. tom. II, p. 223.

DCCCXXXIV. 1445, 24 Januarii, Romae.

Eugenius PP. IV. divisionem inter Hungaros et inter Slavos vicariae Bosnen. ordin. minorum factam revocat.

Eugenius episcopus etc. ad futuram rei memoriam. Etsi ex debito sollicitudinis pastoralis quibuslibet religiosis personis esse non deceat in suis oportunitatibus favorabiles et benignos, tamen fratres ordinis minorum, presertim sub ipsius regulari observantia degentes, ferventioris spiritus ardore succensos, qui non timentes, sed amantes barbaras nationes, ad illarum conversionem pergunt intrepidi, ut valeant ad arcam domini-

[1] Hic annus Eugenio pontifici est annus incarnationis 1444. qui incipiebat 25 Martii, quem tenuit et P. Wadding; Theiner eum reduxit ad annum vulgarem, qui est 1445, et 14 pontificatus Eugeniani quem nos pariter recipiendum duximus.

cam multos afferre manipulos et de talentis eis creditis bonam domino reddere rationem, affectuosiori studio confovere tenemur, ut in eorum sanctis operibus, per que fides catholica pullulat et sonus eorum in omnem terram dulciter intonat, nil eos impediat, nil perturbet, sed nostre sollicitudinis studio, ab eis quorumvis commotionum, scandalorum, divisionumque submotis turbinibus, placita quietis dulcitudine gratulentur. Cum itaque jam per centum annos et ultra ejusdem ordinis fratres de observantia nuncupati adeo omnipotenti deo in partibus Bozne, Ungarie, Crohacie, Dalmatie, Bulgarie et Rascie ceterisque finibus orientalibus et aquillonariis seu australibus gratum suum exhibuerint famulatum ad lucrificandas animas Christi sanguine redemptas, quin imo odor bonorum operum eorumdem per orbem diffusus multas fidelium mentes celica suavitate repleverit, devotione pariter et affectione sanctimonie spiritualis, sed heu proh dolor a paucis admodum temporibus, satore zizanie procurante, quedam exorta gravis et jam nobis ad audientiam relata est discordia inter fratres Hungaros ex una, et Boznenses ceterosque Sclavos citra flumen Zave residentes ex altera partibus, quod ad divisionem venerint vicariarum ordinis prelibati in tantum, quod Ungari elegerunt sibi vicarium pro se ipsis et Boznenses ac Sclavi alium sibi elegerunt e converso. Nos igitur attendentes, quod unio incrementum, divisio, ut plurimum, detrimentum solet afferre, compendii salutaris motu proprio, non ad ipsorum fratrum vel alicujus pro eis nobis super hoc oblate petitionis instantiam; sed de nostra mera deliberatione, ex certa scientia auctoritate apostolica tenore presentium predictas divisionem, scissuram et separationem per quoscunque quavis auctoritate preditos et quomodocunque in dicta vicaria factas, procuratas vel intemptatas, nec non quecumque inde secuta revocamus, cassamus, irritamus et etiam annullamus, nulliusque roboris vel momenti fore decernimus, volumus et mandamus, ac vicariam ipsam Bozne predictam illiusque fratres predictos, quoad domus et loca citra et ultra flumen Zave ubicunque trans mare Adriaticum consistentes, nec non omnia et singula privilegia, exemptiones, gratias, indulta, immunitates et jura in eodem statu, in quo, antequam divisiones ac separationes fierent, erant, quomodolibet emanata restituimus, reponimus et reintegramus: propterea motu, scientia, auctoritate et tenore predictis volumus, statuimus et ordinamus, quod deinceps perpetuis futuris temporibus omnia et singula domus atque loca tam in Bozne quam aliis provinciis sive regnis consistentia predicta, que omnia vicarie Bozne vocari et nominari precipimus, per unum vicarium regi decernimus; cujus electio ad fratres hujus vicarie, ipsius vero electionis confirmatio ad generalem ministrum prefati ordinis pro tempore existentem spectent et pertineant; quique vicarius sic electus etiam ante confirmationem vicariatus hujusmodi officium libere exercere valeat, ac vicario cismontano pro tempore existenti subsit, pareat et intendat, cujus auctoritate predicti fratres vicarie ejusdem regantur et gubernentur; quodque si minister generalis predictus prefatam hujusmodi electionem, postquam illa sibi fuerit presentata, infra triduum forsan recusaverit aut distulerit confirmare, dicta electio eo ipso auctoritate apostolica confirmata sit et esse censeatur; ac sic in vicarium electus absque alia confirmatione officium vicariatus hujusmodi libere et licite valeat exercere; confir-

mantes preterea harum serie electionem celebratam per dilectos filios ejusdem ordinis professores regni Ungarie in persona dilecti filii Fabiani de Bachia, dicti ordinis professoris, in tota et integra vicaria prelibata usque ad proximum futurum capitulum in eadem vicaria equanimiter celebrandum, districtius inhibentes eidem generali ministro et prefatis ac aliis fratribus dicti ordinis, nec non universis et singulis Christifidelibus utriusque sexus, ecclesiasticis etiam regularibus ordinum quorumcunque exemptis et non exemptis, ac laicalibus cujuscumque etiam dignitatis, status, gradus, ordinis, conditionis vel preeminentie, etiam regalis, reginalis, pontificalis, ducalis aut cujuslibet alterius ecclesiastice vel mundane fuerint, ne contra restitutionem, repositionem, reintegrationem, voluntatem, statutum et ordinationem ac omnia alia et singula in presentibus nostris litteris contenta, per se vel alium seu aliquid attemptare presumant, ac decernentes illos ex ipsis generali ministro, fratribus et fidelibus, qui separationem fecerint, ut prefertur, excommunicationis sententie, a qua nisi a romano pontifice, preterquam in mortis articulo constituti, absolutionis beneficium obtinere nequeant, subiacere eo ipso, ac ex nunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam, quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Non obstantibus quibuscunque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non statutis et consuetudinibus dicti ordinis, juramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indulgentiis et litteris apostolicis generalibus vel specialibus, quorumcunque tenorum existant, per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque tenoribus specialis et expressa ac de verbo ad verbum mentio habenda sit, ceterisque gratiis quibuscumque, quibus omnibus et singulis, illis alias in suo robore permansuris, quoad presentes et in eis contenta derogari intendimus et expresse derogamus. Volumus autem, quod per quascumque litteras apostolicas dicto generali ministro seu aliis sub quibusvis verborum formis quomodolibet concessas, vel imposterum concedendas presentes littere et in eis contenta hujusmodi nullatenus intelligantur revocata. Nulli ergo etc. nostre revocationis, cassationis, irritationis, annullationis, constitutionis, mandati, restitutionis, repositionis, reintegrationis statuti, ordinationis, precepti, decreti, confirmationis, inhibitionis, intentionis, deregationis et voluntatis infringere etc. Si quis etc. Datum Rome apud sanctum Petrum anno etc. millesimo quadringentesimo quadragesimo quarto, nono kal. Februarii pontificatus nostri anno quartodecimo.

Wadding: Annal. minor. tom. XI, 473. *Theiner:* Monum. Hung. tom. II, p. 225.

DCCCXXXV. 1445, 1 Februarii, Romae.

Eugenius PP. IV. confirmat gratias et privilegia quondam fr. Dionysio ab Ilok concessa, annuitque, ut iidem fratres vicariae Bosnae possint acceptare monasteria in Moldavia, Transilvania et in Hungaria, quae ipsis cardinalis Julianus assignaverat.

Eugenius episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis vicario et fratribus vicarie Bozne nuncupatis ordinis minorum presentibus et futuris salutem et apostolicam benedictionem.

Sacre religionis, sub qua mundanis abiectis illecebris cum additione voluntarie paupertatis Domino in virtutum humilitate devotum impenditis et sedulum eciam favorem fidei catholice famulatum, merita promerentur, ut apostolica sedes vos favoribus benignis confoveat et specialibus gratiis prosequatur in illis presertim, per que fides ipsa amplietur vosque pie vite studio vobis ipsis et aliis ad animarum salutem proficere valebitis. Attendentes igitur, quod vos, presertim in partibus septemtrionalibus, honorem et propagacionem Christiani nominis diligenter ac fideliter hactenus prosecuti estis, in dies prosequimini, eciam in Scythiae partibus, in quibus paganorum multitudo consistit, ad quas partes, suffulti authoritate apostolica, pro lucrificando animas et inumerabiles populos gremio sancte romane ecclesie uniendos, dum tempus extiterit opportunum, sicut accepimus, omni postposito timore libenter intenditis, seu aliqui uestrum intendunt proficisci, et in Moldauie, in quibus tam a longis (sic) pestiferum virus schismatis, quod adhuc nonnullos illarum partium populos, qui ad romane ecclesie unitatem nuper redierunt, inficere non desinit, quam a paucis temporibus atra pravitatis heretice et potissimum Hussitarum lethifera pestis in maximum christiane fidei detrimentum quamplurima germinarunt perversa germina, que dietim, nisi desuper opportune prouideatur, abundantius succrescent, ac in septem sedilibus Siculorum partibus, in quibus licet heretice prauitatis pestis huiusmodi notorie non apparet, propter tamen ecclesiasticarum personarum cure animarum intendere debentium paucitatem nec non diocesium nimiam distanciam ab eisdem populis quasi doctrine fideique, cum ibidem pauci admodum, vel quasi nulli sint, qui illis verbum dominicum annuncient, in dies magis redduntur ignari, pro fidei huiusmodi nec non diuini cultus et religionis augmento plurimos labores et studia fructuosa impendere poteritis et libenti animo impendetis, ut eo ferventius ipsis laboribus et studiis insistere valeatis, quo vos apostolicis fauoribus et gratiis amplioribus per nos et sedem predictam noveritis circumfultos, et inherentes nonnullis gratiis et indultis per nos quondam Dionisio de Ujlak vestri ordinis professori ac in dictis Scythie, Moldauie ac septem sedilibus Siculorum partibus existentia et que in posterum erunt, nec non Bude et Pesthini ac Zegedini atque Fori Siculorum[1] et ubilibet consistent a, que venerabilis frater noster Julianus episcopus tusculanus in certis partibus dicte sedis legatus vobis assignaverat et in posterum assignabit forsan alia, conventus, domos ac loca dicti ordinis quecunque et qualiacunque sint, cum omnibus personis, priuilegiis, gratiis, indultis, iuribus et pertinentiis suis prefate vicarie in perpetuum subiicimus, unimus et incorporamus, ita quod sint unita incorporata et subiecta, ac in eis pro tempore degentes fratres omnibus et singulis exemptionibus immunitatibus, priuilegiis, indulgentiis, gratiis, indultis, in specie seu in genere per nos vel per sedem apostolicam aliis domibus et locis dicte vicarie ipsorumque fratribus hactenus quomodolibet concessi seu in posterum concedendis utantur, gaudeant ac uti et gaudere possint. Nec non dilectum filium Fabianum de Bathia ac omnes et singulos dictos vicarios dicte vicarie, qui pro tempore erunt et ab eis pro tempore substitutos, tam in subiectis, unitis et incorporatis predictis quam aliis conventibus, domibus et locis prefate vicarie, nostros et successorum nostrorum romanorum pontificum canonice intrantium, qui

pro tempore erunt, ac sedis predicte commissarios facimus, constituimus ac etiam deputamus, ipsique Fabiano, vicariis et substitutis, quod nostro et successorum nostrorum ac sedis prefate nominibus, in omnibus et singulis subiectis, unitis et incorporatis et aliis conventibus, domibus ac locis vicarie prefate eorumque personis illas prorsus et similes ac easdem in omnibus tam gratiam quam iusticiam concernentibus et aliis quibuscunque omnimodam iurisdictionem, potestatem et facultatem habeant et exercere possint, quas generalis minister dicti ordinis pro tempore existens in illis habet, et si in dictis partibus presens foret, habere et exercere posset; preterea quod Fabianus seu vicarius pro tempore, et substituti predicti ac omnes et singuli fratres in ipsis Scythie, Moldauie et septemsedilibus Siculorum partibus pro tempore commorantes omnium et singulorum fidelium et si ad christianam fidem converti voluerint, et conversi et baptizati fuerint, etiam infidelium, ad eos pro tempore undecunque confluentium, confessiones audire, et pro commissis ab eisdem etiam quantumcunque grauibus et enormibus criminibus et delictis, etiam si simonia et alias talia fuerint, propter que s. sedes ipsa merito sit consulenda, debitam absolucionem impendere et penitenciam iniungere salutarem, nec non illos a quibuscunque excommunicationis, suspensionis et interdicti et aliis ecclesiasticis sententiis, censuris et penis, tam a iure quam ab homine latis et promulgatis, etiam in dicte sedis reseruatis casibus in forma ecclesie consueta, iniunctis sibi pro modo culpe penitentia salutari, et aliis, que de iure fuerint iniungenda, absoluere, et cum eis super quibuscunque irregularitatibus, homicidii voluntarii, bigamie, et mutilacionis membrorum casibus duntaxat exceptis, dispensare, ac omnem ab ipsis inhabilitatis et infamie maculam siue notam per eos quomodolibet contractam penitus abolere, ac aliis eucharistie, baptismatis, chrismatis seu confirmationis, extreme unctionis, aliaque ecclesiastica sacramenta ministrare, apostatas a fide seu religione ad penitentiam salutarem et habitum sue religionis nec non alios ad plenariam ipsorum reconciliationem recipere et admittere, nec non alia iura parochialia eis ministrare, regere et exercere, capellas quoque et altaria, nec non calices et paramenta ecclesiastica, oleum sanctum et chrisma conficere et benedicere, ac reconciliandas ecclesias et reconcilianda cemeteria reconciliare, de matrimonialibus et aliis causis spiritualibus cognoscere illasque decidere et in illis illam prorsus iurisdictionem habere et exercere, quam diecesanus episcopus, si ibi esset, habere et exercere posset. Cum schismaticis quoque, hereticis, excommunicatis seu interdictis quibuscunque quantumcunque notoriis, nisi Fabianus et vicarius pro tempore aut substituti predicti eos vitare mandaverint, in quibuscunque eorum negociis, etiam in diuinis officiis et extra, dum tamen in crimine non participent, participare et insuper ut vestrorum bonorum operum fructus valeant peramplius propagari, quod Fabianus et vicarius pro tempore et substituti predicti non modo in dictis Scythie, Moldauie et septemsedilibus Siculorum partibus, que vicarie predicte subiecimus, annexuimus, incorporauimus, ut prefertur non modo iam constructa ad observantiam predictam reducere, sed etiam alia, conventus, domos locaque, unum, duo tria et plura ac tot, quot ipsi vicario expediens videbitur, pro vestris usu et habitacione de nouo acquirere et in eis ecclesias cum campanilibus, campanis, ceme-

teriis, dormitoriis, hortis, hortalitiis et aliis necessariis officinis fundare et construere. Preterea, quod quotienscunque confessor vel confessores, quem et quos vos vel vestrum quilibet presentes et futuri pro tempore, de dicti vicarii et inferioris superioris vestri, si eius copia commode haberi potuerit, licentia duxeritis eligendum seu eligendos, vestras et vestrum cuiuslibet confessiones audire ac pro commissis criminibus, excessibus et delictis, etiam in reseruatis predicte sedi casibus, vobis et cuilibet vestrum debitam absolutionem impendere ac iniungere penitentiam salutarem nec non vos et quemlibet vestrum a quibuscunque excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque censuris, sententiis et penis a iure seu homine promulgatis, etiam in casibus prefate sedi reseruatis, quoties similiter opportunum fuerit, absolvere, et cum vobis, ac vestrum quoquolibet super irregularitatibus, si quas huiusmodi sententiis ligati, missas et alia diuina officia, non tamen in contemptum clavium celebranda, aut immiscendo se illis seu alias quomodocunque contractis, homicidii voluntarii, mutilacionis membrorum et bigamie casibus predictis duntaxat exceptis, dispensare, omnemque a vobis et quolibet vestrum inhabilitatis et infamie maculam siue notam, per vos et quemlibet vestrum quomodocunque contractam abolere nec non vobis in sinceritate fidei, unitate sancte romane ecclesie et deuotione nostra et successorum nostrorum romanorum pontificum canonice intrantium persistentibus plenariam remissionem in mortis articulo, quam etiam quemlibet vestrum, quem in huiusmodi articulo, confessoris copiam non habere contingeret, dummodo in vera contritione decederet, consequi volumus, concedere valeant; et insuper quod fratres vicarie predicte, qui sunt et pro tempore erunt idonei ad annunciandum verbum Dei cum licentia tamen Fabiani aut vicarii pro tempore huiusmodi, qui etiam absque capituli congregacione, de consilio aliquorum fratrum discretorum, quoties opus fuerit, verbum Dei publice tam in vestris quam aliis ecclesiis et locis publicis ciuitatum, terrarum et locorum, prefate vicarie ordinariorum locorum, prelatorum ecclesiarum et aliorum quorumcunque licentia desuper nullatenus requisita, publice proponere, ita tamen, quod si in metropolitana aut aliis cathedralibus, seu collegiatis, vel aliquorum ordinum ecclesiis predicare voluerint, prelatorum eorumdem licentiam obtinere teneantur. Quodque vos et quilibet vestrum ex transgressione quarumcunque constitutionum predicti ordinis presentium et futurarum, dummodo, in quantum humana fragilitas patitur, regulam vestri ordinis dicti studeatis observare, penarum minime incurratis. Preterea omnibus et singulis Christi fidelibus, qui de bonis a Deo sibi collatis unum pro centenario id est centesimam partem bonorum suorum pro liberatione fidelium captivorum de manibus infidelium seu pro erectione et manutentione domorum et locorum in Scythie, Moldauie et septemsedilibus Siculorum partibus predictis duntaxat pro tempore constituendorum et sustentatione vite fratrum, qui ad infidelium et presertim dictas Scythie partes pro tempore transire voluerint, pie erogauerint, quod confessores seculares et regulares etiam ex vobis, quos duxerint eligendos, confessionibus eorum diligenter auditis eis pro commissis ab eis excessibus, criminibus, delictis, in omnibus etiam prefate sedi reseruatis casibus, semel tantum debitam absolutionem impendere et iniungere penitentiam salutarem nec non eis in sinceritate, unitate et deuotione

predictis persistentibus plenariam remissionem in mortis articulo concedere valeatis ita tamen, quod confessores ipsi de his, de quibus fuerit alteri satisfactio impedenda, eam dictis fidelibus, per eos si supervixerint, vel successores suos, si tunc forte transierint, faciendam iniungant, quam dicti fideles vel successores facere teneantur, quodque per unum annum a tempore, quo sibi concessio huiusmodi concessa fuerit, singulis sextis feriis impedimento legitimo cessante ieiunent, et si predictis diebus ex precepto ecclesiastico iniuncta penitentia, voto, aut alias ieiunare teneantur, una alia die singularum septimarum eiusdem anni, qua ad ieiunandum, ut premittitur, non sint adstricti, ieiunent, et si in aliqua eius parte aliquis ipsorum legitime fuerit impeditus, anno sequenti vel alias quamprimum potuerit, huiusmodi ieiunium modo simili supplere teneantur. Porro si forsan alias prelibatum ieiunium in toto vel in parte commode adimplere nequiverint, eo casu confessores ieiunium ipsum in alia pietatis opera commutare valeant, que parimodo adimplere debeant, alioquin eiusmodi confessio plenarie remissionis, quoad non implentes duntaxat, nullius sit roboris vel momenti, eadem authoritate concedimus pariter et indulgemus. Volumus autem ne, quod absit, vos et fideles erogantes predicti ex confidentia remissionis huiusmodi reddamini ac reddantur prolixiores ad illicita in posterum committenda, quod si ex confidentia eiusmodi aliqua illicita forte commiserint et committerent, quod illa eadem confessio committentibus nullatenus suffragetur, quodque per quascunque literas apostolicas dicto generali ministro, seu aliis quoquo modo concessas vel in posterum concedendas, gratie indulta et alia supradicta nullatenus intelligantur reuocata, non obstantibus felicis recordationis Bonifacii prohibitione, ne fratres mendicantes in aliqua ciuitate, castro, vel uilla seu alio loco quocunque ad inhabitandum domum vel locum de nouo recipere, seu receptum mutare presumant absque sedis predicte licentia speciali, facientes plenam et expressam de prohibitione huiusmodi mentionem, et Clementis V. romanorum pontificum predecessorum nostrorum et aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non statutis et consuetudinibus dicti ordinis, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alias roboratis, priuilegiis quoque et indulgentiis, ac literis apostolicis generalibus et specialibus quorumcunque existant, perque presentibus non expressa vel totaliter non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quomodocunque totis tenoribus habenda sint in nostris literis mentio specialis, quibus omnibus et singulis alias in suo robore permansuris, quod premissa derogare intendimus, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscunque presentibus, quoad sub observantia huiusmodi vixeritis, duntaxat valituris. Nulli ergo hominum etc. contraire. Si quis autem etc. incursurum.

Datum Romae apud s. Petrum anno incarnationis dominice MCCCCXLIV. kalendis Februarii, pontificatus nostri anno decimo quarto.

Ex tabular. conv. fratrum minor. Kolosvarien.

DCCCXXXVII. 1445, 31 Januarii, Romae.

Eugenius PP. IV. fratribus ord. minor. in Bosna concedit, ut fratres tertiarios etc. in Hungaria possint recipere, loca accipere, ordinare etc.

Eugenius episcopus etc. ad futuram rei memoriam. Exposcit dilectorum filiorum vicarii et fratrum vicarie Bozne juxta morem ordinis fratrum minorum de observantia nuncupatorum sacre religionis sinceritas, sub cujus observantia, mundanis abiectis illecebris, in extrema paupertate constituti, per piorum ac virtuosorum operum exercitium ceteros ad divine maiestatis trahentes obsequium, sedulum et gratum impendunt altissimo famulatum, ut ea, que ad Dei laudem et religionis augmentum, nec non animarum profectum cedere valeant, eis favorabiliter concedamus. Hinc est, quod nos pro religionis augmento nec non animarum Christi fidelium salutis profectu, non ad illorum vicarii et fratrum vel alterius pro eis nobis super hoc oblate petitionis instantiam, sed ex nostra certa scientia moderno et qui pro tempore erunt vicarii dicte vicarie, quod ipsi vicarii per se vel alium seu alios, quem seu quos ipsi ad hoc pro tempore duxerint deputandum vel deputandos, quibuscunque utriusque sexus Christi fidelibus, in quibuscunque partibus seu locis, ad quas vel ad que dicta vicaria extenditur, pro tempore commorantibus, professionem per fratres et sorores tertii ordinis sancti Francisci de penitentia nuncupati, per felicis recordationis Nicolaum papam quartum predecessorem nostrum approbati, emitti solitam emittere volentibus recipere et admittere, eisque regularem habitum per fratres et sorores predictos gestari solitum exhibere, et illas ex personis dicti tertii ordinis feminei sexus, que nulla sufficienti desuper licentia suffulte in Ungarie partibus insimul habitantes, aliqua loca pro eorum usu et habitatione de novo construxerunt, seu jam constructa receperunt, ab excommunicationis aliisque sententiis, censuris et penis, si quas propterea incurrerunt, absolvere in forma ecclesie consueta, iniunctis eis pro modo culpe penitentia salutari et aliis, que de jure fuerint iniungenda, eisque quod iam recepta retinere, et aliis similiter prefati sexus personis, quod duo, tres et plura, ac tot alia domos atque loca, quot ipsis vicariis expediens videbitur, cum oratoriis, dormitoriis et aliis pro earum usu et habitatione necessariis officinis ubilibet in dicta vicaria de novo construere, seu jam constructa vel sibi concessa recipere, confraternitates etiam seu societates pietati idoneas, juxta morem presertim italicum, vulgariter verberatorum seu flagellatorum nuncupatas, cum opportunis constitutionibus ordinare, ac ordinatas, absque quorumvis prelatorum ecclesiasticorum vel alterius dignitatis contradictione, quos etiam, ne talibus desistere debeant, apostolica auctoritate harum serie prohibemus et interdicimus, in suis devotionibus ac piis operibus fovere, nutrire, augmentare et manutenere, nec non quod confessor seu confessores dicti ordinis minorum de observantia, quem seu quos utriusque sexus persone, que professionem tertii ordinis hujusmodi pro tempore emiserint, seu illarum quelibet dictarumque confraternitatum singuli et singule pro tempore duxerit vel duxerint eligendum seu eligendos, eorum confessionibus diligenter auditis omnibus ex eisdem predictis in reservatis semel tantum, in non reser vatis vero sedi apostolice casibus, quotiens fuerit opportunum, debitam

absolutionem impendere et iniungere penitentiam salutarem, ipsisque omnibus, diocesani loci et proprii sacerdotis, cujus licentiam super hoc paschali tempore duntaxat persone predicte petere teneantur, licet eam non obtineat, super hiis licentia nullatenus requisita, eucharistie sacramentum ministrare, ac dictis personis tertii ordinis et confraternitatum hujusmodi illarumque singulis in sinceritate fidei, virtute sancta romane ecclesie ac devotione nostra et successorum nostrorum romanorum pontificum canonice intrantium persistentibus plenam remissionem in mortis articulo valeat seu valeant concedere, ita tamen, quod confessor seu confessores hujusmodi de hiis, de quibus fuerit alteri satisfactio impendenda, iamdictis personis per eas, si supervixerint, vel heredes seu successores suos, si tunc forte transierint, faciendam iniungant, quam dicte persone aut heredes vel successores facere teneantur: et ne, quod absit, dicte persone utriusque sexus ordinis prelibati et confraternitatem jam dictarum, per hujusmodi remissionis gratiam procliviores reddantur ad illicita imposterum committenda, volumus, quod si persone tertii ordinis et confraternitatum predictarum ex confidentia remissionis hujusmodi aliqua forsan committerent, quo ad illa predicta remissio nullius sit roboris vel momenti; quodque persone prefate per unum annum a tempore, quo concessionis hujusmodi notitiam habuerint, singulis sextis feriis, impedimento cessante legitimo, jejunent, si predictis diebus ex precepto ecclesie, iniuncta penitentia, voto aut alias jejunare teneantur, una die singularum septimarum eiusdem anni, qua ad jejunium, ut premittitur, non sint astricte, jejunent, et si dicto anno vel aliquo ejus parte alique ipsarum personarum fuerint impedite, anno sequenti vel alias quamprimum poterunt, hujusmodi jejunium modo simili supplere teneantur; porro si forsan alias prelibatum jejunium in toto vel in parte adimplere commode nequiverint, eo casu confessor idoneus jejunium ipsum in alia pietatis opera commutare valeat, que pari modo adimplere debeant: alioquin presentes littere, quo ad concessionem plenarie remissionis quo ad implentes premissa duntaxat nullius sint roboris vel momenti. Et insuper, quod vicarii et ab eis pro tempore deputati predicti ad personarum predictarum tertii ordinis hujusmodi regimen ac gubernationem presidentes, visitatores et alios officiales quoscunque, prout ipsis vicariis ac deputatis pro dictarum personarum animarum salute opportunum fore videbitur, instituere et deputare, ac eciam illos nullo juris ordine servato ad ipsorum nutum destituere et removere libere et licite valeant, auctoritate predicta tenore presentium concedimus pariter et indulgemus. Volumus autem quod per quascunque litteras apostolicas generali ministro dicti ordinis minorum pro tempore existenti seu aliis quoquomodo concessas, vel imposterum concedendas presentes littere nullatenus intelligantur revocate. Non obstantibus felicis recordationis Clementis pape quinti predecessoris nostri et aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non statutis et consuetudinibus ordinum predictorum, juramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque et indulgentiis ac litteris apostolicis generalibus vel specialibus quorumcunque tenorum existant, per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta affectus earum impediri valeat quomodolibet vel differi, et de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio spe-

cialis, quibus omnibus et singulis, illis alias in suo robore permansuris, quo ad premissa derogare intendimus et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscunque. Ceterum quia difficile foret hujusmodi nostras litteras ad singula loca deferre, volumus et eadem auctoritate decernimus, quod ipsarum transumpto manu publica aut sigillo alicujus episcopalis vel superioris ecclesiastice curie munito tanquam prefatis nostris, si originales exhiberentur, litteris plena fides in judicio et extra exhibeatur, et perinde stetur ac si dicte originales littere forent exhibite vel ostense. Nulli ergo etc. nostre prohibitionis, interdicti, concessionis, derogationis, voluntatis et constitutionis infringere etc. Si quis etc. Datum Rome apud s. Petrum anno etc. millesimo quadringentesimo quadragesimo quarto, pridie kal. Februarii. Pontificatus nostri anno quartodecimo.

Annal. minor. tom. XI, p. 473. *Theiner:* Monum. Hung. tom. II, p. 226.

DCCCXXXVIII. 1445, 3 Februarii.

Stephanus Bosnae magnus vojevoda fidem facit, se partem depositi quondam vojevodae Sandal per comitem Vukašin Sanković, com. Vukman Jugović et starac Radin a communi ragusino percepisse. Scripsit diac. Radivoj.

Dr. *Fr. Miklošić:* Monum. serbica, p. 429.

DCCCXXXIX. 1445, 28 Februarii, Ragusii.

Comes. nobiles et totum commune Ragusii, Stephano vojevodae et eius filiis Vladisav et Vlatko promittunt se nullum incolam oppidi Trebinje, Dračevica etc. in territorio Konavlje recepturos esse.

Dr. *Fr. Miklošić:* Monum. serb. p. 431.

DCCCXL. 1445, 4 Martii, Venetiis.

Cancellario et oratori regis Bossine Paulo de Jayce ad puncta per ipsum exposita respondetur: gratiae aguntur regi de notitia, „comitem Stephanum Bossine dedisse despoto Rassie castrum Medon in partibus Albanie", atque ipsos „intellexisse se ad damna" dominii veneti, quod interim cum despoto „habet amicitiam", comes autem Stephanus „mittit legationem" Venetias; non acceptatur regis Bosnae propositio de inferendo comiti Stephano bello, in quo offert Venetis cooperationem suam; pariter non acceptatur propositio de aedificando communibus expensis castro „apud Narentam"; promittitur regi asylum in locis Dalmatiae „in casu necessitatis"; „regratiatur" regi „de castris suis circumstantibus Polize, „quae offert" dominio; excusat se dominium, quod non possit mittere in Bosnam unum ex nobilibus Venetis, qui „apud regem" permaneat".

Ljubić: Listine IX, 215.

DCCCXLI. 1445, 8 Maii, Venetiis.

Oratori „despoti Rassie" respondetur, quod dominium venetum locum Antibari per capitaneum Scutari de manibus comitis Stephani, communis inimici, occupaverit.

Ljubić: Listine, IX, 217.

DCCCXLII. 1445, 12 Maii, Romae.

Eugenius PP. IV. Petrum vojevodam Bosnae commendat universosque monet, ne quosdam eum offendentes suscipere audeant.

Cum dilectum. Dat. Rome. . . MCCCCXLV. IV idus Maii an. XV.

Ex reg. orig. an. XV. tom. 18 fol. 78. *Theiner:* Mon. Slavor. Meridional. tom. I, p. 389.

DCCCXLIII. 1445, 28 Maii, Romae.

Eugenius PP. IV. Petrum vojevodam, partes inferioris Bosnae in habitantem, sub clientelam sedis apostolicae recipit.

Benignitas . . Dat. Rome. MCCCCXLV. V kal. Junii . . . an. XV.

Reg. an. XV. tom. 18 fol. 78. *Theiner:* Monum. Slavor. meridional. tom. I, p. 389.

DCCCXLIV. 1445, 29 Maii, Romae.

Eugenius PP. IV. Stephanum Thomam, regem Bosnae, iustorum natalium privilegio donat, ut sceptrum cum dignitate gerere valeat; laudatque, quod „romanum pontificem Jesu Christi indubitatum vicarium ac beati Petri . . . unicum successorem" agnovit etc.

Attendentes. Dat. Romae apud s. Petrum an. MCDLV. IV kal. Junii . . . an. XV.

Reg. orig. libr. 24. p. 24. *Odoric. Raynaldi:* Annal. ecclesiast. tom. IX, p. 467. *Assemani:* Kalendar., tom. V, p. 82.

DCCCXLV. 1445, 29 Maii, Romae.

Eugenius PP. IV. cum Stephano, rege Bosnae, super defectu natalium dispensat, eumque legitimum regem declarat et acta atque gesta eius rata habet.

Divina superveniens. Dat. Rome MCCCCXLV. IV kal. Junii . . an. XV.

Reg. an. XV. tom. 18, fol. 77. *Theiner:* Monum. Slavor. meridional. tom. I, p. 388.

DCCCXLVI. 1445, 29 Maii, Romae.

Eugenius PP. IV. Stephanum Thomam, Bosnae regem, a promissione, quam ignobili cuidam mulieri de ipsa in uxorem accipienda fecit, absolvit eumque amplius non teneri declarat.

Oblatae nobis . . . Dat. Rome MCCCCXLV. IV kal. Junii an. XV.

Reg. an. XV. tom. 18, fol. 77. *Theiner:* Monum. Slavor. meridional. tom. I, p. 388.

DCCCXLVII. 1445, 24 Junii, Ragusii.

Comes, nobiles et totum commune Ragusii fatetur se a filiis quondam vojvodae Radosavi Pavlović, a vojevoda Ivanis et comitibus Petro et Nicolao 3600 hyperpera accepisse et promittunt se competentia foenora soluturos esse. Scripsit Miotoš Curak.

Dr. *Fr. Miklošić:* Monum. serbica, p. 432. *Pucić:* Споменици српски, II, 108.

DCCCXLVIII. 1445, 27 Junii, Venetiis.

Quatuor oratoribus „comitis Stephani, magni voyvode Bossine, qui Venetis „intendit esse bonus filius", respondeatur, quod „remitantur ei praeterita et in bonum filium reassumatur".

Ljubić: Listine, IX, 222.

DCCCXLIX. 1455, 19 Augusti, Venetiis.

Oratoribus magni voyvode bosnensis Stephani respondetur, quod dominium venetum libenter dictum voyvodam „reputet" suum „amicum"; quod Antibari et Almissa, bello aquisita loca, restitui non possint; quod domus, quam Sandal habuit Catari et Jaderae, libenter ipsi cedendae sint; ita etiam domus Venetiis, quam primum obtineri potuerit.

Ljubić: Listine, IX, 215. Oratoribus hisce contentis assignatur donum usque ad summam 120 ducatorum. Ibid. 226.

DCCCL. 1445, 23 Augusti, Venetiis.

Inter dominium Venetum et m. voyvodam bosnensem Stephanum „de Sokol" per ipsius oratores, magistrum curiae Georgium, Joannem et Vlatcho „de Pochnaliza", et Grupcho, pax concluditur, qua Stephanus restituit Venetis Antibarim et Dalmissam tempore belli ab ispsis occupatas, Veneti vero Stephano resignant domos quondam Sandali Cathari et Jaderae.

Ljubić: Listine IX, 227.

DCCCLI. 1446, 1 Martii, Csanadini.

Petrus episcopus Csanadiensis, ad preces fr. Benedicti de Kelesér transsumi facit Eugenii PP. IV. bullam „Romanus Pontifex" datam 30. septembris anno 1433, qua agitur de quibusdam conventibus vicariae Bosnensis ad Istrum situatis.

In nomine Domini Amen. Universis et singulis presens scriptum seu publicum instrumentum visuris Petrus Dei et apostolice sedis gracia episcopus ecclesie Chanadien., salutem in Domino grata cum . . . [Ad] vestre universitatis vestrum[que] cuiuslibet noticiam harum serie deducimus: quod religiosus vir frater Benedictus de Keleseer ordinis fratrum de observantia in sua ac universa omnium et singulorum fratrum eiusdem ordinis vicariatus Bosne nominibus et in personis, ad nostram veniens presenciam quasdam litteras sanctissimi in Christo patris et Domini nostri domini Eugenii, divina providencia pape quarti, super graciis et privilegiis, indulgenciis et facultatibus sonantes, eius veras Bullas plumbeas, in cordula crocey coloris canafy more romane curie bullatas, sanas et integras non cancellatas, non corruptas, nec in aliqua sui parte viciatas, sed omni prorsus vicio et suspicione carentes, tenore infrascripti nobis coram notario publico et testibus infrascriptis curavit exhibere, quibus productis ydem frater Benedictus suo ac aliorum, quorum supra, nominibus subiunxit proponendo: Quod ipse et alii predicti fratres auctoritatem super infrascriptis habentes Bullas seu litteras huiusmodi apostolicas in officio predictarum gratiarum, privilegiorum, indulgentiarum, fa-

cultatem in iudicio ex extra necessariarum uti habere, quas propter viarum distanciam ad loca singula, in quibus eisdem indigerent, in specie deferre periculosum et difficile est; idcirco dictas litteras originales, ut premittitur, exhibitas et productas transscribi et transsumpmi et exemplari ac in formam publici documenti redigi auctoritate nostra ordinaria, cum nostri decreti interpositione, ut fidem ubique locorum tam in iudicio, quam extra plenariam facerent cum debito iure instantiam sub nostro pendenti sigillo sibi et dictis aliis sui ordinis fratribus dari petiit et postulauit, cuiusquidem Bulle tenor de verbo ad verbum sequitur et est talis:

Eugenius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis vicario dilecti filii magistri generalis et fratribus ordinis minorum vicarie Bosne secundum morem dicti ordinis presentibus et futuris salutem et apostolicam benedictionem. Romanus pontifex beati Petri celestis clavigeri succesor et vicarius Jesu Christi etc. Datum Rome aput sanctum Petrum anno incarnacionis dominice millesimo quadringentesimo tricesimo tercio, pridie kal. octobris pontificatus nostri anno tercio. (Vid. pag. 739. nr. DCCXII.)

Nos itaque Petrus episcopus Chanadiensis predictus remissis litteris apostolicis sic ut premittuntur per nosque sumpma cum obediencia et reverentia, prout tenemur, recepte requisiciones prefati fratris Benedicti, suo et aliorum, quorum supra, nominibus nobis porrectas, iustas et iuri consonas fore agnoscentes, litteras dicti domini pape nomine proprio sancitas et integras, non abolitas nec in aliqua sui parte, ut premissum est, viciatas, sed omni prorsus vicio et suspeccione carentes, easdem presentibus litteris nostris preuilegialibus de verbo ad verbum sine diminucione et augmento aliquali insertas, ut eedem absque litteris originalibus ipsius domini nostri pape in nostra iurisdicione et alias, tam in iudicio quam extra ubique locorum et terrarum vigorem habeant, tamquam earum primordiales eisdem fratribus ac ordini et custodie prefatis duximus concedendas, in quorum omnium et singulorum fidem et testimonium presens priuilegium seu publicum instrumentum exinde fieri, et per Ladislaum Petri de Ohad, publicum imperiali auctorite notarium, super hoc subscribi et publicari nostrique pontificalis sigilli iussimus appensione communiri. Datum et actum Chanadini in palacio solite nostre residencie, anno ab incarnacione Domini millesimo quadringentesimo quadragesimo sexto, indicione nona, die vero veneris, prima die mensis marcij, hora sextarum vel quasi, pontificatus autem dicti domini nostri Eugenij pape IIII. anno eiusdem decimoquinto, presentibus ibidem honorabilibus et discretis viris, dominis Johanne de Keczkemeth, altero Johanne de Peryemes et Gregorio de Ohad canonicis maioris ecclesie eiusdem Chanadien., nec non Anthonio de Bodrog ac Thoma de Vdwarhal, canonicis similiter collegiate ecclesie sancti salvatoris eiusdem Chanadien. predicte fundate, alijsque nonnullis fide dignis testibus ad premissa vocatis et rogatis in testimonium veritatis.

Ex originali in tabular. provinc. ss. Salvatoris fratr. minor. Gyöngyösien.

DCCCLII. 1446, 17 Martii, Venetiis.

Oratoribus regni Bosnae, medicinae doctori Thomae et Laurentio de Stipos de Tragurio, respondetur: rex Bosnae „in se teneat" Narentam,

quam rex Aragonum, „ut per eam valeat habere aditum ad regnum Hungariae, ad quod adspirat", obtinere vult — mercatores venetos inducendos ad mercaturam in Bosna exercendam — occurente cum Teucro pace dominium venetum interponet se „pro concordio regis cum Teucro" — dominium quidem tractare „cum bano Pircho" Petro, fratre Matkonis, non tamen timeat rex „de locis, que idem banus tenet", et que dicit „corone sue (Bosnae) legitime spectare".

Ljubić: Listine IX, 235.

DCCCLIII. 1446, 1 Julii, Romae.

Eugenius IV. omnibus fidelibus, qui poenitentes et confessi ecclesias fratrum vicariae Botnensis in diebus sanctorum, quibus dedicatae sunt, visitaverint, vel ad conservationem earum aliquid contulerint, certas indulgentias in perpetuum concedit.

Eugenius episcopus servus servorum Dei universis Christi fidelibus praesentes literas inspecturis salutem et apostolicam benedictionem. Omnipotens, sempiternus, et misericors Deus, qui celestia et terrena ordinat, et disponit suos ministros, et cultores altis decorando honoribus, et salvando thesauris pretiosissimis etiam et indulgentiis ineffabilibus devotiones ipsorum, quasi quibusdam alliciendo muneribus, ut eos efficiat coelestis patriae possessores, invitare consuevit per sua dona, gracias et munera ad debiti famulatus Dei sueque Genitricis, et sanctorum ejus honorem, de cujus dulcedine egris medicina, langventibus solamen, reis culpe remedium, ac cunctis ipsius. et ejusdem Genitricis patrocinium implorantibus misericordie rivulus noscitur emanare. Cupientes igitur, ut ecclesie omnium et singularum domorum ordinis fratrum minorum vicarie Bosne, que sunt, et erunt pro tempore, congruis honoribus frequententur, et in earum structuris, ac edificiis reparentur, et conserventur, nec non Christi fideles eo libentius causa devotionis confluant ad easdem, et ad illarum reparationem ac conservationem manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono celestis gratie conspexerint se refectos, de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus confisi omnibus vere penitentibus, et confessis, qui in festivitatibus sanctarum, vel sanctorum, sub quorum vocabulis prefate ecclesie fundate, seu dedicate fuerint, a primis vesperis usque ad secundas vesperas ecclesias predictas devote visitaverint annuatim, et ad reparationem, conservationem ac fabricam hujusmodi manus adjutrices porrexerint, duodecim annos, et totidem quadragenas de injunctis eis penitentiis misericorditer relaxamus, presentibus, perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, quod si alias ecclesias ipsas visitantibus et ad reparationem, conservationem, et fabricam praedictas manus adjutrices porrigentibus, seu alias inibi pias eleemosynas erogantibus aliqua alia indulgentia in perpetuum, vel ad certum tempus nondum elapsum duratura per Nos concessa fuerit, presentes literae nihilominis subsistant roboris firmitate. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis caeterisque contrarijs quibuscunque. Datum Romae apud sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicae millesimo, quadringentesimo, quadragesimo sexto, Kalendis Julii. Pontificatus Nostri anni sexto decimo.

Ex exemplo synchrono in Tabul. provinc. ss. Salvatoris fratr. minor. Gyöngyösien.

DCCCLIV. 1446, 3 Julii, Romae.

Eugenius PP. IV. fratribus minoribus vicariae Bosnae diversa privilegia, animarum salutem spectantia, concedit.

Dum salubria . . . Dat. Rome . . MCCCCXLVI. v. nonis Julii . . . an. XVI.

Reg. an. XVI. tom. 19. fol. 211. *Wadding*: Annal. Minor. tom. XI. p. 260.; *Theiner*: Monum. Slavor. Meridional. tom. I. p. 392.

DCCCLV. 1446, 3 Julii, Romae.

Eugenius PP. IV. Fabianum de „Bachia" vicarium Bosnen. eius successores in Bosna, Hungaria, Moldavia, Valachia („Bollachia"), Bulgaria, Rassia et Slavonia, inquisitores haereticae pravitatis, praesertim contra „Hussitas", instituit, et ut in presbyteros aliosque ecclesiarum rectores, concubinatu pollutos, inquirat et animadvertat, iubet.

Pre cunctis . . . Datum Rome . . MCCCCXLVI. v. non. Julii an. XVI.

Reg. an. XVI. tom. 19. fol. 210. *Wadding*: Annal. Minor. tom. XI. p. 258.; *Theiner*: Monum. Slavor. Meridional. tom. I. p. 394.; *Farlati D.*: Illyricum Sacr. tom. IV. p. 70.

DCCCLVI. 1446, 30 Julii, Romae.

Eugenius PP. IV. Hungaris nunciat: „Stephanum Thomam, regem Bosnae, . , post multos diversosque tractatus cum . . episcopo Farensi („Pharensi") . . per septennium ibidem legato, „tandem factum esse catholicum christianum . . ." eumque et eius subditos commendat.

Gloriosa Dei . . . Dat. Romae apud s. Petrum an. MCCCCXLVI. III. kal. Augusti . . an. XVI.

Odoric: Raynaldi Annal. Eccles. tom. IX. p. 468.; *Farlati D.*: Illyric. Sacr. tom. IV. p. 70.; *Theiner*: Monum. Slavor. Meridional. tom. I. p. 395.

DCCCLVII. 1446, 22 Augusti, Vranduk.

Stephanus Thomas Ostojić, rex Bosnae, Paulo, Marco et Georgio, filiis vojevodae Ivaniš Dragišić urbem Ključ aliosque pagos donat, nominatim: Ribiće, Rudimce, Slipance, Peći, Banice, Kladie, Zagulani, Repišća, Prisika, Bilani, Korica, Sanica, Bravsi, Pišćenica, Krasulino, Triska, Hripavci, Lipovci, Ig, Sanski Mrin, Klevci, Nova sela, Čapli, Kievac et Ki. Sridica, Čarak, Hrbovčani, Siničići, Glas cum Srida, Podgradie, Batun, Plitiane, Batar, Vrana, Šćabnica, Gvoznica, Cripov potok, Toponici, Pribinovci, Tvrdi, Lazarići, Poctinje, Dubnice, Kožuhe, Gradišća, Popovac, Mačak, Radočajnik, Trsteno, Črešnevac. Dragi Družac, Rilevac, Tetumio, Lipovac, Rakovac, Stubao, Gradišća, Gmići, Uskople. Testes: magnus vojvoda Bosnae Stipan Vukčić, voevoda Ivaniš filius voevodae Radosavi, voevoda Petar Kovačević, voevoda Tvrtko Stipanović, voevoda Vladisav Klešić, com. Stipan Vladisalić, com. Vukić Vlatković, com. Ivaniš Bukoević, com. Tvrtko Vladisalić, com. Ostoja Stipoević, comes bosnensis Radić Mozolić, com. Radosav Putinčić, palatinus Stipan Vlatković, ex consanguineis com. Ivan Šantić. Scripsit diac. Tvrtko Sekulović.

Dr. F. Miklošić: Monum. Serbic. p. 438.; *I. Kukuljević*: Arkiv knj. II. Razdel I. p. 39.

DCCCLVIII. 1446, 15 Octobris Romae.

Eugenius PP. IV. instante Petro „Woyslau, voivoda partium inferioris Bosne", domos fratrum minorum vicarie Bosne, temporali dominio dicti Voyslau subiectas, „a superioritate et subiectione vicarii provincie predicte" eximit et episcopi Farensis gubernio subiicit.

Eximie devotionis affectus . . . Dat. Rome apud s. Petrum anno incarnationis dominice MCCCCXLVI., idibus Octobris, an. XVI.

Theiner: Monum. Hung. tom. II. p. 231.

DCCCLIX. 1446, 23 Octobris, Romae.

Eugenius PP. IV. iniungit „Thome, Farensi episcopo", ut Petrum „Voyslaulich", „inferioris Bosne voyvodam", dominum castelli „Vissuchi", „solum in illis partibus catholicum principem", per „Georgium episcopum Sibenicensem", ob decimas ex bonis dicti castelli provenientes sibi retentas, non vero „capitulo Tiniensi", ut praetendebatur, cessas, minus rite condemnatum et excommunicatum absolvat, si modo constiterit: „quod olim domini prefati casteli ratione decimarum equum aut summam huiusmodi vel aliquid aliud dictis capitulo assignare consueverunt, et ipse Petrus id iuxta consuetudinem predictam solvere et assignare paratus existat, et ad id se ex nunc specialiter offerat . . ."

Humilibus supplicum votis . . . Dat. Rome apud s. Petrum an. MCCCCXLVI. X. kal. Novembris an. XVI.

Reg. orig. An. XVI. de curia lib. XX. fol. 42. *Theiner:* Monum. Hung. tom. II. p. 230.

DCCCLX. 1447, 27 Januarii, Borač.

Voevoda Ivaniš cum fratribus Petro et Nicolao communi ragusino fidem faciunt, se a ragusino cive comite Nikša Bunić excontentatum esse de arendali canone pro portorio in Olovo, quod anno elapso tenebat.

Pucić: Споменици српски II, 110. 113. 114.

DCCCLXI. 1447, 23 Martii.

Stephanus magnus vojvoda bosnensis fidem facit se a communi ragusino percepisse 700 hyperp. quos ipsi Vlahuša Latiničić pro portorio debebat. Scripsit Radić Grubković.

Pucić: Споменици српски II, 111.

DCCCLXII. 1447, 14 Maii, Romae.

Nicolaus PP. V. decernit, ut fratres Bosnensis vicariae sibi unum eligant vicarium, cuius auctoritas claudatur intra limites antiquos, videlicet a flumine Drava usque ad mare adriaticum.

Nicolaus episcopus servus servorum Dei.

Dilectis filiis custodibus, guardianis ceterisque fratribus ordinis minorum, in regno Bosne constitutis, salutem et apostolicam benedictionem.

Cupientes circa bonum statum vestrum et locorum vobis commissorum salubriter providere volumus et tenore presentium mandamus vobis, ut auctoritate nostra eligatis et deputetis in regno Bosne tantum et suis

confinibus, qui fratribus vestri ordinis presit, unum vicarium, cuius auctoritas et officium contineatur et claudatur infra antiquos confines et limites, videlicet a flumine Draua usque ad adriaticum mare. Volumus quoque et statuimus, ut privilegia per summos pontifices predecessores nostros vicario Bosne concessa, solum huiusmodi Bosne vicario et non alijs nec in alijs partibus constitutis suffragentur, quodque prefatus per vos eligendus pro tempore vicarius per generalem ministrum dicti vestri ordinis confirmetur, et illi obedire teneatur iuxta ipsius statuta et consuetudines hactenus observatas, concessionibus, gratijs, indultis, ac litteris apostolicis ceterisque in contrarium editis, non obstantibus quibuscunque. Nulli ergo etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud s. Petrum anno incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo quadragesimo septimo, pridie idus Maij, pontificatus nostri anno primo.

Leo episcopus servus etc. etc. Dilecto filio vicario provinciali provintie Bosne Croatie vicarie nuncupato fratrum minorum de observantia etc.

Cum a nobis petitur quod iustum est. etc. etc. Dat. Rome ap. s. Petr. an. incarnat. domin. 1515. kal. Octobr. potific. nost. an. tertio.

(Extendit omnia iura, privilegia etc a summis pontificibus predecessoribus suis, vicario Bosne concessa, ad vicarios Bosnae et Croatie.)

Ego Julius Caesaren. Jacominus s. Viti Fluminis caes. cancellarius supras scriptas bullas aliena manu scriptas ex suo originali cum eo concordavi nil addens neve minuens et in fidem subscripsi manu propria.

Fidem facimus et attestamur contrascriptum dominum Julium Caesarem Jacominum, qui supra manu propria subscripsit, esse caesareum cancelarium huius civitatis, bonae opinionis et famae, cuius scripturis et subscriptionibus publicis hic plena adhibetur fides et ubique adhibenda est.

In quorum fidem etc. Datum Flumine s. Viti die 6. Aprilis 1625. M. A. Cahurcinus not. publicus. (Sigillum impressum).

Ex exemplo in Tabularii convent fratr. minor. Trsaten. in Croatia.

DCCCLXIII. 1447, 18. Junii, Romae.

Nicoleus PP. V. universis Christi fidelibus visitantibus ecclesiam „s. Thome apostoli, quam pro sua devotione edificare cepit . . . Stephanus Thomas rex Bosne sub Vranduch, nullius diocesis in regno Bosne", indulgentias concedit.

Licet is . . . Dat. Rome apud s. Petrum anno incarnationis dominice MCCCCXLVII. XIV kal. Julii an. I.

Reg. orig. an. I. de curia libr. XXII. fol. 64. *Theiner:* Monum. Hung. tom. II. p. 233.

DCCCLXIV. 1447, 18 Junii, Romae.

Nicolaus, PP. V. universis Christi fidelibus visitantibus ecclesiam „s. Georgii de Jesero, nullius diocesis in regno Bosne" sitam, indulgentias concedit.

Licet is . . . Dat. Rome apud s. Petrum anno incarnationis dominice MCCCCXLVII. XIV kal. Julii an. I.

Reg. orig. an. i. de curia libr. XXII. fol. 64. *Theiner:* Monum. Hung. tom. II. p. 234.

DCCCLXV. 1447, 18 Junii, Romae.

Nicolaus PP. V. universis Christi fidelibus ecclesiam „s. Marie de Virben, nullius diocesis, in regno Bosne", visitantibus indulgentias elargitur.

Dum precelsa . . Dat. Rome apud s. Petrum anno incarnationis dominice MCCCCXLVII. XIV kal. Julii an. I.

Reg. orig. an. I. de curia libr. XXII. fol. 65. *Theiner*: Monum. Hung. tom. II. p. 234.

DCCCLXVI. 1447, 18 Junii, Romae.

Nicolaus PP. V. universis Christi fidelibus visitantibus ecclesiam „quam in honorem sanctissime . . Trinitatis pro sua devotione edificare cepit . . . Caterina regina Bosne in loco Verlau, nullius diocesis, in regno Bosne", indulgentias concedit.

Licet is . . . Dat. Romae apud s. Petrum anno incarnationis dominice MCCCCXLVII. XIV kal. Julii an. I.

Reg. orig. an. I. de curia libr. XXII. fol. 64. *Theiner*: Monum. Hung. tom. II. p. 236.

DCCCLXVII. 1447, 18 Junii, Romae.

Nicolaus PP. V. pro Thoma episcopo „Farensi", quem apostolicae sedis legatum mittit ad regem Bosne, ac Dalmatie et Croatie partes", salvus conductus.

Cum venerabilem fratrem . . . Dat. Rome apud s. Petrum anno incarnationis dominice MCCCCXLVII. XIV kal. Julii an. I.

Reg. orig. an. I. de curia libr. XXII. fol. 73. *Theiner*: Monum. Hung. tom. II. p. 236.

DCCCLXVIII. 1447, 18 Junii, Romae.

Nicolaus PP. V. „Stephano Thome, regi Bosne" permittit, ut duos fratres minores vicariae Bosne in suos capellanos accipere, tenere, „nec non ad civitates . . et loca quecunque, etiam romanam curiam, superiorum suorum . . . licentia non requisita, pro suis et regni necessitatibus libere et licite ducere et transmittere possit . . ."

Devotionis tue sinceritas . . . Dat. Rome apud s. Petrum anno incarnationis dominice MCCCCXLVII. XIV kal. Julii an. I. Idem conceditur et Catharinae reginae Bosne.

Reg. orig. an. I. de curia libr. XXII. fol. 66. *Theiner*: Monum. Hung. tom. II. p. 235.

DCCCLXIX. 1447, 18 Junii, Romae.

Nicolaus PP. V. „Petrrm Voislaulich, voivodam partium inferiorum Bosne . . . eius heredes ipsiusque terras, castra etc. . . sub patrocinio et protectione" s. sedis suscipit „districte precipiendo . . vicario Bosne . . custodibus et guardianis, quatenus ipsum Petrum a volentibus ipsum

molestare etc. per censuram ecclesiasticam tueantur pro viribus et defendant.

Benignitas sedis apostolice . . . Dat. Rome apud s. Petrum anno incarnationis dominice MCCCCXLVII. XIV kal. Julii, an. I.

Reg. orig. an. I. de curia libr. XXII. fol. 66. *Theiner*: Monum. Hung. tom. II. p. 235.

DCCCLXX. 1447, 18 Junii Romae.

Nicolaus PP. V. Thomae episcopo „Farensi", ad regem Bosnae ac partes Dalmatiae et Croatiae misso, salvum conductum concedit.

Cum venerabilem fratrem . . . Dat. apud s. Petrum Romae anno etc. MCCCCXLVII. quartodecimo kal. Julii an. I.

Ex Reg. orig. an. I. de curia libr. XXII. fol. 73. *Theiner*: Monum. Hung. tom. II. p. 237.

DCCCLXXI. 1447, 19 Junii, Romae.

Nicolaus PP. V. „nobilem virum Sladoe, voivodam de Requi" (a rege in manus vicarii Bosnae ordinis minorum traditum, et per eundem vicarium sub protectione s. sedis acceptatum), recipit una cum eius germanis „Gregorio et Wulrich" et eorum haeredibus, ipsorum terris castris etc. praecipiendo dicto „vicario Bosne . . custodibus et guardianis . . quatenus ipsos tueantur pro viribus et defendant . ."

Benignitas sedis apostolice . . . Dat. Rome apud s. Petrum anno incarnationis dominice MCCCCXLVII. tredecimo kal. Julii an. I.

Reg. orig. an. I. de curia libr. XXII. fol. 67. *Theiner*: Monum. Hung. tom. II. p. 236.

DCCCLXXII. 1447, 20 Junii, Romae.

Nicolaus PP. V. Thomae episcopo „Farensi" sedis apostolicae ad „regnum Bosne et Croatie partes" legato munus, cum facultatibus ab Eugenio PP. IV. commissum, confirmat.

Cum sicut accepimus . . . Dat. apud s. Petrum Rome an. incarnationis etc. MCCCCXLVII. XII kal. Julii an. I.

Ex Reg. orig. an. I. de curia libr. XXII. fol. 73. *Theiner*: Monum. Hung. tom. II. p. 237.

DCCCLXXIII. 1447, 21 Junii, Romae.

Nicolaus PP. V. archiepiscopo et capitulo Spalatensi praecipit, ut domum „ecclesiae s. Jacobi in civitate Spalatensi" vel aliam ibidem aptam suis et „totius cleri civitatis et diocesis Spalatensis" sumptibus adaptent pro habitatione Thomae, episcopi „Farensis" et s. sedis apud regem Bosnae legati.

Cum pro nonnullis . . . Dat. Rome apud s. Petrum an. etc. MCCCCXLVII. undecimo kal. Julii an. I.

Ex Reg. orig. an. I. de curia libr. XXII. fol. 74. *Theiner*: Monum Hung. tom. II, p. 238.

DCCCLXXIV. 1447, 26 Septembris Romae.

Nicolaus PP. V. vicariam Bosnae subiicit fr. Jacobo de Primaditiis, generali vicario ac succesoribus; et eundem locorum vicariae Bosnae visitatorem et reformatorem constituit.

Ad hoc circa . . Dat. Romae apud s. Petrum anno incarnacionis dominice MOCCCCXLVII. VI kal. Octobris an. I.

Wadding: Annal. minor. tom. XI, p. 534.

DCCCLXXV. 1447, 27 Septembris, Romae.

Nicolaus PP. V. decernit, ut quinque domus vicariae Ragusinae, unitae vicariae Bosnae, id est: s. Francisci et de Daxa in territorio Ragusino, dein s. Crucis Jaderen. et quaedam iuxta Arben. ac iuxta Catharen. civitates, „restituantur in pristinum statum sub cura vicarii generalis citramontani.

Apostolice nobis . . Dat. Romae apud s. Petrum anno incarnationis dominicae MCCCLXLVII. V kal. Octobris an. I.

Ex libr. 2 de Regular. an. I. fol. 57. *Wadding:* Annal. minor. tom. XI, p. 534.

DCCCLXXVI. 1447, 28 Octobris, Ragusii.

Milorad Radečić, orator usorensis voevodae Tvrtkonis Stančić fidem facit, quod pro Marino Orlačić summa 100 ducatorum obses steterit.

Pucić: Споменици српски, II, 112.

DCCCLXXVII. 1448, 12 Januarii Romae.

Nicolaus PP. V. „Thomae episcopo Pharensi in regno Bosnae" legato mandat, ne quid in causa inter fratres Bosnenses et Ragusinos vertente decidat, donec per litteras informatus fuerit.

Licet alias . . . Dat. Rome . . XII Januarii (MCCCXLVIII.) an. I.

Reg. Eugenii IV. tom, 8. fol. 199. *Theiner*: Monum. Slavor. Meridional. tom. I. p. 402.

DCCCLXXVIII. 1448, 29 Januarii.

Stephanus, „dei gratia dux chulmensis et maritimus et magnus vojvoda regni Bosnae" communi ragusino fidem facit de perceptis debiti Vlahušae Latinić 2047 hyperp.

Pucić: Споменици српски II. 112.

DCCCLXXIX. 1448, 8 Februarii, Romae.

Nicolaus PP. V. „nobilem virum Restorem, protovestiarum regni Bosne, qui ab ineunte etate inter hereticos catholicus perseverans, pro augmento et conservatione fidei catholice plurimum . . . laboravit „una cum suis terris sub sedis apostolicae protectione suscipit.

Benignitas sedis apostolice . . Dat. Rome apud s. Petrum an. etc. MCCCCXLVIII. quarto nonas Februarii an. II.

Ex Reg. orig. an. II. de curia libr. XXIV. fol. 96. *Theiner*: Monum. Hung. tom. II. p. 251.

DCCCLXXX. 1448, 24 Octobris, Romae.

Nicolaus PP. V. auditis custodum et guardianorum Bosnensium querelis et supplicationibus, Thomae, legato s. sedis apud regem Bosnensem, comittit, ut praemissis debitis informationibus, si religioni christianae et fratribus proficuum atque utile esse deprehenderit, permittat ipsis Bosnensibus, quo „vicarium proprium sibi eligere possint, qui generali ministro immediate subesset . . .“

Ad romani pontificis . . . Dat. Rome apud s. Potencianam anno etc. MCCCCXLVIII. IX. kal. Novembris an. II.

Reg. orig. an. II. de curia libr. XXIII. fol. 258. *Theiner:* Monumenta Hung. tom. II, p. 258.

DCCCLXXXI. 1449, 3 Januarii, Vranduk.

Stephanus Thomas, rex Bosnae, pactum init cum comite Nicolao a Tragurio de mercatura per hunc praecipue Spalati, Hvojnicae et in Jajce sub certis conditionibus, exercenda.

I. Kukuljević: Arkiv VIII, p. 195.

DCCCLXXXII. 1449, 1 Februarii, Romae.

Eugènius PP. IV. Thomae „pharensi episcopo“ sedis apostolicae in Bosna legato, scribit: Stephanum Thomam, regem. deposito errore veritatem fidei catholicae quidem professum esse, verum tamen remanere nonullos eiusdem haeresis labe infectos tam nobiles et barones „inter quos primus et praecipuus est Stephanus, vaivoda, socer dicti regis . . . (et) . . . Joannes Pavlovich vaivoda . . . . a tribus annis . . . catholicam fidem professus, iam secundo . . . ad vomitum suum rediens . . .

I. S. Assemani: Kalend. eccles. univers. tom. V. p. 84.

DCCCLXXXIII. 1449, 6 Aprilis.

Stephanus, d. gr. dux s. Sabbae, dominus terrae Chulm et maritimae atque m. voevoda regni Bosnae“, fidem facit communi ragusino de perceptis 118 duc. sibi a patrino suo comite Benko Gundulić testamentaliter legatis.

Pucić: Споменици српски, II, 115.

DCCCLXXXIV. 1449, 7 Aprilis, Venetiis.

Oratoribus regis Bosnae respondetur, se quoque audivisse comitem „de Bossina“ appetere titulum ducis Spalati, sed circa hoc faciet dominium venetum „provisionem“. Laudatur regis propositio, ut cum bano Pircho (Pjerko), qui „vellet dare medium banatus sui Hungaris“, ineat conventionem, ipseque „banatum“ pro quodam castro accipiat. Habeat „suis expensis ballistarios oc de terris venetis Dalmatie“. Sicut comiti Stephano concessum est sal „pro Narenta“, conceditur Bosnensibus Spalati.

Ljubić: Listine IX, p. 360.

DCCCLXXXV. 1449, 20 Junii, Spoleti.

Nicolaus PP. V. fratrem Antonium Neapolitanum ad partes „Dalmatiae, Rassiae, Bosnae, Croatiae, Serviae, Albaniae et Hungariae", qui ibidem praedicaret, destinatum, episcopis clero et populis commendat.

Licet supra vires . . . Dat. Spoleti anno etc. MCCCCXLIX XII kal. Julii an. III.

Ex libro 25 bullar. fol. 78. *Wadding*: Annal. minor. tom. XII, p. 28.

DCCCLXXXVI. 1449, 13 Augusti, Venetiis.

Oratori vojvodae Stephani respondetur, dominium venetum non dubitare de sua amicitia; castrum Almisse conventione 23 Augusti 1445 a. Venetis cessum, unde amplius restitui non posse; ignotum sibi esse, quam partem Zentae Stephanus appetat, quum inferior „iam diu per Venetos possessa" sit; „de sale, quem petit posse levari facere de civitate Cathari", non posse in hoc ipsi „complaceri"; abstineat a „laboreria, que apud castrum Novum (Novi) fieri facere intendit pro conficiendis panis de lana", nam civibus Cathari damnosa esset.

Ljubić: Listine IX, 310.

DCCCLXXXVII. 1449, 2 Decembris, Hlivno.

Stephanus Thomas, rex Bosnae, potestatem facit Jacobo Testae inquirendi in Thomam et Eliam, qui quamdam pecuniam „in sacristia s. Mariae in Cetina" depositam furati erant.

Datum in castro nostro Hliuna die 2 men. Xbris 1449.

Lucić: Memorie di Traù, p. 450.

DCCCLXXXVIII. 1450, 17 Aprilis, Venetiis.

Oratoribus vojvodae Bosnae Stephani respondetur: dominium venetum semper fuisse amicum „despoti Rassie"; Polizam et Almissum vi conventionis cum vojvoda in potestatem Venetorum devenisse; quia Venetiis domus pro vojvoda nunc haberi non potest, assignantur eidem interea „duc. 60 singulis annis pro affictu"; libere extrahat „de Pago" sal pro duc. 5; „ad factum castelli, quod dicit edificari facere super territorio suo et circa denarios, quos habere debet a camera Catari", observentur pacta conventionis.

Ljubić: Listine, IX, 345.

DCCCLXXXIX. 1450, 11 Junii, Romae.

Nicolaus PP. V. Joannem episcopum constantiensem sedis apostolicae apud regem Bosnae nuncium et oratorem nominat.

Christus filius Dei . . . Dat. Rome apud s. Petrum anno incarnationis etc. MCCCCL tertio idus Junii, an. IV.

Ex reg. orig. an. IV. de Curia libr. XXVIII, fol. 38. *Theiner*: Monum. Hung. tom. II, p. 254.

DCCCXC. 1450, 13 Junii, Romae.

Nicolaus PP. V. Stephano Thomae, regi Bosnae et ceteris „personis, tam clericis quam laicis vere penitentibus et confessis, qui in eius exer-

citu fuerint pro defensione et hostium illius debellatione, omnium peccatorum remissionem indulget".

Debita ex charitate . . . Dat. Rome apud s. Petrum an. incarnationis dominice MCCCC idibus Junii an. IV.

Odor. Raynaldi: Annal. eccles. tom. IX, p. 554. *Farlati*: Illyr. sacr. tom. IV, p. 71. *Katona*: Histor. critic. r. Hungar. tom. XIV, p. 737.

DCCCXCI. 1450, 13 Junii, Romae.

Nicolaus PP. V. Joanni episcopo constantiensi, sedis apostolicae apud regem Bosnae legato, salvum conductum concedit.

Cum venerabilem fratrem . . . Dat. Rome apud s. Petrum an. incarnationis etc. MCCCCL idibus Junii, an. IV.

Ex reg. orig. an. IV de curia libr. XXVIII, fol. 60. *Theiner*: Monum. Hung. tom. II, p. 255.

DCCCXCII. 1450, 5 Julii, Novi.

Stephanus, herceg s. Sabae, profitetur se trecentos aureos, foenus sex millium aureorum, per comitem Radivoj Cicinić et Radić Grubković, a Ragusinis accepisse. Scripsit Stephanus Radić Grubković.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monum. serbica, p. 441.

DCCCXCIII. 1450, 13 Augusti, Ragusii.

Commune ragusinum gubernatori Hungariae Joanni de Hunyad nova de Turcorum invasione Albaniae et obsidione „Croiae civitatis Schanderbechi" nuntiat, rogatque, ut Ragusium commendet regi Bosnae et duci Stephano, quoniam „reipublice maxime conducit, ut cum ipsis vicinis bona in pace et amicitia vivat".

Gelcich: Diplomatarium p. 472—4.

DCCCXCIV. 1450, 13 Octobris, Vesela straža.

Bosnae rex Stephanus Thomas Venetiarum duci Francisco Foscari: „Pacem inter illustrissimum vestrum dominium et seren. regem Aragonum gratissimam habemus; eaque ut firma et stabilis sit, deum oramus".

Ljubić: Listine IX, 356.

DCCCXCV. 1450, 24 Octobris, Jajce.

Bosnae rex Stephanus Thomas ratam habet pacem inter venetum dominium et regem Aragonum, quia dux Franciscus Foscari etiam Bosnae regem specialiter ac nominatim inter suos amicos et confoederatos comprehendit.

Ljubić: Listine, IX, 356.

DCCCXCVI. Circa an. 1451.

Stephanus Vukčić depraedatur Konavlje territorium Ragusiorum.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monum. serbica, p. 442.

DCCCXCVII. Circa an. 1451.

Vladisav, herceg Stephani filius, fatetur se mutuo accepisse a Ragusinis quingentos aureos e deposito vojvodae Sandal.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monum. serbica, p. 443.

DCCCXCVIII. 1451, 16 Januarii, Romae.

Fr. Joannes Capistranus, vicarius generalis observantium, scribit fratribus bosnensibus, quod fr. Roberti a Licinio in vicarium electionem, nuper in capitulo bosnensi factam, approbare non possit; Bosnenses hortatur, ut interea sub regimine „vicevicarii" permaneant, donec in capitulo „proxime futuro" alius vicarius eligatur.

Pauculis elapsis . . . Dat. ex Aracaeli XVI Januarii MCCCCLI.

Ex regest. ordin. fol. 21. *Wadding*: Annal. minor. tom. XIII, p. 214.

DCCCXCIX. 1451, 26 Januarii, Romae.

Nicolaus PP. V. fratrem Franciscum a Lara ordin. eremitar. s. Augustini ad episcopum bosnensem remittit cum ampla instructione de iis, quae in Bosna pro augmento fidei et quiete totius regni agenda videantur. Significat, rem bosnensis regni a se duci Venetiarum commendatam esse, et innuit ut Sladoem capitaneum a sententia excommunicationis absolvat.

Venit ad praesentiam . . . Dat. Romae . . . die XXVI Januarii MCCCCLI. an. IV.

Farlati: Illyric. sacr. tom. IV, p. 72.

CM. 1451, 28 Januarii, Ragusii.

Rector cum consilio Joanni Okruglić oratori suo ituro in Hungariam committit, ut exponendo iniurias sibi per ducem Stephanum illatas requirat remedium, petatque mitti ad regem Bosniae et dictum Stephanum legatum, qui differentias enatas inter Ragusium et ducem componeret.

Gelcich: Diplomatarium, p. 475.

CMI. 1451, 19 Februarii, Farae.

Thomas episcopus „Farensis", apostolicae sedis in regno Bosnae legatus, fr. Joannem Capistranum, vicarium generalem observantium, de statu regni Bosnae informat, rogatque, ut regi faveat, „patrem vicarium regi et principibus regni catholicis gratissimum" iuvet, nam „in locis habitatis per haereticos statim, ubi fratres sunt, evanescunt haeretici, sicut cera a facie ignis"; item ne quosdam Dalmatiae conventus a vicaria bosnensi separari sinat etc.

Ut alias contuli . . . Dat. Farae die XIX Februarii MCCCCLI.

Wadding: Annal. minor. tom. XII, p. 112.

CMII. 1451, 14 Aprilis, Ragusii.

Rector cum consilio Sigismundo de Goze, suo oratori ituro in Hungariam, committit, ut via Spalati pergat in Bosinam ad regem Stephanum Thomam, atque in itinere quaerat banum Petrum, eique exponat

inimicitias ducis Stephani contra Ragusium; in Bosna vero exponat regi gravamina communis contra fatum ducem, quem velit admonere, ut cum Ragusio servet pacem; in specie ne mercatoribus ragusinis praecludat per suam terram vias in Bosniam. Idem exponendum habebit etiam regi Hungariae, qui si cum exercitu intraret in Bosniam facile poterit occupare „castellum Codiviet (?), qui nunc in manibus Turchorum existit".

Gelcich: Diplomatarium p. 488—503. »Codiviet« fors in locum »Goodinie«, Goodinje, pagus in districtu Sarajevensi.

CMIII. 1451, 29 Aprilis, Venetiis.

Oratoribus regis Bosnae, Stephano Klešić et Nicolao Jacobi Testa respondetur, quod castrum Ostrovize, quod „defecerat a comite Pircho", dominio veneto oblatum quidem fuerit sed ab eodem propter bonum pacis non acceptatum, ipsi nihilominus carum futurum, si in regis Bossinae manus devenerit; porro dominium promittit se despoto Rassiae, cui rex bellum inducere parat, auxilium non praestiturum; promptitudinem manifestat mittendi „ad Teucrum" legationem, ut ipse cum rege Bossinae „pacifice vivere" velit; rex libere eligat sibi unum e nobilibus Venetis, qui esset „eius negotiorum gestor" penes rempublicam.

Ljubić: Listine IX, 377.

CMIV. 1451, 22 Maii, Venetiis.

Oratoribus Stephani magni vajvodae Bossinae ad ipsius requisitionem, ut „propter discordiam vigentem inter eum et communitatem Ragusii per viam maris neutra partium offendatur", respondeatur „illis utilioribus et pertinentioribus verbis, que collegio videbuntur". Dabitur „opera cum Raguseis, quod non habebunt fustas aut aliam armatum in mari, nec per viam maris offendent dominum suum".

Communitati Ragusii scribitur, ne subditos comitis Stephani amplius in mari molestet, prouti non pridem, dum „capi fecerat armata manu navigium, in quo reperiebatur quidam ambasciator ipsius comitis cum magnis mercimoniis suis, quamvis fulcitus litteris nostris".

Ljubić: Listine, IX, 381.

CMV. 1451, 17 Junii, Ragusii.

Rector cum consilio gubernatori Hungariae Joanni Hunyadi scribit inter caetera: „quod omnem spem nostram habemus in deo et excellentia vestra et in adventu ipsius ad partes Bossine".

Gelcich: Diplomatarium, p. 505. Eodem sensu ad oratorem Sigismundum de Gozze, qui procuret, ut cum hungarico exercitu iungat rex Bosnae suum, et sic uniti intrent in regionem ducis Stephani, i. e. »in Drinam et Chelmum«. Ibid. p. 506—509.

CMVI. 1451, Junio, Romae.

Nicolaus PP. IV. Stephanum (Vukčić), comitem regni Bosnae, qui territorium ragusinum moto bello depraedatur, omnesque alios, ei auxilium praestantes, excommunicandos decernit.

Circa defensionem. Dat. Rome. MCCCCLI. v idus Junii an. v.

Theiner: Monum. Slavor. meridional. tom. I, p. 408.

CMVII. 1451, Ragusii.

Patri Michaeli ituro in Bosnam committitur, ut regi exponat una ex parte dolorem ob damna Bosnae per Turcas illata, alia ex parte laetitiam ob ipsorum e regno recessu. Exquirat, qualis relatio locum habeat inter regem et ducem Stephanum; narretque regi, ducem conspirare in diminutionem ipsius regni, atque despoto contra regem dedisse auxilium sub Srebernica, ita etiam Isabecho. Satagat regem cum filiis vajvodae Radosavi Pavlović reconciliare, ut contra inimicos suos fortior evadat.

Gelcich: Diplomatarium p. 511.

CMVIII. 1451, 17 Julii, Venetiis.

Provocantur veneti rectores Catari et alii in Dalmatia, ut de „facto Raguseorum, qui a duce Stephano et exercitu suo valde potenti stringuntur et satis opprimuntur", assiduas relationes exhibeant.

Ljubić: Listine, IX, p. 389.

CMIX. 1451, 15 Augusti, Drinalevo.

Comes Vladislav, filius ducis Stephani, et nepos comitis Vukac Hranić foedus init cum Ragusinis contra patrem suum, promittitque se iis župam Konavlje, a patre occupatam, redditurum esse. Scripsit c. Vladislav manu propria.

Dr. *Fr. Miklošić:* Monum. serbica, p. 444.

CMX. 1451, 23 Augusti, Venetiis.

Ad querelam ducis Stephani, quod Ragusaei eundem suis navibus offendere non cessent, ipsius oratoribus respondetur, dominium venetum iam coram Ragusaeis intercessisse sed nullum responsum obtinuisse; capitaneo quatuor galearum, quae „ad partes Levantis" iturae sunt, committitur, ut dictos oratores „ad buccam Catari" deponant. Eligitur orator „ad communitatem Ragusii, qui vadat cum illa commissione, que videbitur isti consilio".

Ljubić: Listine IX, p. 398.

CMXI. 1451, 21 Septembris, Romae.

Nicolaus PP. V. fr. Eugenium Somma ad regna „Albaniae, Bulgariae et Rassiae" suum nuncium et commissarium deputat, cum potestate „libros, vestes, calices, ornamenta ecclesiastica et alia sibi necessaria a conventu Durachii mutuo accipiendi".

Dum salubria. Dat. Romae apud s. Petrum anno etc. MCCCCLI XI kal. Octobris an. V.

Ex libr. 34 bullar. f. 60. *Wadding*: Annal. minor. tom. XII, p. 106.

CMXII. 1451, 8 Novembris, Venetiis.

Oratoribus ducis Stephani exprimitur displicentia dominii veneti contra „insolentiam Raguseorum propter illa specialiter, que tam inhoneste contra personam ipsius innovarunt"; ob „hiemem et conditiones pre-

sentis temporis" differi decisum ad propositionem ducis, expectarique uberior expositio ipsius intentionis.

Ljubić: Listine, IX, 403.

CMXIII. 1451, 27 Novembris, Venetiis.

Veneto oratori apud pontificem, Tridano Gritti, relate ad „apostolicum monitorium" dominio per Ragusinos praesentatum, „quo universos Christi fideles requirebat, ut assisterent dictis Ragusiensibus et duci Stefano bellum ipsis inferenti nullum praestarent favorem", datur in commissis, ut exponat, dominium cum duce Stephano, qui „per longum vie spacium confinat et circuit territorium nostrum Dalmacie et Albanie", in pace vivere, egisseque de „tractanda et procuranda pace" inter Stephanum et Ragusium.

Ljubić: Listine, IX, 404.

CMXIV. 1451, 7 Decembris, Venetiis.

Oratoribus ducis Stephani respondetur, nihil „de novo in materia illa" posse deliberari; tempus et duci et dominio veneto „melius consulet".

Ljubić: Listine, IX, 410.

CMXV. 1451, 18 Decembris, Bobovac.

Stephanus Thomas, rex Bosnae, foedus init cum Ragusinis contra ducem Stephanum Vukčić. Rex cum filio Stephano iurat coram legato romano, episcopo pharensi Marino. Testes: voevoda Petrus Vojsalić, voevoda Vladisav Klešić, c. Stephanus Bioničić, c. Radić Mozolić, c. Joannes Šantić, c. Tvrtko Kovačević, c. Vladislav Vukčić, pristav c. Vladisav Vuković, protovestiarius c. Restoe, qui et scripsit.

Dr. *Fr. Miklošić:* Monum. serb. p. 447.

CMXVI. 1452, 11 Martii, Venetiis.

Oratoribus ducis Stephani, qui veneto dominio Ragusium, „si aquireretur", erga Almissam et Polizam et cc mille duc. de depositis in Ragusio existentibus" obtulit, respondeatur: se hac in re nihil deliberare posse, praesertim cum dominium ob complicationes in Italia semper paratum stare debeat.

Ljubić: Listine IX, 411. Eodem sensu die 31 e. m. respondetur. Ibid. p. 413.

CMXVII. 1452, 25 Martii, Vrutar.

Voevoda Ivaniš, filius comitis Vlatko, et eiusdem patruelis c. Thomas, filius c. Nicolai, item c. Marcus et c. Žarko et c. Radivoj, et c. Andreas et c. Bartholomaeus et c. Thadaeus, omnes fratres voevodae Ivaniš, et c. Paulus, filius voevodae Petri, ineunt foedus cum Ragusinis contra ducem Stephanum Vukčić. Scripsit Radić diac. Vukičević.

Dr. *Fr. Miklošić:* Monumenta serbica, p. 451.

CMXVIII. 1452, 25 Martii, Vratar.

Ragusium foedus init cum Ivaniš, vojevoda Chlmensi, et ipsius consanguineis contra ducem Stephanum Vukčić. Scripsit logotheta Nikša Zvezdić.

Miklošić: Monum. serbic. p. 453.

CMXIX. 1452, 28 Aprilis, Venetiis.

Comiti Spalati Victori Delphino committitur, ut ad requisitionem ipsi per ducem Stephanum ac etiam per homines Narente et Craine factam, ut eos ad nostram obedientiam acceptaret simul cum aliis locis, que Ragusei occupare nituntur, „locum Narente et Craine ac alia loca dicti ducis, que sponte ad nostram obedientiam et subiectionem venire voluerint, in dei nomine acceptet".

Ljubić: Listine IX, 415. Similiter 9 maii e. a. Ibid.

CMXX. 1452, 3 Junii, Venetiis.

Oratoribus regis Bossinae et comitis Vladislai, filii ducis Stephani „in negociis Craine et Narente" respondeatur, loca illa per venetum dominium ad requisitionem ducis Stephani, illorum „veri et indubitati domini", et vocatum a populis illorum locorum, acceptata fuisse; unde mirum esse, quod rex Bossinae, excitatus a Ragusaeis, „repente exercitualiter se moverit contra gentes nostras ad impediendum impresiam nostram".

Ljubić: Listine IX, 421.

CMXXI. 1452, 13 Junii, Venetiis.

Oratoribus ragusiensibus respondeatur, quod venetum dominium, utpote Ragusinis semper amicum, illorum inimicis aures praebere noluerit etiam „in hoc bello, quod habuerunt cum duce Stefano"; item „quod dux Stephanus" ipsi „expresse dederit loca sua Narente et Craynam", annuente quoque ipsius filio Vladislao; „unde rectores nostri miserunt gentes nostras ad accipienda loca predicta, et pacifice ipse nostre gentes habuerunt totam Craynam, habuissent etiam Narentam, nisi fuissent impedimenta et obstacula ad instantiam" Ragusinorum „apud regem Bossinae, comitem Vladislavum" et alios dominos partium illarum; et nisi ipsi Ragusini armatas naves misissent „contra iurisdictionem, quam in hoc mari et culpho habemus".

Ljubić: Listine IX, 423. Die 26 e. m. datur Carolo Mauroceno »ituro ad regem Bossine« commissio de removendis obicibus circa occupationem Narente et Crayne. Ibid. p. 425. Rex Bosnae promittit oratores, Venetias ituros ad componendam litem. Ibid. p. 449.

CMXXII. 1452, 1 Julii, Romae.

Nicolaus PP. V. Vladislao „Clessich" „voivode" regni Bosnae, significat se pacem, quam cum Stephano rege Bosnae inierat, confirmare.

Sincere devotionis ... Dat. Rome apud s. Petrum an. MCCCCLII. kal. Julii, an. VI.

Ex reg. orig. an. VI. de Curia libr. XXXVII. fol. 140. *Theiner*: Monum. Hung. tom. II, p. 265.

CMXXIII. 1452, 1 Julii, Romae.

Nicolaus PP. V. pacem, quae inter Stephanum Thomam, regem Bosnae, ex una, et „Petrum Georgii Voysalich, voivodam partium inferiorum Bosne“ ac „Stephanum“ ex altera parte, agentibus Thoma, legato apostolico et Nicolao de Apulia ac Marino de Canali, ordinis minorum, custodibus vicarie, factam confirmat; mandatque insuper episcopo, vicario Bosne ac custodibus, ut dictam pacem et concordiam inviolabiliter observari faciant.

Illius licet immeriti. Dat. Rome apud s. Petrum an. etc. MCCCCLII, kal. Julii, an. VI.

Ex reg. orig. an. VI de curia libr. XXXVII, fol. 64. *Theiner*: Monum. Hung. tom. II, p. 265.

CMXXIV. 1452, 1 Julii, Romae.

Nicolaus PP. V. Thomam, episcopum „Farensem“ apud regem Bosnae et rempublicam ragusinam suum legatum a latere constituit, iniungitque ei, ut pacem inter Stephanum, ducem s. Sabae, comitem Duinensem, et rempublicam ragusinam componat.

Dum eximie fidelitatis. Dat. Rome apud s. Petrum an. etc. MCCCCLII. kal. Julii, an. VI.

Ex reg. orig. an. VI de curia libr. XXXVII. fol. 138. *Theiner*: Monum. Hung. tom. II, p. 265.

CMXXV. 1452, Ragusii.

Rector et consilium Joanni Hunyadi de inimicitiis ducis Stephani referunt. „Circa finem mensis Junii proxime delapsi comes Stephanus, coactis undique viribus, tam suis quam ceterorum aliorum dominorum de Bossina, valido cum exercitu in territoria nostra irruit, et occupata primum contrata nostra Canalis, mox sua castra in Breno posuit, ubi domos, vineas et arbores igne feroque vastavit; et demum dissipatis gentibus nostris, que non longe a civitate nostra locum quemdam custodiebant, cedibus hominum inieciit . .“, ne ecclesiis pepercit.

Gelcich: Diplomatarium p, 517.

CMXXVI. 1452, 4 Augusti, Venetiis.

Petrus „vaivoda in partibus inferioribus regni Bossine“ mittit oratores „pro parte domine Boglie Zacharie socrus sue“, quae cum Boxa matre sua „se recommiserant cum terris suis“ dominio veneto, consignando Francisco Quirino, tunc comiti Scutari, „Dagnum cum suo castro, Satum, Gladri, Malisium, Rogami et Dusmani cum eorum districtibus“, reservando sibi tres villas: Zaravina, Pistoli et Schiexi ac Meristi“.

Ljubić: Listine IX, 440.

CMXXVII. 1452, 13 Augusti, Ragusii.

Rector cum consilio oratoribus suis penes despotum Rassiae, Blasio de Ragnina et Jacobo Marini de Gondola, ad ipsorum litteras in Sme-

derevo die 31 Julii datas rescribit, intellexisse cum gaudio, quod despotus paret bellum contra ducem Stephanum („questo perfido ereticho et patarino".)

Gelcich: Diplomatarium p. 514.

CMXXVIII. 1452, Ragusii.

Rector cum consilio Joannem Hunyadi rogant, ut comitem Ciliae et alios dominos Hungariae impediat ab inferendo bello vajvodis Vladislao et Petro Vojsalić, qui socii Ragusii aggressi sunt ducem Stephanum.

Gelcich: Diplomatarium p. 519. Joannes obsecundavit petitioni Ragusii. Ibid. p. 526.

CMXXIX. 1452, 22 Decembris, Venetiis.

Oratoribus regis Bosnae, qui manifestum fecerunt, quod rex velit „relinquere in manibus Venetorum loca Narente et Craine erga satisfactionem", conceditur, ut dicant, quid petant. Circa colloquia regis cum despoto Rasciae de pace exponat ipse suam de hocce negotio mentem.

Ljubić: Listine IX, 456.

CMXXX. 1452, 30 Decembris, Ragusii.

Fr. Marcus a Bononia potestatem facit fr. Jacobo de Marchia eundi in Dalmatiam et Bosnam ad verbum Dei contra haereticos ibidem praedicandum.

Cum tanta vis . . . Dat. Ragusii provinciae Dalmatiae penultimo Decembris MCCCCLII.

Ex regest. ordin. fol. 4. *Wadding:* Annal. minor. tom. XII p. 149.

CMXXXI. 1453, 16 Januarii, Venetiis

Ludovico de Canali camerario Cathari committitur, ut Stephanum ducem s. Savae adeat, persvadeatque, ut contentus sit, quod dominium venetum Narentam habeat, quam „rex Bossine per suos oratores obtulit" ipsi dominio.

Ljubić: Listine, X, 1.

CMXXXII. 1453, 26 Januarii, Jaderae.

Fr. Marcus a Bononia Stephanum Thomam, regem Bosnae, qui decrevit, ut populus alimenta daret fratribus, et qui dare nollent, ad id cogerentur, rogat, ne populus ad id praestandum ullo modo cogatur, et fratribus alia ratione provideatur.

Illustrissime atque clementissime rex! Tuae sacrae maiestati det omnipotens continuum regni incrementum prosperosque ad vota successus. Ut maiestati tuae saepius scribam, facit mea incredibilis de te opinio et humanitatis et devotionis. Continua bonorum fratrum minorum sollicitudo est, ut statum suae professionis semper et ubique servare possint. Sed cum intellexi, maiestatem tuam pro sua singulari devotione provisionem fecisse, ut a suis populis vel voluntarie vel invite fratribus nostris victui necessaria tribuantur, et mihi et patribus Bosnae visum est atque diffinitum. statui nostro nulla ratione convenire illud, quod tua sollicita devotio fratribus impendere curat; hoc enim si tolerabimus, ceteris nostris

provinciis ac patribus erit non modo grave, verum etiam molestissimum atque acerbissimum; facere ipsi nolumus, quae in aliis facta reprehenderemus, quia servitia coacta Deo non placent. Quare magis magisque tuam sacratissimam devotissimamque maiestatem precor, ut subditi tui libero benefaciendi fruantur arbitrio, et fratribus in tuo regno degentibus, qui te solum gubernatorem, defensorem, nutritoremque suum appellant, aliter provideatur. Quos ego tuae sacrae maiestati, in visceribus Christi Jesu, per sanguinem ipsius, quantum scio, possum et valeo, sicut filios meos dilectissimos commendo, quamvis tua ipsa sacra maiestas, singularisque devotio non egeat commendatione nostra. Valeat tua serenitas. Ex loco nostro s. Crucis apud Jaderam XXVI Januarii MCCCCLIII.

Ex regest. ordin. Marci bononien. fol. 4. et apud *Wadding*: Annal. minor. tom. XII, p. 169.

CMXXXIII. 1453, mense Februario, Ragusii.

Gubernatori Hungariae nunciatur, „Teucros ad requisicionem comitis Stephani venisse ad numerum 2000 in predas et damna contra filium eiusdem comitis Stefani in loca Chelmi", quae Ragusio vicina sunt . . . et comes Stephanus similiter cum universa eius potentia loca ipsa Chelmi hostiliter invasit . . ."

Gelcich: Diplomatarium p. 530.

CMXXXIV. 1453, 6 Martii, Ragusii.

Oratoribus ragusinis apud despotum Rasciae, Jacobo Marini de Gondola, Pasquali de Sorgo, Aloysio de Resti et Damiano de Zorzi, scribitur, Vladislavum filium ducis Stephani et episcopum pharensem Thomam commorari Rugusii, tractarique de pace cum duce ineunda; Stephanum cum alio filio Vlatco et gost Radin aliisque nobilibus via Canalis transivisse die 2 curr. in Novi.

Gelcich: Diplomatarium p. 531.

CMXXXV. 1453, Ragusii.

Oratoribus penes despotum Rasciae, Jacobo Marini de Gondola, Paschali de Sorgo, Aloysio de Restis et Damiano de Zorzi notum redditur, quod comes Vladisavus, filius ducis Stephani, una cum episcopo pharensi, legato apostolico, fuerit Ragusii; et quum Stephanus aggregatis sibi Turcis Vladislavum ad castellum Novi in Chelmo debellaret, ipsi sponderit pacem; quem in finem Ragusio misit oratorem suum ad patrem in „Novi Drazevizae". Dux Stephanus intendit mittere legatos ad novum regem Hungariae, ut ab ipso confirmationem privilegiorum expetat. Despotus agat apud comitem Ciliae, ut dictos legatos inviet, quatenus Stephanus ante omnia pacem ineat cum Ragusio et suo filio Vladislavo.

Gelcich: Diplomatarium p. 528.

CMXXXVI. 1453, 19 Julii, Piva.

Stephanus, dux s. Savae, coniugi Helenae et filio Vladislavo, sociisque eius, qui ipsi infideles erant, ignoscit, in specie: vojvodae Sladoje Sem-

ković, comiti Georgio Ratković, vojvodae Ivaniš Jurjević et comiti Vukašin Sanković. Scripsit diac. Božidar.

Miklošić: Monum. serbica p. 457. Aliis litteris filium Vladislavum in gratiam recipit. Ibid. p. 460.

CMXXXVII. 1453, 19 Julii, Romae.

Nicolaus PP. V. Thomae episcopo „Farensi" in regno Bosne et Croatie provinciaque ragusina sedis apostolice legato, praecipit, ut praehabitis informationibus, „loca Ragusii et Daxe existentia vicarie bosnensi" perpetuo uniat et incorporet.

Apostolice nobis . . . Dat. Rome apud s. Petrum anno etc. MCCCCLIII. XIV. kal. Augusti an. VII.

Reg. vatican. orig. an. VII. de curia libr. XLII. bullarum fol. 180. *Wadding*: Annal. minor. tom. XII, p. 584. *Theiner*: Monum. Hung. tom. II, p. 266.

CMXXXVIII. 1453, 16 Augusti, Ragusii.

Stephano de Radulino, ituro ad regem Ladislaum, committitur, ut rempublicam excuset, quod ob damna et expensas habitas occasione belli cum duce Stephano non miserit legationem; intercedat, ne Stephano, si oratores mitteret, quidquam concedat, donec pacem, de qua agitur, cum Ragusio non inierit; procuret, ut banus Croatiae, si necesse fuerit, Ragusio asistat.

Gelcich: Diplomatarium p. 534. Opem bani Croatiae petunt etiam litteris ad regem directis. Ibid. p. 540.

CMXXXIX. 1453, 5 Novembris, Venetiis.

Oratoribus ducis Stephani respondetur: dominium venetum laetari, quod comes Vladislaus ad obedientiam patris redierit; libenter missurum se legationem ad nuptias eiusdem comitis; gratias agi, quod dux respuerit foedus cum Hungaris contra Venetos; Craynam velle se cedere duci reconciliatione Stephani cum filio Vladislao peracta; salis evectio conceditur; rogant, ne dux insistat petitioni, „quod mercationes, que portantur et extrahuntur de castro novo (Novi), non solvant datium sive gabellam Catari"; injungetur comiti Spalati, ne rebelles ducis recipiat; 600 ducati annue duci solvendi „a camera Catari"; Radoe Vainovich de Crayna, qui Spalati detinetur, ad ducis requisitionem liber declaratur.

Ljubić: Listine X, 19. Die 21 Novembris electus Antonius Quirini »orator ad nuptias«. Ibid. 23 designantur dona. Ibid. p. 24. Anno 1455, 22 Martii eligitur orator ad nuptias unius filii ducis Stephani, qui „accepit uxorem quandam neptem comitis Cilie". Ibid. 55. Sponsis ducis Stephani, dum Jaderam cum galeis venetis appulerant, exhibetur honor. Ibid. 60.

CMXL. 1454, 26 Januarii, Ragusii.

Oratoribus ituris ad regem Ladislaum, Jacobo Marini de Gondola, Nicolao Saraceni de Bona et Paladino de Lucaris, committitur, ut exponant damna, quae Ragusium in bello cum duce Stephano perpessum est; adeant etiam, si possibile est, in cursu itineris regem Bosnae, quem rogent, ut si cum duce Stephano inierit pacem, includat quoque Ragusium.

Gelcich: Diplomatarium p. 541.

CMXLI. 1454, 18 Martii, Venetiis.

„Stefano duci s. Save“ ad ipsius litteras datas Po(d)blati 20 Januarii „de parte Cetine et aliarum terrarum et locorum, quae sunt filiorum olim bani Petri“ rescribitur, quod ad requisitionem castellani Clisii et aliorum castellanorum post mortem Petri, nomine filiorum eiusdem bani, Clisium, Ifsignum, Zazuinum et Petrovaz sub protectionem dominii veneti recepta sint, „donec ipsi pueri ad 18 annum pervenerint, non intelligendo ullo modo hanc recommendisiam contra regiam maiestatem et inclitum regnum Hungarie“.

Ljubić: Listine X, 29.

CMXLII. 1454, 25 Martii, Bononiae.

Fr. Marcus a Bononia, vicarius generalis observantium, accepto nuncio de nece fr. Georgio „Haramich“ sacerdoti et fr. Adriano converso, in villa „Pudinae“ regni Rasciae illata, fratres in eodem regno trepidantes datis litteris consolatur atque hortatur, ut pro fide tutanda forti sint animo, neque loca illa, quae adhuc nostra sunt, deserant, nisi magna eos vis compellat.

Ob atrocissimam. Dat. ex loco nostro Bononiae XXV Martii MCCCCLIV.

Ex regest. ordin. fol. 16. *Wadding*: Annal. minor. tom. XII, p. 215.

CMXLIII. 1454, 10 Aprilis, Novi.

Stephanus dux s. Sabae cum Ragusinis pacem componit. Jurant filii ducis: comes Vladisav et c. Vlatko, item primores vojvoda Sladoe Semković, c. Radić Stepković, vojvoda Ivaniš Vlatković, vojvoda Marko Grgurević, c. Radovan Vardić, c. Ružir Divčić, c. Paulus Dražoević, c. Ranko Pribčić, c. Georgius Čemerović, c. Ivan Vardić, vojvoda Radić Pribisalić, c. Vukman Jugović. Scripsit diac. Radivoj Dobrišević.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monum. serbica, p. 465.

CMXLIV. 1454, 15 Julii, Ragusii.

Vojevoda Petrus et comes Nicolaus, filii vojevodae Radosav, inito consilio cum superioribus ecclesiae bosnensis et primoribus suis, privilegia, quae maiores eorum Ragusinis concesserant, confirmant. Jurant c. Radosav Obradović, c. Paokun Zemlić, vojvoda Radoe Živiničić, c. Vukić Diničić, c. Radić Čipčić, c. Georgius Radosalić, c. Radić Pribinić, c. Georgius Dragičević, c. Vukmir Borovinić, c. Vukas Vladimirić, c. Michael Divčić, c. Radivoj Branković.

Commune ragusinum accepit ab eisdem Petro et Nicolao depositum.

Miklošić: Mon. serb. p. 469. *Pucić*: Споменици српски, p. 469.

CMXLV. 1454, 2 Novembris, Ragusii.

Jacobo Petri de Bona oratori committitur, ut in itinere, si possibile est, adeat ducem Stephanum et filios, item vojvodam Petrum Pavlovich et comitem Nicolaum, eiusdem fratrem, tum Petrum Chovazevich, ipsisque res ragusinas commendet; regi Hungariae notam faciat pacem cum duce Stephano initam.

Gelcich: Diplomatarium, p. 557.

CMXLVI. 1455, 8 Martii, Venetiis.

Oratori regis Bosnae Nicolao Testa ad propositionem regis, ut quum comes Ciliae ambiat Venetis erripere Dalmatiam, ipsi occupent castrum Tnine, „quod est caput aut principalis locus Croatie", utque, si hoc nollent, heredes comitis Pirchi permoveant ad dandum illud regi Bosnae, respondeatur, quod Veneti, „ne nova suboriatur causa dissensionis" cum corona Hungariae, castrum Tnine occupare non possint; paratos se tamen enunciant persuadere haeredibus bani Pirchi, quo illud castrum regi Bosnae tradant, „tenentes indubie, quod existente illo in manibus sue serenitatis, reputare poterimus ipsum esse in manibus nostris".

Ljubić: Listine X, 46.

CMXLVII. 1455, 23 Martii, Ragusii.

Regi Hungariae: „compertum habemus, ducem Stephanum Bosne, vicinum nostrum, ad maiestatem vestram oratores transmissurum esse"; non credat ipsis, si Ragusinos „obloquerentur"; moneat ducem, ne ipsos iniuriis afficiat.

Gelcich: Diplomatarium p. 574. Litteris 24 Aprilis quaerela contra Stephanum, qui nil aliud molitur, nisi ut Ragusinos »dolis capiat«, movetur. Ibid. p. 578.

CMXLVIII. 1455, 31 Martii, Venetiis.

Ad requisitionem oratorum ducis s. Savae Stephani „conceditur una ex galeis venetis subtilibus".

Ljubić: Listine X, 55.

CMXLIX. 1455, 30 Aprilis, Romae.

Calixtus PP. III. audito „Nicolao Jacobo Testa, oratore regis Bosne" et consideratione ipsius Stephani Thomae, regis Bosne, inhibet, ne „Gorzula et Priglium apud Spalatensem, et insule Grapan apud Sibenicensem et Pasman ac Veglani nec non Novi apud Jadrensem civitates, domus sive loca dicti ordinis partium Dalmatie" a vicariatu Bosne ullo modo separentur.

Dum fructus uberes . . Dat. Rome apud s. Petrum anno etc. MCCCCLV. pridie kal. Maii an. I.

Reg. orig. an. I. de curia libr. I. fol. 28. *Theiner*: Monum. Hung. tom. II, p. 271.

CML. 1455, 30 Aprilis, Romae.

Calixtus PP. III. Stephanum Thomam, regem Bosnae „ac comitem Stephanum, natum suum et heredes ac omnem familiam presentem et posteram cum civitatibus, castris etc." sub apostolicae sedis protectione suscipit.

Dudum tua . . . Dat. Rome apud s. Petrum an. etc. MCCCCLV, pridie kal. Maii, an. I.

Ex reg. orig. an. I de curia libr. I fol. 28. *Theiner*: Monum. Hung. tom. II, p. 272.

CMLI. 1455, 30 Aprilis, Romae.

Calixtus PP. III. regi Bosnae promittit, bello turcico feliciter confecto, civitates aliaque loca, a Turcis vel aliis baronibus, qui a fidelitate defecerant, occupata eidem „regi ac Stephano filio . . . ac cunctis posteris et haeredibus“ suis restitutum iri.

Dat. Romae apud s. Petrum an. incarnationis dom. 1455 pridie kal. Maii, an. I.

I. S. Assemani: Kalendar. eccl. univers. tom. V, p. 85.

CMLII. 1455, 22 Maii, Viennae.

Ladislaus, rex Hungariae, Stephanum „Zandalii“ vojevodam Bosnensem hortatur, „ut cum civitate Ragusiensi viveret in pace“ neque ei quidquam mali inferat vel bellum in eam moveat.

Datum Wyenne feria quinta proxima ante festum Penthecostes anno . . . MCCCCLV . . .

P. Matković: Starine libr. I, p. 161. *Ljubić*: X, 59.

CMLIII. 1455, 21 Junii, Jaurini.

S. Joannes Capistranus Callixto PP. III. scribit de litteris per nuntios s. sedis allatis, magnatum Hungariae conventu, Turcorum in Rascia progressu; svadet bellum Turcis terra marique inferendum; exponit promptum ad hoc animum Johannis de Hunyadi aliorumque magnatum; proponit foedera hoc fine cum principibus exterris ineunda etc.

Beatissime pater! Ad sanctorum pedum humiliter deosculanda vestigia provolutus. Licet superioribus diebus ad sanctitatem vestram binas dederim litteras, non tamen praeteribo, cum facultas tabellariorum se offerat, quin ad beatitudinem vestram scribam ea praesertim, quae et Dei et tuae sanctitatis honorem concernere sentio. Venerunt nuper huc ad me duo a sede apostolica nuntii, unus Rodulphus nomine, reverendissimi domini Januensis familiaris, litteras deferens a sanctitate tua; alter vero Capellectus, cursor reverendissimi domini Firmani, ut asserit a sacro collegio reverendissimorum dominorum cardinalium litteras habens, enunciantes electionem Spiritus sancti, quia scilicet divina dispositio te patrem sanctum elegerit in verum Christi vicarium pro sancta fide catholica non tantum conservanda verum et augenda. Hic enim cum maior pars baronum inclyti regni Hungariae congregata esset pro communi concordia inter eos componenda, intuentes literas huiusmodi, maximo repleti sunt gaudio et laetitia huic divinae voluntati congratulantes vehementer. Verum non sine invidia fuit et murmure, quod in coetu tantorum dominorum aliquibus minoribus ex parte tuae sanctitatis praesentatae sint litterae et potissimis fere eiusdem regni datae non sint, episcopo scilicet Quinqueecclesiensi, episcopo varadiensi et quibusdam dignioribus regni baronibus. Huic autem rei facile pro arbitrio sanctitatis tuae provideri poterit. Deinde sanctitati tuae dolens significo, quod hodie festinavit tabellarius specialis ad hoc directus ad despotum Rassiae, qui hic cum his dominis et baronibus, anhelat ab eis subsidium et defensionem dominii sui, denucians ipsi despoto et baronibus nefandissimum nominis Christi hostem Maho-

meth Turcarum imperatorem occupasse potissimam Rasciae civitatem, Nobordam (Novoberdo) nomine, ubi auri et argenti fodina est, quae domino suo annuatim, ut ferunt, centum et viginti millia ducatorum reddebat; ceteras vero civitates et oppida omnia ad exterminium esse vallata. Terret omnes, beatissime pater, tantorum flagitiorum commissorumque scelerum, et quod avertat divina pietas, in dies magis patrandorum solus quidem auditus; et non frustra dubitatur, quod si de remedio opportuno cito non provideatur, res in peiorem exitum evadet. Quare beatissime pater, cum tibi a Deo data sit potestas, quemadmodum sancte instituisti, prosequere, ut sancta fides catholica effectu sortiatur conservationem et augmentum. Certum equidem habeo, quod non ad aliud te Deus servavit in hoc tempus provehendum, nisi ut necessario tempore parata conserves, deperdita restaures et male se habentia membra ad integrum corpus tua virtute et una redigantur. Scripseram pridie tuae sanctitati, quod serenissimum regem Aragonum spiritualibus et temporalibus armis ornares, et quamvis excellenter potens existat, adhuc tua sanctitas potentiorem efficeret; opus quidem esse puto ac nimis opportunum, ut ne dum per mare, sed etiam per terram huic perfido Christi hosti et resistatur viriliter et fortius confligatur. Cum enim hac die colloquium cum istis dominis praelatis et baronibus habuissem, magnificus et excellens dominus Joannes, hactenus gubernator, comes bistricensis, se primum obtulit suis sumptibus et expensis positurum in armis et in exercitu decem millia equitum, suo arbitrio electorum; dixit insuper, quod serenissimus dominus rex Ladislaus, pro toto residuo regni Hungariae parabat viginti millia; despotus autem Rasciae, quamvis valde damnificatus sit, obtulit se paratum decem millia, licet in sua fide perduret. Incumbit tamen nobis periculis nostris salubrius consulere et de opportuno remedio providere. Processit magnificus Joannes praefatus ad ulteriora colloquia dicens, quod si sanctissimus noster papa mitteret sibi viginti millia equitum et serenissimus rex Aragonum decem millia, cum dux Burgundiae offerat se venturum cum decem millibus equitum et decem millibus peditum, et sic omnibus computatis essent centum millia, confidit ipse Joannes intra tres menses tantum conflictum contra Turcam inferre, quod in Europa locus non erit, ubi reclinare valeat caput, maxime cum ipse ad unguem cognoscat potentiam Turcorum, ceterorumque infidelium, ac medullitus intelligat cum huiusmodi rationem bellandi. Proinde in praesentia omnium istorum dominorum et baronum hoc asseruit hodie, quod cum tanto numero armatorum speraret etiam recuperare Jerosolymam, nec peteret stipendia pro praedictis equitibus, nisi pro tribus mensibus. Expediret equidem, quod sanctitas tua aliqualem cardinalem destinaret ad partes istas tanquam residentem tali exercitui cum sufficienti pecuniarum summa. Vel si tuae sanctitati rem hanc committere videatur reverendissimo domino cardinali strigoniensi, cum virtute, providentia et consilio plurimum valeat, bene ut reor consultum esset. Obtulit insuper se ipse Joannes, si omnes bellatores sint, non pueri sed viri strenui et in armis experti ad persequendum Christi hostes idonei, per annum, et annos, si opus esset, cum tali exercitu perseverare, nec alia stipendia requirere; confidens quod de bonis et dominiis ipsius Turcae conquireret, quod talem etiam eiusdem Turcae etiam stipendiis abundantius communiret.

Tali igitur modo serenissimum regem Aragonum per mare decertando et ipsum Joannem per terram, firma spes esse posset et recuperandi deperdita et acquirendi dominium debitum principibus christianis, nec non et possidendi divitias infidelium cum ampla dilatatione sanctae catholicae fidei orthodoxae ad aeternam gloriam et immortalem tuae sanctitatis nominis laudem et memoriam sempiternam. Tua igitur sanctitas, beatissime pater, quid in his agendum sit, decernat, quam conservet altissimus ecclesiae suae sanctae, et populo christiano per tempora longiora, cui me et ordinem nostrum supplex commendo. Jauarini, oppido Hungariae regni, 21 Junii 1455. Excelsae sanctitatis tuae vermiculus ac indignus servulus licet fidelissimus orator: Fr. Joannes de Capistrano.

Ex Mss. aracaelitan. operum s. Joannis a Capistrano tom. V, vol. III, p. 174.

CMLIV. 1455, 4 Julii, Jauarini.

S. Joannes a Capistrano Calixto III scribit de animo despoti Rasciae catholicis infenso, de eius nepte more catholico baptizata et confirmata, de privilegio a Nicolao V. eidem despoto concesso; quibus additur elenchus earum iniuriarum, quae Rasciani catholicis Bosnensibus in dies causare dicuntur.

Beatissime pater, ad sacrorum pedum humiliter osculanda vestigia venio. Non satis aequo animo ferre possum, beatissime pater, discidentes atque dilacerantes tunicam inconsutilem domini nostri Jesu Christi, maxime pro meo in unicam sanctam ecclesiam, sponsam Jesu Christi, officio, fide et observantia. Eo me siquidem ratio compulit et coëgit ad scribendum, nam cum proximis diebus collocutus essem cum despota Rasciae, qui hic a dominis et baronibus huius regni Hungariae auxilium pro tutandis dominiis suis et recuperandis deperditis postulabat, inveni eum adeo male sentientem de fide catholica, et in erroribus suis pertinaci duritia perseverantem, quod in omnibus nobis Christicolis maxime est dolendum, salutique ipsius condolendum, atque fidei nostrae impensius studendum. Consideret igitur sanctitas vestra in sequentibus articulis, qualis sit et quam bene de se sperandum velit, et quos patitur in regno suo, et quae permittit et defendit et servare intendit invitis quibusque. Haec autem mihi per fide dignos relata et in scriptis de se et suis consignata sunt, videlicet: violenter christianos catholicos arripiunt baptizando eos invitos, qui nollent auferendo eis eorum bona. Additur his nefandum, et maxime cum in detestationem et contemptum sanctae fidei nostrae catholicae perpetrarunt. Est namque quaedam neptis dicti despoti, filia filiae eius et filia magnifici comitis de Cilia, quae nupta est filio serenissimi ac excellentissimi cultoris ac defensoris christianae religionis domini Joannis de Huniad, olim gubernatoris Hungariae; quae quidem puella, dum nata esset inter catholicos et a patre catholico baptizata secundum ritum sanctae romanae ecclesiae, postea gratia consolationis et gaudii ad dictum despotum avum delata est per matrem suam, qui tanquam romanae ecclesiae inimicus, more suo detestabili, eam rebaptizari fecit, et per successum temporis cum suis perfidis calogeris et societate magna eandem misit ad praefatum dominum gubernatorem regni Hungariae omnibus studiis enitens, ut secundum mores suos prae-

dicta puella enutriri et elevare (sic) deberet in curia praedicti gubernatoris. Sed factum est virtute atque prudentia dicti gubernatoris, ut omnes illos schismaticos paulatim repellens, et praedictam nurum suam educari et coalescere curaret; quae profecto puella devotissima nunc et christianissima est, annum decimum tertium attingens, quam hodie confirmatam esse studuimus pariter per reverendissimum dominum cardinalem archiepiscopum strigoniensem, ut mandat et tenet sancta romana ecclesia.

Praeterea non ex bona informatione a felicis recordationis Nicolao papa, praedecessore vestrae sanctitatis, impetravit bullam non satis dignam, cuius copia his alligatur. Cuius praetextu praedicat fidem suam optimam esse et confirmatam a sede apostolica et multis argumentis dilatat fimbrias suas vigore huius. Gloriatur proinde habuisse a praefato praedecessore vestrae sanctitatis bullam aedificandi novem loca in regno Hungariae, ubi manutenere vult calogeros graecos, qui omnino dicunt Spiritum sanctum non procedere scilicet a filio; qui negant purgatorium esse, qui inficiantur animas quorumcunque sanctorum nullam gloriam usque ad diem iudicii habere; nec animas quorumcunque damnatorum aliquam poenam pati usque ad iudicium, et multa alia, quae longum esset enarrare.

Quod cum ita sit, sanctissime pater, humiliter supplico vestram sanctitatem, ut cum divina sapientia exigentibus temporibus elegerit sanctitatem vestram non solum servatricem sed auctricem religionis christianae et sanctae fidei catholicae, dignetur beatitudo vestra his malis et erroribus providere, ne accrescentibus peccatis et iniquitatibus nostris ad peiora deveniamus. Infrascripti sunt articuli in quibus errant Rasciani ultra haereses Graecorum, scripti in urbe Jaurinense anno domini 1455 die 4 Julii.

Conqueruntur fratres minores de observantia de vicaria Bosnae, Rascinos schismaticos contra dominum et veritatem domini nostri Jesu Christi multa mala perpetrare in ipsos fratres et in Christi fideles, qui adhaerent sacrosanctae romanae ecclesiae et praesertim ista, quae hic subsequuntur, in damnationem christianorum quotidie inferuntur.

Articulus primus. Violenter christianos catholicos arripiunt baptizando eos invitos qui nollent, quandoque eis auferendo bona, et quandoque incarcerando eos.

Articulus secundus. Multis ex illis haereticis Bosnensibus, qui fidem tenuerunt Patharenorum (et) audientes verbum Dei, convertuntur ad fidem romanam; sed a metropolitano Rascianorum et aliis non permittuntur reconciliari; de quibus multi moriuntur extra fidem, magis volentes extra fidem mori, quam eorum Rascianorum fidem suscipere.

Articulus tertius. Derident divina officia nostra, et quod peius est, quando portatur sacramentum Eucharistiae ad infirmos ipsi violenter spernunt, tanquam rem abominabilem, in contemptum fidei catholicae.

Articulus quartus. Non observant festa indicta a sacrosancta romana ecclesia, nec permittunt catholicos ea sanctificando servare, sed compellunt christianos aliquas quintas et sextas ferias et nonnulla festa secundum opinionem eorum.

Articulus quintus. Compellunt christianos catholicos violare ieiunia nostra in vigiliis sanctorum et festorum vel quatuor temporum; et non permittunt christianos quarta feria vendere nec commedere carnes.

Articulus sextus. Compellunt catholicos in sabbatis mactare et facere et vendere carnes pro usu ipsorum, eo quod tali die ipsi carnes comedunt.

Articulus septimus. Jura ecclesiastica confringunt, nec confugientes ad ecclesias sunt liberi, sed violenter inde abstrahunt eos immunitates ecclesiasticas violando.

Articulus octavus. Quando calogeri aut sacerdotes eorum baptizant, dicunt baptizandis: abrenuntias fidem latinam? et ille respondit: abrenuntio. Et illi: abrenuntias ieiunium sabbati? et ille respondet: abrenuntio. Et illi: abrenuntias Petrum Guignani? Et ille respondet: abrenuntio.

Articulus nonus. Dicunt, ursum hominem fuisse, sed de exercitu Pharaonis hominem in ursum conversum, ratione cuius carnes ursi non comedunt.

Articulus decimus. Sacerdotes eorum dicunt, quod sunt Romani abscissi de fide eorum, et romana fides non est, sed ab eis derivata.

Articulus undecimus. Dicunt, quod fides eorum a Romanis destruetur, sed postea Deus eam suscitabit iterum.

Articulus duodecimus. Quando quis gattam interficit, pro poenitentia iniungitur sibi ab eis Rascianis sacerdotibus ieiunare septuaginta ferias sextas; quando interficit canem, triginta sextas ferias; quando vero quis interficit christianum, duodecim tantum.

Articulus tertius decimus. Quando baptizant dicunt: baptizetur servus vel serva Dei in nomine Patris Amen, in nomine Filii Amen, in nomine Spiritus sancti Amen.

Articulus quartus decimus. Non comedunt animalia, nisi prius per ferrum interficiantur; et si gallinas vel aves trahendo collum interficiantur, pro vita non comederent; vel si canis leporem occideret, abiiciunt impingendo christianis, quod cadavera comedunt, qui huiusmodi comedunt.

Articulus decimus quintus. De obedientia papae nihil curant dicentes, quod patriarcha Rascianorum est eorum papa.

Articulus decimus sextus. Indulgentias ecclesiarum et papae contemnunt dicentes, quod haec vera non sunt.

Articulus decimus septimus. Quod orationes fidelium catholicorum et Romanorum nihil eis prosint, et dicunt quod sunt inutiles.

Articulus decimus octavus. Contemnunt festa corporis Christi et beatae Virginis non tenentes nisi annunciationis, purificationis et assumptionis.

Ex mss. Aracaelit. operum s. Joannis a Capistrano tom. V, vol. III, p. 177.

CMLV. 1455, 7 Novembris, Venetiis.

Ad capitula ducis Stephani, per eius filium Vlatko in scriptis data, respondeatur: Stephanus, eius filii et subditi veniant libere una cum bonis suis in territorium venetum; ineatur foedus cum Stephano, „dummodo non contraveniat pactis, quae dominium venetum habet cum Teucro“; placet, quod Stephanus „habeat Venetiis unam domum“; „obstantibus legibus et ordinibus“ non posse concedi civibus novae civitatis

(Novi) mercari Catari sine pensione „novi dacii“; habeat excusatum dominium venetum, quod „iusto bello acceptum castrum Almisium“ non possit duci restituere; regratiari duci de oblato subsidio „in illis partibus contra quemlibet impetitorem“ excepto „solo imperatore Teucrorum“; libere extrahat salem de Pago et „conduci faciat Narentam vel ad eius civitatem Novam. Dux Stephanus conqueritur de incursionibus in suas terras Stephani Cernoevich; item petit, ne dominium venetum adversetur, si aggrederetur filios Petri bani ad acquirendum comitatum Cetine.

Ljubić: Listine X, 69.

CMLVI. 1455, 11 Novembris, Venetiis.

Franciscus Foscari dux Venetiarum Stephanum „ducem s. Save ac regni Bossine magnum vaievodam“ cum filiis et haeredibus nominat civem venetum.

Ljubić: Listine X, 75.

CMLVII. 1455, 20 Novembris, Ragusii.

Joanni Hunyadi nunciatur, quod „Turcae omnes, qui Bosne confinia tenebant, qui Albaniam devastabant“, audito, quod ipse „ad Vlachie tutellam castra moverit“, confestim eo tendant.

Gelcich: Diplomatarium, p. 585.

CMLVIII. 1455, mense Novembris, Ragusii.

Comes, nobiles et totum commune Ragusii privilegium concedunt Radino Gost. Scripsit diac. Marinko.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monum. serbica, p. 473.

CMLIX. 1456, 12 Martii, Ragusii.

Regi Hungariae notum sit: „Turchos, cum machinas ac plurima bellica instrumenta, que in expugnatione urbium sint, Uschopiam comportassent, suas deliberationes suspendisse“, quum audirent de regis contra eos expeditione.

Gelcich: Diplomatarium, p. 588.

CMLX. 1456, 3 Maii, Jajce.

Stephanus Thomas, rex Bosnae, s. Joanni a Capistrano, ut fratri Eliae a Požega et sociis fidem habeat.

Reverendo in Christo patri fratri Joanni de Capistrano, franciscano praedicatori, amico nostro charissimo. Reverende in Christo pater et amice noster charissime! Ad vestram paternitatem venerabilem patrem fratrem Eliam de Bosega custodem custodiae regni nostri Bosnae, et nobilem virum et strenuum militem Thomam Mislinovigh nec non Gasparem Aichesig, fideles et dilectos nostros in ceteris (certis?) nostris factis et negotiis, vobis oretenus exponendis, de totali nostra intentione et

*

effectivo proposito plane informantes, destinamus, quorum dictis et relationibus instantissime rogamus fidem credulam, tanquam ab ore nostro proprio prolatis, adhibere velitis. Datum in castro nostro Jayze die 3 mensis Martii anno Domini 1456. Stephanus Thomas, Dei gratia rex Bosnae.

Exemplum bibliothecae »Vittorio Emanuele«. »Manoscritti Gesuitici« Cod. 339 (saec. XVII) fol. 12.

CMLXI. 1456, 3 Junii.

Stephanus Thomas rex Bosnae per suos oratores episcopum pharensem Thomam et Nicolaum Testa rogat a dominio veneto auxilium contra imperatorem Turcorum, qui „non contentus pecuniis petit etiam quatuor castra regni, ut habilius possit occupare reliquum dominium .. quorum unum castrum, videlicet Bystrychky, distat a Spalato, Tragurio et Sibenicho per unam dietam, cuius etiam castri confines distant a Jadera per unam dictam".

Ljubić: Listine X, 86. Быстричькии non procul a Hlievno. *Miklošić:* Monum. serb. 248—249.

CMLXII. 1456, 3 Junii.

Stephanus Thomas rex Bosnae per suos oratores episcopum pharensem Thomam et Nicolaum Testa reipublicae venetae significat, quod comes Ciliae intendat „banatum Croacie occupare et expellere pupillos Petri bani"; si „dictus comes banatum et comitatum Cetine atque Clisie occuparet", detrimento esset et Bosnae et Venetis; et si castrum Ostrovice ita esset in limitibus Bosnae sicut Thininum, rex prohiberet ipsius occupationem, „sicut dictum Thininum non permisit ab eo occupari, cum eius exercitum in obsidione Thininii constitutum profugaverit".

Ljubić: Listine X, p. 88. Responsum senatus veneti. Ibid. p. 89.

CMLXIII. 1456, 9 Martii, 7 Aprilis et m. Julio.

Mohamed II sultanus sandžak bego Hercegovinae et kadi in Novi et Hoči de sale Ragusinorum scribit.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monumenta serbica, p. 474—5.

CMLXIV. 1456, 3 Augusti, Venetiis.

Aloysio de Canali committitur, ut ducem Stephanum adeundo impetret ab illo notitiam litterarum, quibus subditis venetis „Catari et Xente" svaserat, ut „recedant ab obedientia" dominii veneti et „adhereant Teucro"; utque ipsum hortetur, „quod velit a similibus abstinere".

Ljubić: Listine X, 94.

CMLXV. 1456.

Respublica ragusina cupiens impedire, ne episcopus „curzolensis" privet fratres minores in „Ponta Stagni" facultate administrandi sacramenta, significat regi Hungariae, se eius rei causa legatum misisse Romam,

eique supplicat „ut super hac re dignetur . . . litteras commendatitias ad summum pontificem dare, quibus . . . pontifex rogetur, ut sicut hactenus sic et de cetero fratribus ipsis Stagni sacramentorum administratio concedatur".

J. Gelcich — L. Thallóczy: Diplomatarium . . . reipublicae ragusanae. Budapestini 1887 p. 590.

CMLXVI. 1457, 3 Februarii, Budae.

Petrus de Thomasiis, venetus secretarius in Hungaria, duci Venetiarum: „In Bossina si attrova gran numero de maestranza, marangoni et calafati, mandati li per il signor Turcho, et cum diligentia attendono ad far fuste et navaze sul fiume de la Save del lato dela Bossina; novamente etiam li è giunto uno subassi cum circa persone 8000, venuto per sollicitar et custodir dicti lavorieri".

Makušev: Ист. споменици јужних Словена II, 216.

CMLXVII. 1457, 14 Martii, Venetiis.

Oratori ducis Stephani, comiti Blasio, respondeatur: iniungentur veneto comiti Pagi, ut sal ad Narentam evehere permittat; assignabitur duci summa illi de camera Cathari competens; capitaneus venetus Stephanus vojvoda Cernoevich provocabitur, ut abstineat ab inferendo duci damna; scribetur comiti Spalati, ut subditos ducis in districtu „Radobil", quos ceperat, liberos dimittat . . .

Ljubić: Listine X, 102.

CMLXVIII. 1457, 7 Aprilis, Budae.

Secretarius Petrus de Thomasiis duci Venetiarum: „Preterea qui è giunto ambassador del ser. rè di Bossina ala maestà di questo rè et al rmo legato, ma principaliter al prefato sign. legato. Quale ha exposto, come el Turcho li richiede certe sue castelle; e che per tal caxone è giunto in la Bossina uno subassi con gran numero de Turchi; et ala giornata ne giugeno di altri; de che ditto rè delibera . . . et rechiede el prefato rño legato, chel se vogli trasferir per ditta caxon alle dite parte della Bossina . . ." Legatus remittit regi Hungariae rem decidendam.

Makušev: Ист. споменици јужних Словена II, 216—217.

CMLXIX. 1457, 21 Aprilis, Romae.

Calixtus PP. III. „fratri Philippo de Ragusio, ordinis minorum, in regno Bosne vicario, ac in eius absentia fratri Nicolao de Apulia", ut „Johannem de Gradis, militem ragusinum, cui nonnulla negotia . . . sedis apostolice . . . tractanda . . . erant commissa, a Tuerchone Stanzith subdito . . . regis Bosne captivatum", eliberari curet.

Quoniam intelleximus . . . . Dat. Rome apud s. Petrum sub annulo piscatoris die XXI Aprilis MCCCCLVII. an. III.

Reg. orig. an. III, brev. libr. VII, fol. 86. *Theiner:* Monum. Hung. tom. II, p. 291.

CMLXX. 1457, 21 Aprilis, Romae.

Calixtus PP. III. Stephano regi Bosnae, ut Joannem de Gradis, Ragusinum, s. sedis in Hungariam, Bosnam et Serbiam missum, a „Tuerchone Stanzith" nobili bosnensi, captum et incarceratum, libertati restitui iubeat.

Graviter etc. Dat. Rome etc. XXI Aprilis MCCCCLVII, an. III.

Ex reg. orig. an. III, brev. libr. VII, fol. 85. *Theiner*: Monum. Hung. tom. II, p. 290.

CMLXXI. 1457, 23 Aprilis, Romae.

Calixtus PP. III. ex fratre Nicolao de Sibenico ord. minorum et litteris sibi adlatis intelligens Stephanum, regem Bosnae, bellum in Turcos serio meditari, eum in hoc proposito confirmat.

Rediit ad nos . . Dat. Rome die XXIII Aprilis MCCCCLVII.

Ex reg. orig. an. III, brev. libr. VII, fol. 97. *Theiner*: Monum. Hung. tom. II, p. 291. *Fr. Marinus de Genis:* Ord. min. obs. ex decreto sedis apostolicae contra Turcas in Dalmatia cruciatam praedicat. *Gelcich*: Diplomatarium p. 597.

CMLXXII. 1457, 27 Aprilis, Florentiae.

Commune florentinum duci chlmensi Stephano scribit, se ex ore legati ipsius comitis Pribislavi intellexisse eiusdem erga commune devotionem; suam quoque erga illum profitetur amicitiam agnoscendo ipsum „tanquam columen et fautorem et quasi parentem civitatis ac mercatorum" florentinorum.

In archivo florent. Rad. XVIII, 238. *Makušev:* Monumenta historica Slavorum merid. I, 531.

CMLXXIII. 1457, 17 Maii, Romae.

Calixtus PP. III. s. Jacobo de Marchia expeditionem „cruciatam" in Hungaria et Bohemia praedicaturo amplam potestatem adversus haereticos procedendi aliaque in hoc negotio necessaria disponendi concedit.

Calistus PP. III. Dilecte, salutem et apostolicam benedictionem. Cum pro nonnullis nostris et religionis christiane arduis negotiis et presertim sancte cruciate ad partes Hungarie et Bohemie et alias in presentiarum mandato nostro te conferas, ut ea, que ad honorem et exaltationem ipsius religionis cedunt, eo eficacius facere et exequi possis, quo ampliori a nobis et sede apostolica fueris facultate suffultus, tenore presencium concedimus tibi facultatem et potestatem tam in dictis regnis, quam alibi, ubi tibi necessarium esse videbitur, in quoscunque hereticos inquirendi et contra eos procedendi incarcerandique ac penis et sententiis condignis afficiendi, eosque si ad cor redire voluerint et ad veram cognitionem fidei converti, abiurata haeresi, absolvendi, et etiam cum eis super irregularitatibus inde contractis dispensandi, auctoritate apostolica concedimus per presentes. Et quia propter huiusmodi commissiones nostras varios te opportebit subire labores, ad eos levandum concedimus tibi, ut de ordine tuo eligere possis eum numerum fratrum, qui tibi necessarii fore videbuntur; te ad partes, ad quas proficisceris, sequantur, qui mandatis tuis in omnibus pareant et obtemperent. Mandantes harum tenore

eis et eorum cuilibet in virtute sancte obedientie et sub excommunicationis pena, ut cum primum a te fuerint requisiti, sine dilatione se ad iter tecum accingant, et tuas ordinationes ac mandata obedienter in cunctis exequantur. Datum Rome apud s. Petrum sub annulo piscatoris die XVII Maii MCCCCLVII, pontificatus nostri anno tertio.

(In tergo): Dilecto filio Jacobo de Marchia ordinis minorum professori.

Ex originali in tabular. convent. fratrum minor. alla Nova Neapolit.

CMLXXIV. 1457, 24 Maii, Romae.

Calixtus PP. III. cum intellexisset cardinalem s. Angeli „in regnum Bosne parare proficisci" monet, „cum tante turbationes in Hungaria et Alamania sint", videat et serio consideret, quid optimum factu sit, illudque agat.

Gravi dolore . . Datum Romae etc. die XXIV Maii MCCCCLVII.

Ex reg. orig. an. III, brev. libr. VII, fol. 94. *Theiner*: Monum. Hung. tom. II, p. 296.

CMLXXV. 1457, 22 Junii, Romae.

Calixtus PP. III. auditis fratribus minoribus „Britio de Pannonia et Demetrio de Albania" regis Bosnae legatis hortatur cardinalem s. Angeli, ut eidem regi „crucis gloriose signum ac vexillum sedis apostolice" concedat, praedictosque fratres minores sibi commendatos habeat.

Venere ad nos . . . Dat. Rome apud s. Petrum sub annulo piscatoris die XX Junii MCCCCLVII. an. III.

Ex reg, orig. an. III, brev. libr. VII, fol. 102. *Theiner*: Monum. Hung. tom. II, p. 296.

CMLXXVI. 1457, 24 Junii, Romae.

Joannes cardinalis Papiensis duci Francisco Sfortiae: „Havemo qui novelle, cho mons. el card. de s. Angelo è partito da Buda per andar in Bosna. El rè de Bosna desydera pigliare la croce et fare tutto il suo sforzo contra il Turcho . . ."

Makušev: Ист. споменици јужних Словена II, 199.

CMLXXVII. 1457, 1 Julii, Venetiis.

Eligatur orator, iturus ad ducem s. Savae Stephanum, ut illum removeat a proposito „fabricandi pontem super flumine Cetine", quo de fortalitio, „quod super territorio suo Rodobilie" prope dictum flumen aedificavit, „habeat liberum transitum in vallem Politii".

Ljubić: Listine X, 109.

CMLXXVIII. 1457, 24 Julii, Sutiska.

Stephanus Thomas, rex Bosnae, Jacobum Testam, oratorem suum ad Calixtum PP. III. ceterosque principes catholicos missum omnibus commendat.

Datum sub castro nostro regali Bobouaz in oppido Sutischa die 24 Julii a. d. MCCCCLVII.

Lucić: Memor. di Traù, p. 451.

CMLXXIX. 1457, 26 Julii, Romae.

Calixtus PP. III. Francisco Foscari, duci Venetiarum, ut permittat crucesignatos Dalmatiae, ditionis venetae, „in expeditionem ire", et pecunias in suis terris in usum „cruciate" collectas „extrahi sinat", quae „regi Bosne" in usum belli contra Turcas convertendae, assignabuntur.

Conati fuimus. Dat. Rome etc. die XXVI. Julii MCCCCLVII, an. III.

Theiner: Monum. Hung. tom, II, p. 297.

CMLXXX. 1457, 28 Julii, Romae.

Calixtus PP. III. laudat egregium Stephani comitis Bosne consilium Turcos bello adgrediendi.

Omnes qui ..... Dat. Rome apud s. Petrum etc. die XXVIII Julii MCCCCLVII, an. III.

Ex reg. orig. an. III, brev. libr. VII, fol. 111. *Theiner:* Monum. Hung. tom. II, p. 297.

CMLXXXI. 1457, 28 Julii, Romae.

Calixtus PP. III. fratri Mariano de Senis, ordinis minorum professori, nuntio et collectori apostolico", concedit facultatem, „ut per loca omnia regnorum Hungarie et Bosne ac Servie, et in quibuscunque aliis terris et locis christianorum, Turchis vicinarum, cruciatam predicare et gratias concedere" possit; ut sui loco alios sui ordinis deputare valeat, et maxime fratrem Paulum de Ragusio sacerdotem et fratrem Nicolaum de Sibenico, capere et retinere" liceat; „elemosinas cruciate... collectas regi Bosne consignet".

Devotionis tue fervor... Dat. Rome etc. die XXVIII Julii MCCCCLVII.

Reg. orig. an, III, brev. libr. VII, fol. 111. *Theiner:* Monum. Hung. tom. II, p. 298. v. nr. CMLXXI.

CMLXXXII. 1457, 29 Julii, Romae.

Calixtus PP. III. Stephano, regi Bosnae, de capto consilio Turcos quamprimum bello aggrediendi gratulatur, promittitque se ipsi omne auxilium praestiturum.

Referentibus ... Mariano de Senis. Dat. Romae etc. IV kal. Augusti MCCCCLVII, an. III.

Ex reg. orig. an. III, brev. libr. VII, fol. 112. *Theiner:* Monum. Hung. tom. II, p. 299.

CMLXXXIII. 1457, 10 Septembris, Romae.

Calixtus PP. III. Joanni Navarr, commissario, praecipit, ut pecuniam ex decimis Dalmatiae collectam inter regem Hungariae, regem Bosnae et Scenderbeg, dominum Albaniae, aequaliter dividat.

Cum acris .. Dat. Rome MCCCCLVII. IV idus Septembris, an. III.

Reg. an. III, tom. 14, fol. 169. *Theiner:* Monum. Slavor. Meridional. tom. I, p. 426.

CMLXXXIV. 1457, 13 Septembris, Venetiis.

Nicolao Testa, oratori regis Bosnae, respondetur: peccunias, quae in Dalmatia pro „cruciata", quam summus pontifex „permisit praedicare",

collectae sunt, regi, uti petiit, dari non posse, quia „necesse est, ut habeamus antedictas pecunias in auxilium armate per nos fiende"; eadem ratione et crucesignati Dalmatiae et ballistarii „in auxilium dicte armate erunt nobis etiam maxime opportuni"; rex poterit semper cum familia sua et bonis suis, „si ab hostibus opprimeretur, in terris et locis nostris se reducere".

Ljubić: Listine X, 113.

CMLXXXV. 1457, 14 Septembris, Romae.

Calixtus PP. III. „duci Stephano de Bosna", ut Joanni Navarr fidem habeat.

Mittimus . . . Dat. Rome . . . XIIII Septembris MCCCCLVII. an. III.

Reg. an. III, brev. fol. 121. *Theiner:* Monum. Slavor. meridional. tom. I, p, 427.

CMLXXXVI. 1457, 27 Septembris, Romae.

Calixtus PP. III. cardinali s. Angeli indicat decretum esse, ut decimae in Dalmatia collectae „inter . . . Hungarie et Bosne reges . . . nec non . . . . nobilem virum Scanderbech, Albanie dominum" distribuantur.

Quia certiores . . Dut. Rome etc. die XVII Septembris MCCCCLVII.

Ex reg. orig. an. III, brev. libr. VII, fol. 21. *Theiner:* Monum. Hung. tom. II, p. 304.

CMLXXXVII. 1457, 15 Octobris.

Stephanus dux s. Savae per suos oratores, comites Georgium et Paulum, dominio veneto inter caetera manifestum facit: se ab imperatore Thurcorum obtinuisse licentiam vi occupandi loca quondam bani Petri, quae confinant cum ipsius ducis terra „Comsca"; ast quum rex Bosnae sciret, duci per Venetos svasum fuisse, ut a tali occupatione desistat, ipse maiorem partem dictorum locorum occupaverat, atque in defensionem proposuit erigere castellum prope ducis territorium Radobiglia.

Ljubić: Listine X, 119.

CMLXXXVIII. 1457, 25 Octobris, Romae.

Calixtus PP. III. s. Jacobo de Marchia, nuntio suo scribit, ut instet apud imperatorem et reges Hungariae, Bosnae, Poloniae etc. quod mittant suos oratores Romam ad tractandum de bello Turcis inferendo.

Calixtus PP. III. Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. Posteaquam a nobis recessisti et te in Hungariam incolumem pervenisse audivimus, quod nos plurimum delectavit, nullas a tua caritate litteras habuimus, quae certe iocunde nobis et grate fuissent, ut ex te, cuius ardens et magna est (sollicitudo) in negotiis sanctissimae cruciatae, quomodo sese isthic negotia habeant, intelligeremus. In quibus non dubitamus, quin pro virili tua multa facias, nec opus est te hortari, cum te incitatum circa ea plurimum sciamus. Nos vero, et si putabamus fieri non posse, cum prosecutione maximum semper habuerimus animum, in dies tamen ardentiores circa hoc efficimur, angitque animum nostrum cura quotidiana, quod ceteros, ad quos etiam pertinet, non nostri animi sectatores, sed negligentes et pigros et invicem ad guerram proclives

videmus; hortati fuimus omnes, saepe monuimus et fere accusavimus, ut in hoc negotio Christi, a quo potentias habent, auxilia darent opportuna, sed nihil adhuc, quod cum dolore dicimus, effici potuit. Itaque revolventes saepe numero in animo nostro huiusmodi rem cum venerabilibus fratribus nostris sacrae romanae ecclesiae cardinalibus deliberavimus universis: imperatori, regibus, principibus et civitatibus, potentatibus populorum et aliis dominis christianitatis scribere, ut ad diem per nos eorum singulis signatum huc ad nos suos mittant oratores idoneos, suffultos plena potestate, ut simul cum eis pro exigentia et celeritate negotiorum fidei consilium et auxilium, quod cito exequi possit, capiamus. Itaque, fili dilecte, sollicitabis eundem imperatorem, reges: Hungarie, Bosne et Polonie et Datie electoresque imperii et quibus scribimus, si eos potes commode adire, ut suos ad nos ad diem assignatum mittant oratores, hocque opportune et importune instare non desinas. Ceterum ex multiplici fama litterisque et relatu fide dignorum intelleximus, per electores imperii et quosdam eorum sequaces, non cogitantes quantum sedi apostolice, a qua gratias et beneficia susceperunt, debeant, nonnulla tractata fuisse in preiudicium et lesionem auctoritatis nostre et sedis apostolice, in eis tamen neque assensum neque auctoritatem imperatoris intervenisse; scribimus super hoc legato nostro et plurimis aliis, quos nostri et sedis apostolice devotos putamus, ut efficiant, quod imperator, et si qui alii erunt, non solum non assenciant tractatis predictis, quum eum minime deceret, sed etiam illis contraveniat, eaque repellat; erit nobis gratum, ut super his et premissis adeas legatum nostrum et eidem, ut tibi videbitur, malignitatibus huiusmodi occurratur, et temerarii conatus frustrentur, maxime nobis indefesse intendentibus in eorum securitate contra Turchos et alios infideles, et sine culpa contra nos et sedem apostolicam insurgere, caveatur ab ira Dei. Nos enim officium nostrum exercere non cessabimus oportune, estque officium nostrum, ut loquamur cum beato Ambrosio, nulli nocere, omnibus velle prodesse, posse solius Dei est; clama ne cesset et iuva senem istum paratum pro defensione evangelii et fidei catholice pati (pro palma) martirum si sit opus; ecce completum desyderium tuum nobis aliquando persuasum de convocando Italicos et alios contra Turchum et infideles ad totum extinquendum. Et sic viriliter age et confortetur cor tuum, etiam ad Boemos et alios devios a fide reducendos, scis enim quod omnia exposuimus et exponimus in his vix nobis vite necessaria remanentibus. Et qui nobiscum non est, alienus est, prophanus est, non est Christi sed Antichristi est, et scribere nobis aliquando non defferas ad salvum. Habet etiam in premissis curam a nobis specialem dilectus filius Laurentius Rovarella subdiaconus noster, facias igitur simul cum his, et sine eis, que de caritate tua confidimus et speramus. Datum Rome apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die XXV Octobris MCCCCLVIII. pontificatus nostri anno tertio. M. Ferrarii.

(In dorso): Dilecto filio Jacobo de Marchia ordinis minorum professori nuntio nostro.

Ex originali in tabular. conv. fratr. minor. della Nova Neapolit.

CMLXXXIX. 1457, 28 Octobris, Romae.

Joannes episcopus card. papiensis Francisco Sfortiae: „Havemo instato per la expeditione de m. Nicolo di Jacobo Testa di Bosna, cavallero et ambassator del ser. rè di Bosna, del quale siamo coniunctissimo amico. Ritorna el dicto ambassator, per lo quale scrivemo al prefato rè, confortandolo ad esser fermo et fervente in questa impresa nela fede nostra.."

Makušev: Ист. споменицти јужних Словена II, 200.

CMXC. 1457, 5 Novembris, Romae.

Cslixtus PP. III. „Nicolao Joroli Teste, nobili de regno Bosne" concedit, ut non obstantibus fratrum minorum privilegiis, „in parochiali ecclesia in Castronovo regni Bosne . . . presbiteros secu.ares . . deputare" possit ad servitium.

Sincere devotionis . . . Dat Rome . . MCCCCLVII. nonis Novembris an. III.

Reg. an. III. secret. tom. 26, fol. 122. *Theiner*: Monum. Slavor. meridional. tom. I, p. 428.

CMXCI. 1457, 14 Novembris, Ragusii.

Regi Hungariae notum redditur: imperatorem Turchorum vojvodae suo Exebech Isachovich dominisque Bosnae mandasse, „ut adunato, quanto numerosiori possunt, exercitu", irruant Ragusium; petitur auxilium, in specie rex Bosnae et Stephanus dux per legatum provocentur, ne Turcis faveant.

Gelcich: Diplomatarium p. 600.

CMXCII. 1458, 20 Januarii.

Stephanus Thomas, rex Bosnae, per suum oratorem Nicolaum Testa de Tragurio notum facit, „quod acquirere bannatum Crovatie praetendat", Venetisque „unum vel plura fortilitia ipsius banatus" offerat.

Ljubić: Listine X, 125.

CMXCIII. 1458, 25 Martii, Ragusii.

Ivaniš, chlmensis vojevoda cum fratribus c. Marco, Žarko, Radivoj, Andrea, Bartholomaeo et Tadeo atque fratruele Paulo Petrović, testantur, se accepisse a Ragusinis provisionem. Scripsit Žarko.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monum. serbica, p. 480.

CMXCIV. 1458, 3 Aprilis, Pristinae.

Stephanus Thomas, Bosnae rex, comitibus Petro et fratri Joanni Ostoić cum suo filio Hieronymo, oriundis ex regno Bosnae, confirmat privilegia Belae IV.

Ljubić: Listine X, 126.

CMXCV. 1458, 14 Aprilis, Venetiis.

Comiti et camerario Cathari demandantur, ut Stephano, duci s. Savae, propter ea, „quae facit et tractat contra dominium" venetum, solvat, „quidquid habere debet".

Ljubić: Listine X, 127.

CMXCVI. 1458, 21 Aprilo, Bistriza.

„Re di Bossina ha fatto et confirmato la pace con el Turco, dandoli el tributo ordenato, per non poter far altro, et per non haver tanta furia ale spale. El ducha Stefano tratta pace con el re de Bossina. Quello seguirà, non so; ma sequide le cosse de Smederevo, se ha levado un fiol bastardo de Gregor, orbo fiol che fù del despoto, et quelli di Servia lo suo (?) per signor; et horamai è in Smederevo. Per questa cason non credo se farà le noce del fiol del rè de Bossina in la fiola del despoto Lazaro".

Makušev: Ист. споменици јужних Словена II, 115.

CMXCVII. 1458, 26 Maii, Romae.

Calixtus PP. III. „relicte Johannis de Hunyad . . ." de Mathiae in regem electione gratulatur; hortatur, ut eum ad sacrum bellum in Turcos excitet, studiumque praecipuum adhibeat, quo novus rex procuret „sibi conciliare . . . imperatorem, Polonie et Bosne reges . . ."

Deum testamur . . . Dat. Rome etc. XXVI Maii MCCCCLVIII, an. IV.

Ex reg. orig. an. IV. brev. libr. VII, fol. 176. *Theiner:* Monum. Hung. tom. II, p. 316.

CMXCVIII. 1458, 3 Junii, Romae.

Calixtus PP. III. visitantibus ecclesiam b. Mariae Trsatensem determinatis praemissis certis conditionibus, septem annorum indulgentias et totidem quadragenos concedit.

Calistus episcopus servus servorum Dei. Universis Christifidelibus presentes litteras inspecturis salutem et apostolicam benedictionem. Quum precelsa meritorum insignia, quibus regina celorum virgo Dei genitrix gloriosa sedibus prelata sidereis, quasi stella matutina prerutilans devote considerationis indagine perscrutamur, dumque infra pectoris archana revolvimus, quod ipsa, utpote mater misericordie, gracie et pietatis amica ac humani generis consolatrix, pro salute fidelium, qui delictorum onere pregravantur, sedula exoratur, et ad regem, quem genuit, intercedit, dignum quin potius debitum arbitramur, ut ecclesias in honorem sui nominis dedicatas gratiosis remissionum prosequamur impendiis et indulgentiarum muneribus decoremus. Cupientes igitur, ut ecclesia beate Marie apud flumen Tarsy et prope Tersadis oppidum, Corbavien. dioc., sita congruis honoribus frequentetur ac in suis structuris, ornamentis et cerimoniis augeatur ac conservetur, et ut Christifideles eo libentius devotionis causa confluant ad eandem, et ad augmentum et conservationem huiusmodi manus promptius porrigant adiutrices, quo et hoc ibidem dono celestis gratie uberius conspexerint se refectos, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis in domini nostri Jesu Christi nativitatis, resurrectionis et pentecosten et ipsis gloriose Marie virginis nec non omnium apostolorum et dedicatione ecclesie memorate festivitatum singuleque dominice diebus, a primis vesperis usque ad secundas vesperas, ecclesiam prefatam devote visitaverint, et ad augmentum et

conservationem predictam manus adiutrices porrexerint, ut prefertur, septem annos et totidem quadragenas in singulis festivitatibus et dominicis predictis, de iniunctis eis penitentiis misericorditer relaxamus. Presentibus perpetuis futuris. Datum Rome apud s. Petrum, anno incarnationis dominice millesimo quadringentesimo quinquagesimo octavo, tertio nonas Junii, pontificatus nostri anno quarto.

(Sigillum sub plumbo dependens).

Ex originali in tabular. conventus fratr. minor. Trsaten. in Croatia.

CMXCIX. 1458, 17 Julii, Venetiis.

Oratori regis Bosnae Nicolao Testa respondetur: circa occupationem banatus Croatiae rex agat iuxta suam prudentiam, solummodo quoad venetum locum Clisii nil innovetur; quoad quatuor conventus ord. s. Francisci in Dalmatia, scilicet in Novigrad, in insula Jaderae, in insula Sibenici et in districtu Spalati, qui erant vicariae bosnensi subditi semper, etiam tunc, quando reges Bosniae non erant catholici, observentur bullae apostolicae. Dominio veneto revocatur in memoriam, Croatos iam tradidisse Hungaris castrum Tenini.

Ljubić: Listine X, 131.

M. 1458, 8 Octobris, Budae.

Petrus de Thomasiis duci Venetiarum: „Sono venuti al ser. rè, per quanto perhò son avisato, tre ambassadori dela maestà del rè de Bossina, zoè el fratello del prefato rè, messer Nicolo Testa et uno frate Marino del ordine de s. Francesco Domandano da questo ser. rè certe conditione, offerendosse ancor lui moverse. E son avisato, otignerano tutto, pur che el prefato rè se mova.

Makušev: Ист. споменици јужних Словена II, 221.

MI. 1458, 14 Octobris, Žepče.

Stephanus Thomas, rex Bosnae, una cum Stephano filio suo, privilegia, quae olim despota Lazarus Stephano Ratković concesserat, confirmat.

Dr. *Fr. Rački*: Rad, knj. I, p. 156. Dr. *Fr. Miklošić*: Monum. serbica, p. 481.

MII. 1458, 15 Novembris, Temesvarini.

Mathias Hungariae rex civibus Barthensibus, quos ad comitia Szegedinensia in festo s. Nicolai habenda invitat, innuit, quod et dominus Stephanus Thomas, rex Bozne, non solum in facto metarum, verum in altioribus rebus regni ad civitatem .... zegediensem in proximo .... venturus sit".

Dat. in Themasvar feria IV prox. post festum b. Martini ep. et conf. anno domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo octavo.

Katona: Hist. critic. r. Hungar. tom. XIV, p. 166.

MIII. 1458.

Stephanus Thomas, rex Bosnae, suo logotheto Stephano donat 100 domos villicorum in haereditatem.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monum. serbica, p. 481.

MIV. 1458, 25 Novembris, Blagaj.

Stephanus, dux s. Savae, mittit legatos suos vajvodam Georgium Ratković et comitem Georgium Čemerović atque suum cancellarium Nicolaum Mediolanum ad ducem Franciscum Sfortiam.

Makušev: Ист. споменици јужних Словена II, 116.

MV. 1458, 13 Decembris, Romae.

Pius PP. II. universis Christifidelibus ad intercessionem Catharinae, reginae bosnensis, ecclesiam s. Catharinae in castro Jayce in Bosnia visitantibus indulgentias concedit.

Pius episcopus etc. universis Christifidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Licet is, de cujus munere venit, ut sibi a suis fidelibus digne et laudabiliter serviatur, de habundantia sue pietatis, que merita supplicum excedit et vota, bene servientibus sibi multo maiora retribuat, quam valeant promereri; nihilominus tamen desiderantes domino populum reddere acceptabilem et bonorum operum sectatorem, fideles ipsos ad complacendum ei quasi quibusdam allectivis muneribus, indulgentiis videlicet et remissionibus, invitamus, ut exinde reddantur divine gratie aptiores. Cum itaque dilecta in Christo filio Catherina regina regni Bosnae, quod hereticis et scismaticis inquinatum est, magnum ad ecclesiam sancte Catherine in castro Jayce dicti regni, que domus fratrum ordinis minorum de observantia vicaria dicti regni existit, gerat devotionis affectum ut Christo lucri faciat, ejusque fideles in Christi fide sanctorumque devotione roboret, ac alios, qui extra sunt, ad fidem Christi quasi apis augmentosa augeat et deducat, summo cum desiderio nobis supplicari fecit, ut ecclesiam predictam celestis muneris largitione dotare dignaremur. Nos igitur ejusdem regine piis desideriis annuentes et christifidelium devotionem augeri cupientes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ut ipsi aliique Christifideles, qui devotionem ad dictam gerunt ecclesiam, eo ferventius confluant ad eandem, quo ex hoc ibidem dono celestis gratie conspexerint se refectos, de omnipotentis dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui in singulis nativitatis domini nostri Jesu Christi et resurrectionis ejusdem, ac in nativitatis gloriosissime virginis Marie ejus matris ac ejusdem virginis assumptionis et sancti Thome apostoli ac sancti Jeronimi et sanctarum Marie Magdalene et Catherine festivitatibus ecclesiam ipsam visitaverint annuatim, pro singulis festivitatibus antedictis septem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis penitentiis misericorditer relaxamus, presentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Datum Rome apud sanctum Petrum anno incarnationis dominice millesimo quadringentesimo octavo, idibus Decembris, pontificatus nostri anno primo.

Theiner: Monum. Hungar. II, pag. 318.

MVI. 1459, 4 Aprilis, Senis.

Pius PP. II. concedit fratribus minoribus Bosnae, ut „sibi de vino, blado, lignis et animalibus ac aliis necessariis per deputatos“ libere et licite providere possint et valeant.

Dum fidem sinceram . . Dat. Senis an. incarnationis dominice MCCCCLIX, pridie nonas Aprilis, an. II.

Theiner: Monum. Hung. tom. II, p. 355.

MVII. 1459, 26 Aprilis, Ragusii.

Regi Hungariae inter caetera refertur: „illustris Bosne rex . . locum, per quem aditus patebat in Bosnam, Chodidicum nuncupatum, suis cum copiis aggressus est; burgum, qui magnus erat et populo plenus, igne consumpsit, populo partim trucidato et partim in predam ducto; castrum dictum Chodiech oppugnat . . .“

Gelcich: Diplomatarium p. 618.

MVIII. 1459, 9 Maii, Bononiae.

Pius PP. II. fr. Mariano de Senis ord. minorum, ut se conferat ad regnum Bosnae.

Pius episcopus etc. dilecto filio Mariano de Senis ordinis fratrum minorum professori, salutem etc. Cum per litteras carissimi in Christo filii nostri Stephani Thomae regis Bosne illustris nuper ad nos transmissas intellexerimus, quanto in periculo constitutum sit regnum ejus propter imminentem Turchorum ferociam, regnum ipsum quotidie invadentium et illud occupare totis conatibus initentium, et propterea nobis pro parte sua humiliter supplicatum fuerit, ut sibi de aliquibus copiis atque subsidiis dignemur opem ferre et providere: Nos de industria et probitate tua, qui in partibus illis alias ad predicandum cruciatam per felicis recordationis Calistum papam tertium predecessorem nostrum deputatus fuisti, plenam in domino fiduciam obtinentes, sperantesque, quod tu in partibus illis subsidia hujusmodi ad succurrendum dicto regi pro tua industria facile perquirere et adinvenire poteris, discretioni tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus ad illas partes, in quibus ad predicandum cruciatam ipsam alias destinatus fuisti, te personaliter conferens omnes et singulos crucesignatos, quos in partibus illis repereris, ac etiam si quos imposterum per te crucesignare contingerit, super quo plenariam tibi facultatem concedimus, horteris ex parte nostra, ut ad ferendum opem et subsidia dicto regi in tanta necessitate fidei ferventes accedant et ipsi regi totis eorum conatibus opitulentur, ne dictum regnum ad infidelium manus perveniat, et fideles in eo existentes calamitates illas perferre habeant, quas superioribus temporibus relique finitime Grecorum nationes miserabiliter pertulerunt et de presenti perferunt. Nos enim tibi omnes illas indulgentias tam accedentibus personaliter in auxilium ipsius regis, quam alias auxilium ad hoc prestantibus, quas ex facultatibus tibi per alias litteras, que in favorem cruciate emanarunt, directis concedere poteras, auctoritate nostra concedendi, ac omnia et singula, quae per alias litteras predictas circa hoc facere poteras, fa-

ciendi, gerendi et exequendi auctoritate apostolica tenore presentium concedimus facultatem. Volumus autem, quod tu cum gentibus, quas collegeris ad regem ipsum proficisci, aut alium loco tui transmittere debeas. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Datum Bononie anno incarnationis dominice MCCCCLIX septimo idus Maii, pontificatus nostri anno primo.

Theiner: Monum. Hung. II, p. 327.

MIX. 1459, 23 Junii, Carini.

Domina quondam Elisabetha, quondam Nicolai bani uxor, pro dote nostrae ecclesiae (Carini), a suo consorte aedificatore, reliquit in loco dicto Slana 16 iugera terrae aratoriae, iuxta ecclesiam s. Viti et saxum rubrum modica a conventu distantia; unam vineam cum ultra centum olivetis, unum terrenum trium iugerum, penes arcem iuxta flumen, quod eadem domina Elisabetha pro uno sacro conventui legaverat; duo terrena in villa Popovich, infra fontem unum, et supra fontem aliud, ambo trium iugerum, quae quondam dominus Milco in suo testamento legaverat; unum pratum in vico Cassich quatuor iugerum, penes viam magistram, pro septuaginta sacris a patribus s. Catharinae Podnovi habitum.

Datum Carini, 23 Junii, an. domini 1459.

Fabianič D.: Storia dei fratri minori ... II, p. 314.

MX. 1459, 24 Julii, Mantuae.

Pius PP. II Marchioni Brandenburgensi scribit: „oppidum Zendreu in Rassia constitutum" insignem custodie locum in potestatem Turcorum devenisse, cuius „amissione non minor quam ex Constantinopoli creditur clades accepta."

Dat. Mantuae XXIV Julii 1459.

Katona: Histor. critic. regni Hungar. tom. XIV, p. 277.

MXI. 1459, 30 Julii, Mantuae.

Pius PP. II. cardinali s. Angeli inter cetera „de amissione Zendrensi et perfidia regis Bosne atque de progressu Turchorum summam mestitiam" se cepisse significat.

Scribit nobis .. Dat. Mantue XXX Julii ... an. I.

Ex reg. orig. an. I brev. libr. IX fol. 59. *Theiner*: Monum. Hung. tom. II, p. 330.

MXII. 1460, 18 Januarii, Mantuae.

Pius PP. II. Thomae episcopo „Pharensi" in Bosna legato scribit se intellexisse, „Stephanum Thomam, Bosnae regem illustrem, violata pace inter eum et ... ducem Stephanum s. Sabbae ... Turcis adhaesisse, illosque in patriam ipsius ducis adducendo maximis calamitatibus regiones illas subiecisse"; imo eundem regem et quaerere, „ut castrum Ciasinae, quod ad dictum ducem spectare dignoscitur, in Turcarum potesta-

tem deveniat. „Jubet, ut in haec rite inquirat et veritate reperta, regnum interdicto ecclesiastico subiiciat etc.

Dat. Mantuae die 18 Januarii 1460.

Farlati D.: Illyric. sacr. tom. IV. p. 263. *Katona*: Histor. crit. r. Hung. tom. XIV, p. 341.

MXIII. 1460, 4 Aprilis, Senis.

Pius PP. II. prohibet vicario et fratribus minoribus Dalmatiae, ne „aliquam domum seu locum ad vicariam Bosne ... pertinentem ... capere vel recipere quoquomodo presumant".

Dum uberes .. Dat. Senis anno incarnationis dominice MCCCCLX, pridie nonas Aprilis, an. II.

Ex reg. orig. an. II. de cur. libr. VIII, fol. 227. *Theiner*: Monum. Hung. tom. II, p. 356.

MXIV. 1460, 15 Aprilis, Senis.

Pius PP. II. Thomae episcopo „Pharensi" scribens reproducit epistolam an. 1460 18 Januarii ad eundem datam, qua conqueritur, quod Stephanus Bosnae rex, pace cum duce s. Sabae rupta, Turcis faveat in damnum dicti ducis; quare eundem legatum hortatur, ut in rerum statum cognoscat, et si „praedicta vera esse repererit, memoratum regem et quoscunque alios excommunicationis sententias incurisse" declaret etc.

Scripsimus alias ... Dat. Senis ... die 15 Aprilis 1460. an. II.

Farlati D.: Illyric. sacr. tom. IV, p. 263. *Katona:* Histor. crit. r. Hung. tom. XIV, p. 341.

MXV. 1460, 7 Junii, Petrioli.

Pius PP. II. regi Hungariae scribit, se regi Bosnae, si episcopos et coronam petierit, aures non praebiturum, cum haec „omnia ad velandam proditionis sue infamiam" pertineant.

Timere celsitudo ... Dat. Petrioli Vulterane dioces. VII Junii an. II.

Ex reg. orig. an. II. brev. libr. IX. fol. 203. *Odoric. Raynaldi:* Annal. eccles. tom. X, p. 254. *Theiner:* Monum. Hung. tom. II, p. 258.

MXVI. 1460, 7 Junii, Petrioli.

Pius PP. II. cardinali s. Angeli, significat, se non aliter de rege Bosnae sentire, quam ipse cardinalis. „Duci vero Stephano de non recipiendis Patarenis mandatum dedisse ..."

Intelleximus ... Dat. Petrioli Vulterane diocesis VII Junii an. II.

Ex reg. orig. an. II. brev. libr. IX. fol. 203. *Theiner:* Monum. Hung. tom. II, p. 359. *Katona:* Histor. crit. XIV, 348.

MXVII. 1440—1460, 17 Septembris, Spuž.

Thomae, regis Bosnae, litterae credentiales presbytero Rasko et nobili viro Bogić.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monum. serbica, p. 483.

MXVIII. 1460, mense Novembris.

Vlatko, dux s. Sabae, legatos c. Hrebeljan Dabišić, c. Radoj Krajčinović et diac. Vladisav Ragusium mittit.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monum. serbica, p. 483.

MXIX. 1461, 7 Januarii, Venetiis.

Eligitur orator ad regem Bossine et Stephanum ducem s. Savae, ut eos ad pacem disponat, nam „nisi componantur et uniantur . . . erit causa perditionis et eversionis status utriusque . . .“

Ljubić: Listine, X, 164.

MXX. 1461, 26 Februarii, Venetiis.

Oratoribus ducis Stephani, qui expositis periculis a Turcis sibi imminentibus quaerebat a dominio veneto quodpiam castellum in insula vel insulam Pharum aut Bratiam, respondeatur, quod ipse dux se cum familia et bonis „reducere possit ad insulam et loca“ veneta, etiam ad Pharum. Dum Veneti mittent ad imperatorem Turcorum legationem, habebitur „memoria“ ducis. Stephanus nunciat, quod imperator Turcorum requirat ab ipso „castrum Zazvine“, quo sibi aditus aperiatur versus Chroatiam et Dalmatiam. Stephano Cernoevich scribetur, ut „ab omni innovatione“ contra ducem „desistat“.

Ljubić: Listine X, 165.

MXXI. 1461, 23 Martii, Romae.

Pius PP. II. Stephano, regi Bosnae, concedit altare portatile et ut sibi sacrum ante lucem celebrare facere possit.

Omnigene devotionis . . . Dat. Rome apud s. Petrum an. MCCCCLXI, decimo kal. Aprilis an. IV.

Ex reg. orig. an. IV de curia libr. XVII, fol. 262. *Theiner*: Monum. Hung. tom. II, p. 375.

MXXII. 1461, 23 Martii, Romae.

Pius PP. II. Laurentio, archiepiscopo spalatensi, apostolicae sedis in regno Bosnae legato, ut bullam Cruciatae, si Turca regnum vel ducatum Bosnae invaderet, ubique promulget.

Proximis temporibus . . . Dat. Rome apud s. Petrum anno etc. MCCCCLXI decimo kal. Aprilis an. IV.

Ex reg. orig. an. IV de curia libr. XVII, fol. 310. *Theiner*: Monum. Hung. tom. II, p. 374.

MXXIII. 1461, 23 Martii, Romae.

Pius PP. II. omnibus fidelibus ecclesiam „s. Georgii in Thesagy (Tešanj) ordin. s. Francisci, bosnen. dioces. . . . quam nobilis vir Radiuoi Charstich . . . fundavit et erexit“, visitantibus et adiuvantibus indulgentias elargitur.

Licet is . . . Dat. Rome apud s. Petrum an. etc. MCCCCLXI, decimo kal. Aprilis an. IV.

Ex reg. orig. an. IV de curia libr. XVII, fol. 308. *Theiner*: Monum. Hung. tom. II, p. 373.

MXXIV. 1461, 23 Martii, Romae.

Pius PP. II. omnibus fidelibus ecclesiam s. Catharinae in Jaice dioces. bosnen. visitantibus indulgentias concedit, in qua „populorum opinione" tenetur „sancti Luce evangeliste corpus . . . servari et multis sepe numero clarere miraculis".

Splendor paterne etc. . . . Dat. Rome apud s. Petrum an. MCCCCLXI, x kal. Aprilis, an. IV.

Ex reg. orig. an. IV de curia libr. XVII, fol. 309. *Theiner*: Monum. Hung. tom. II, p. 373.

MXXV. 1461, 9 Maii, Romae.

Georgius Chuchignich, Stoysauus Turthchouich et Radmilus Vecichnich, Bosnenses, abiurant errores Manichaeorum et promittunt, vires suas se impensuros, ut Bosnenses, „Manichaeorum erroribus excoecati, ad romanae ecclesiae fidem et doctrinam" revocentur.

Dr. *Fr. Rački*: Starine, XIV, 20.

MXXVI. 1461, 2 Augusti, Tiburc.

Pius PP. II. Georgium „Cuchignich", Stoysauum „Turtchouich" et Radomilum „Venchinich" Bosnenses, quos „carissimus in Christo filius Stephanus Thomas, rex Bosne illustris et vere catholicus . . . ad viam veritatis reducere non valebat", nunc catholicam fidem professos sub protectione sancte sedis recipit.

Pia mater ecclesia . . . Dat. Tibure anno etc. MCCCCLXI, quarto nonas Augusti, an. III.

Ex reg. orig. an. III de curia libr. XV, fol. 54. *Katona*: Histor. critic. regni Hungar. tom. XIV, p. 489. *Theiner*: Monum. Hung. tom. II, p. 364.

MXXVII. 1461, 5 Augusti, Romae.

Pius PP. II. Natali, episcopo Nonensi, in regno Bosnae sedis apostolice legato, ut publicet „Cruciatam", ubique auxilia et subsidia imploret, atque ea in regis Stephani et ducis pariter Stephani praesidium convertat.

Proximis temporibus . . . Dat. Rome apud s. Petrum an. etc. MCCCCLXI nonis Novembris an. IV.

Ex reg. orig. an. IV de curia libr. I, fol. 14. *Theiner*: Monum. Hung. tom. II, p. 366.

MXXVIII. 1461, 20 Augusti, Venetiis.

Eligitur orator, qui congratulabitur successori et filio regis (Stephani Thomae), qui „anteactis diebus ab humanis subtractus est".

Ljubić: Listine X, 179.

MXXIX. 1461, 20 Augusti, Venetiis.

Oratori ducis Stephani respondeatur: „laudari, quod suo filio pepercerit; verum esse, quod Paulus banus Croatiae „homo scandalosus sit", qui „postquam venit in Croaciam, nunquam cessavit molestare et inquietare vicinos suos"; laudari, quod „cum illo capitaneo Turco, qui dominatur in partibus Servie", bene se gerat.

Ljubić: Listine X, 179.

*

MXXX. 1461, 28 Augusti, Venetiis.

Eligitur orator ad regem Bosnae „propter ligam sive intelligentiam, eiusdem regis cum illustri duka Stephano et comitibus Corbavie adversus comitem Paulum Sperancich, respectu maxime castelli Clisse . . . tum etiam ob Theucros, cum quibus iidem domini facile se intelligere possent".

Ljubić: Listine X, 184.

MXXXI. 1461, 11 Septembris, Venetiis.

Oratori ducis Stephani, „qui in facto Clisse bellum gerere querit bano Croatie Paulo", respondeatur, „locum Clisse" fuisse Venetorum, et per Paulum occupatum.

Ljubić: Listine X, 188.

MXXXII. 1461, 18 Octobris, Medjurečje sub Samobor.

Stephanus, dux s. Sabae, permittit, ut Ragusini possint in terra sua libere mercari.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monum. serbica, p. 485.

MXXXIII. 1461, 7 Novembris, Romae.

Pius PP. II. petenti Stephano regi Bosnae, ut b. Gregorius „miraculosus" nuncupatus, patronus regni Bosnae declaretur, annuit.

Gloriosos Dei sanctos . . . Dat. Rome apud s. Petrum anno incarnat. etc. MCCCCLXI, VII idus Novembris an. IV.

Ex reg. orig. an. IV secr. libr. VIII, fol. 92. *Theiner*: Monum. Hung. tom. II, p. 371.

MXXXIV. 1461, 7 Novembris, Romae.

Pius PP. II. concedit indulgentias visitantibus ecclesiam „s. Marie in Jaica bosnen. diocesis", in qua referente rege Stephano populi opinantur „s. Luce corpus servari et multis sepenumero clarere miraculis".

Splendor paterne . . . Dat. Rome . . . MCCCCLVI, VII idus Novembris . . . an. IV.

Reg. an. IV, secret. tom. 38, fol. 93. *Theiner*: Monum. Slavor. meridional. tom. I, p. 460.

MXXXV. 1461, 23 Novembris, Jajce.

Stephanus Tomašević, rex Bosnae privilegia Ragusinorum confirmat. Testes: voevoda Petrus Pavlović, voevoda Tvrtko Kovačević, voevoda Paulus Klešić, voevoda Ivaniš Vlatković, voevoda Paulus Čubretić, voevoda Vukić Tihčinović, voevoda Joannes Šantić, voevoda Vladisav Vukčić, comes Vladisav Vuković, comes Marcus Dragišić, pristav c. Radoe Vladimirić. Scripsit diac. Branoš.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monum. serbica, p. 485.

MXXXVI. 1461, 25 Novembris, Jajce.

Stephanus, rex Bosnae, ut Ragusini in regno suo libere mercari possint, permittit. Scripsit diaconus Branoš.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monum. serbica, p. 489.

MXXXVII. 1461, 25 Novembris, Jajce.

Stephanus Tomašević, rex Bosnae, spondet se Ragusinis patris sui debitum soluturum esse. Scripsit diac. Branoš.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monum. serbica, p. 488.

MXXXVIII. 1461, 25 Novembris, Jajce.

Stephanus, rex Bosnae, pollicetur se mercatoribus Ragusinis soluturum esse debitum, quod Tvrtko rex olim contraxerat. Scripsit diac. Branoš.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monum. serbica, p. 490.

MXXXIX. 1461, 25 Novembris, Jajce.

Stephanus, rex Bosnae, statuit Ragusii numos valere in regno Bosnae. Scripsit diac. Branoš.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monum. serbica, p. 490.

MXL. 1461, 1 Decembris, Venetiis.

Suscipitur legatio ducis Stephani, qui nuntiat, quod cum rege Bosnae Stephano ob filiam suam, uxorem defuncti Stephani Thomae, pacem inierit, et filium suum Vlatko miserit cum primoribus ad coronationis solemnitates, item concedi sibi petit ballestriarios et pyxidiaros, ut paret se ad defensionem contra Thurcos; item quod anno elapso, dum Thurci invaserunt ipsius regionem, non accepto subsidio a rege Mathia, neque a bano Croatiae Paulo, coactus fuerit ad ineundam pacem erga solutionem 40000 duc. tandem requirit, ut Veneti bello aggrediantur banum Paulum propter Clissam.

Ljubić: Listine X, 192. Responsa leguntur. Ibid. p. 196.

MXLI. 1461, 1 Decembris, Venetiis.

Oratori regis Bosnae respondeatur: cum gratitudine excipi sensa regis erga dominium venetum, quod illum libenter „recipiet in consortium nobilium“ suorum; permitti, ut si a Turcis opprimeretur, excipiat „ballestarios et sclopetarios“ de terris venetis; si „per Turcum pulsus esset“, libere „se reducat ad terras et loca“ reipublicae; litteris adhortabuntur ducem Stephanum, ut in pace cum rege perseveret; congratulantur „de assumptione et coronatione“ regis.

Ljubić: Listine X, 193.

MXLII. 1461.

Summa doctrinae Husitarum per Hungariam, Moldaviam et Sirmium diffusorum, quam fratres minores vicariae Bosnae impugnabant.

Reprobationes triginta octo articulorum, quos tenent heretici Usiti de Moldauis.

Prohemium. Beatissime pater, scriptura sancta testante, ad locum unde exeunt flumina revertuntur, ut iterum fluant; petentibus quibusdam religiosis viris sanctitatis tue nunciis in causis et negociis fidei in regnis Scithie, Bosne et Moldavie, ut beatitudo tua, que in cathedra (sedet), cuius

fides, ut beatus Sixtus predecessor tuus in ca. memor. 24. 9. 1. ait, nullam unquam haeresim fovet, sed omnes quidem hereses destruit, articulos quosdam erroneos, quibus quidam pestilentes homines dampnate memorie Johanis Huss impietatis discipuli regnum Moldavie pro magna parte contaminaverant et sacrilega vanitate seduxerant, ex fidei nostre inconvulsis radicibus faceret reprobari et illis transmitti, ut beatitudinis tue et apostolice sedis irrefragabil(is) doctrine armis precincti, illorum hominum perfidorum errores et deliramenta facilius domino opitulante possint a christianorum finibus repellere; sanctitas tua intelligens pro celsitudine sui pontificii non aliud sibi licere, quam ut omnes conatus suos ei cause, in qua universalis ecclesie salus infestatur, impendat, dedit illico mandatum mihi, eiusdem beatitudinis humili servo, ut prefatos articulos breviter improbarem, adimpleui pro parvitate iugenii mei sanctitatis tue precepta, singulis triginta octo articulis iuxta eorum impietatem ex fidei nostre et sanctorum patrum (doctrinam) solidissimis fundamentis adiungens improbationes brevissimas, que sicut a beatitudine tua exierunt per preceptoriam dispositionem, ita ad eandem revertuntur examinande et corrigende maxime, quia in festinantibus nunciis ad recessum multa currenter et cum quadam celeritate notata sunt. Sanctitas ergo tua, cui tocius iudicii summa debetur, illas corrigat emendetque, ut correctione tua illustriores effecte item fluant in edificatione fidei.

Sequuntur reprobationes quedam breves 38 articulorum infrascriptorum, qui dicuntur esse Husitarum, qui sunt in Moldauia, facte per dominum cardinalem sancti Sixti.

Primus articulus. Non obediunt ecclesie romane nec alicui ecclesiastice potestati.

Secundus articulus. Dicunt, quod corpus Christi et sanguis post elevationem revertitur ad substantiam panis et vini naturalis.

Tertius articulus. Dicunt, quod ecclesia nullo modo debet quemque excommunicare.

Quartus articulus est: legem positivam, puta decreta, decretales, sanctiones apostolicas, non recipiunt dicentes huiusmodi fere in omnibus contrariari legi diuine.

Quintus articulus. Dicunt nullum hominem debere occidi.

Sextus articulus. Quod matrimonia diuorciant, dicunt enim propter euangelium, quod solum se ipsos affirmant observare, omnia posse dimitti.

Septimus articulus. Omnia opera misericordiae negant exhiberi indignis.

Octavus articulus. Dicunt, nullum esse salvandum, nisi in secta et ritu eorum et quod antequam eorum secta inueniretur, omnes homines sunt dampnati. (Et qui in eorum . . .)

Nonus articulus. Negant purgatorium et suffragia defunctorum ponentes solum duo extrema, celum scilicet et infernum. Iste articulus, qui fuit hereticorum Valdensium, quondam etiam Grecorum, est erroneus et hereticus in utraque sui parte.

Decimus articulus. Dicunt, quod potestatem, quam dedit Christus beato Petro, nullus sacerdotum habet, neque dominus apostolicus, nisi habeat uitam beati Petri. Articulus iste est erroneus et hereticus et condempnatus Constantie inter errores Johannis Wicleff et Johannis Huss, qui in isto errore et pluribus aliis secuti sunt hereticos Valdenses.

Undecimus articulus. Dicunt, quod quicunque corpus et sanguinem Christi sub utraque specie non receperit, eternaliter dampnatur, etiam infans unius diei. Articulus iste iam alias Constantie fuit condempnatus tanquam erroneus.

Duodecimus articulus. Negant omnes concessiones papales circa salutem et absolutionem fidelium. Iste articulus Constantie fuit condempnatus inter errores Johannis Wicleff, qui articulus negans confessionalia et indulgencias, que solite sunt dari a romano pontifice etc.

Tercius decimus articulus. Dampnant quoscunque venerantes reliquias sanctorum.

Quartus decimus articulus. Deludunt miracula, que fiunt ad invocationem sanctorum et trufant de eis. Articulus (hic) continet errores haereticorum Valdensium.

Quintus decimus articulus. Prohibent signum crucis fieri.

Sextus decimus articulus. Dicunt, Christum non esse veraciter passum, neque uere mortuum. Articulus iste, qui fuit primo Manich eorum et multorum aliorum hereticorum.

Decimus octavus articulus. Prohibent venerationes gloriose uirgini Marie et aliis sanctis exhiberi dicentes, quod solus Deus est adorandus et colendus.

Decimus nonus articulus. Prohibent iuramenta omnino.

Vicesimus articulus. Dicunt, quod usus ymaginum in ecclesia est idololatria.

Vicesimus primus articulus. Dicunt, quod quilibet sacerdotum habet tantam potestatem (in) absolvendis et ligandis sicut solus papa.

Vicesimus secundus articulus. Leuia seu uenialia confitetur quilibet alterutrum, siue sit uir siue mulier, tantum mortalia sacerdoti reservantes.

Vicesimus tertius articulus. Dicunt, quod romanus pontifex est meretrix et omnes uiri ecclesiastici et religiosi una cum summo pontifice sunt meretrices.

Vicesimus quartus articulus. Vocant omnes ecclesias particulares fatuitates.

Vicesimus quintus articulus. Diuinum officium et cantum ecclesiasticum negant et derident.

Vicesimus sextus articulus. Dicunt, quod nullus potest absolvere a peccato existens in mortali. Iste articulus est erroneus et iam Constantie inter errores Johannis Wicleff condempnatus.

Vicesimus septimus articulus. Ecclesiam romanam vocant synagogam sathane. Iste error fuit hereticorum Valdensium et Constantie inter errores Johannis Wicleff . . . condempnatus.

Vicesimus octavus articulus. Dicit, quod quicunque sacerdotum actu non predicat, dampnatus est eternaliter.

Vicesimus nonus articulus. Beatum Benedictum et alios sanctos, qui religionem instituerunt, dampnant eternaliter. Iste articulus dampnatus fuit Constantie . . . inter errores Johannis Wicleff.

Tricesimus articulus. Baptizant in aqua simplici vel flumine sicut Christus, ymmo sepe baptizant cum baptizandus non sit presens, sed secure

sit circa tertiam et quartam domum, dum tamen sint presentes pro baptizando respondentes.

Tricesimus primus articulus. De oleo sancto chrismate infirmario et crismatione episcopali non curant, sed faciunt risum. Iste articulus est erroneus negans duo sacramenta . . . confirmationis . . . et . . . extreme unctionis . . .

Tricesimus secundus articulus. Aquam benedictam cum sale dominicis diebus vocant urinam sacerdotum.

Tricesimus tertius articulus. Nullum festum colunt preter diem dominicum. Articulus iste fuit etiam hereticorum Valdensium.

Tricesimus quartus articulus. Jeiunia non curant.

Tricesimus quintus articulus. Contra canones instituerunt novam religionem vocando se fratres de lege diuina.

Tricesimus sextus articulus. Celebrant missam in indumentis et locis non consecratis et sine altari portatili; de ecclesia consecrata non curant sed ubicunque necessitas impulerit siue in stabulo siue in molendino siue in refectorio super una tabula celebrant missam.

Tricesimus septimus articulus. Mulieres eorum clericam portant . . . Articulus . . . iste . . . ortum videtur habuisse ab errore pepusianorum, qui sacerdotale officium et sacerdotis honorem mulieribus attribuunt . . .

Tricesimus octavus articulus. Mulieres eorum faciunt omnibus communes . . .

„Laus Deo. Finitur compendium brevitatis causa compositum contra regni Bosne errores et hereticos articulos per Johannem de Turrecremata sacrosanctae romane ecclesie cardinalem".

Biblioth. vatican. Cod. mss. latin. 976, fol. 71.

MXLIII. 1462, 13 Maii, Romae.

Pius PP. II. scribit P. Ludovico a Vicentia, vicario generali observantium familiae cismontanae, ut personaliter in Dalmatiam se recipiat, ad differentias quasdam inter fratres Dalmatiae et Bosnae componendas, mandatque fratribus trsatensibus et veglensibus, ut ei in omnibus obediant.

Pius PP. II. Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. Per alias litteras nostras mandavimus dilecto filio fratri Baptistae de Levanto, tunc generali vicario fratrum de observantia, ordinis beati Francisci, partium cismontanarum, predecessori tuo, ut pro pace componenda . . . Scripsimus insuper dilectis filiis generali et provincialibus vicariis ceterisque vocalibus ordinis predicti de observantia, in generali capitulo apud Auximum anno preterito congregatis, ut omnes et singulas differencias vestras et presertim inter provinciam dalmatinam et vicariam bosnensem componere, decidere et determinare valerent. Accepimus postremo nihil per predictos ex voluntate partium non invicem convenientium decisum aut determinatum fuisse; quin potius aliquos fratres provincie Dalmatie ab obedientia vicarii provincie illius contra apostolica indulta quorumdam secularium dominorum favore ac patrocinio postmodum (se) subtraxisse. Quod nobis molestissimum ac universe familie tibi commisse periculosissimum; (ideo tibi) quem audivimus utriusque partis superiorem prelatum esse, committimus et mandamus in vim obedientie salutaris, ut

quamprimum commode poteris personaliter accedens fratres rebelles ad te advoces et per censuras compescas a tali rebellione et temeraria locorum occupatione. Indulgemus preterea et declaramus, ut pro meliori et commodiori regimine ordinare possis de provintiarum illarum, Bosne videlicet et Dalmatie, locis vel conventibus factis aut fiendis uni magis quam alteri parti per te adiudicandis vel attribuendis, sive de terminis provintie et commodis usibus questis vel auctoritatibus quibuscunque decidere et determinare, aut provintias illas dividere aut unire et ad unius capitis regimen adducere ex nostra valeas et apostolice sedis commissione. Nos vero, ut nostra hec iussio sortiatur effectum . . . omnibus et singulis fratribus in loco Tersati et Uegle rebellibus commorantibus et utrique Dalmatie et Bosne vicario ceterisque fratribus provinciarum predictarum presentibus et futuris sub pena excommunicationis late sententie precipimus et mandamus, ut quidquid in predictis feceris, statueris et ordinaveris, sine aliqua contradictione observent ac faciant observari, que omnia per te tunc acta, rata habemus et ex nunc approbamus, quacunque alia in predictis alias forsan facta determinatione et ceteris in contrarium (non obstantibus).

Ex original. in tabulario conv. s. Isidori fratr. minor. in urbe.

MXLIV. 1462, 16 Julii, Venetiis.

Oratoribus ducis Stephani respondetur, ipsi a Venetis contra Turcos „omnes possibiles favores“ praestitum iri, quamvis non dubitent, „quod in omnem casum prevalebit contra ipsum Turcum.“

Ljubić: Listine X, 220.

MXLV. 1462, 10 Augusti, Szegedini.

Mathias, Hungariae rex, datis ad Barthenses litteris profitetur, quod pro redimenda corona regni, non solum regni proceres „sed etiam fidelis illustris princeps, d. Stephanus rex Bosniae“ notabiliter subvenerat.

Dat. Szegedini in festo b. Laurentii M. anno dom. 1462.

Katona: Histor. critic. r. Hungar. tom. XIV, p. 543.

MXLVI. 1462, 13 Novembris, Venetiis.

Stephanus dux s. Sabae conqueritur contra suum filium Vladislavum, qui discedens ad imperatorem Turcorum acusavit suum patrem, quod ipsum e patria expulerit, offertque 100.000 ducatorum, si eiusdem subsidio partem patriae regionis occuparet. Imperator requirit medio oratoris sui a duce vel 100.000 duc. vel tria castra: „Corobuch, Micevaz, Zazevina“, observando, quod tali in casu daturus sit ipse partem propriae terrae Vladislavo, ducis vero regionem illaesam permissurus. Petit auxilium in necessitatis casu. Refert, imperatorem Turcorum per suum legatum prohibuisse sibi (Stephano) cum pontifice et Venetis societatem.

Ljubić: Listine X, 227. Responsum ibid. p. 229.

MXLVII. 1462, 11 Decembris, Tuderti.

Pius PP. II. Nicolaum, episcopum Modrusiensem in regno Bosnae sedis apostolicae legatum destinat, cui perscribit, „ut ea, quae in certis

aliis nostris litteris expressa sunt et quae tibi verbo commisimus, tam apud carissimum in Christo filium nostrum Stephanum regem Bosnae, quam apud dilectos filios, nobiles viros sui regni et alios circumstantes principes et proceres, cum exacta fide et diligentia prosequaris . . ."

Quum propter . . Dat. Tuderti 1462. 3 id. Decembris an. 5.

Katona: Histor. critic. r. Hungar. tom. XIV, p. 501. *Farlati D.*: Illyric. sacr. tom. IV, p. 108.

MXLVIII. 1462.

Mathias rex, Ladislao de Vesen, suo ad s. sedem legato inter cetera iniungit: ut „de regno Boznae, quod pertinuit semper et pertinet ad Hungariam, (faciat) improperium cum moderatione summo pontifici, qui forte per inadvertentiam talia facit, quod regi Bosnae datur fiducia separandi se ab hoc regno . . ."

Apud *Katona:* Histor. critic. r. Hungar. tom. XIV, p. 553.

MXLIX. 1462, Budae.

Mathias, Hungariae rex, datis ad summum pontificem litteris, conqueritur, quod s. sedes in regem Bosnae sit indulgentior, quam iura Hungariae admitterent; multa dein refert, quae ipse rex Bosnae, in praeiudicium regum Hungariae fecerat, vel obtinere laboraverat, dum Szendrovium Turcis „tradidit"; eosdem „tributi sui pensione redidit fortiores"; „coronari, in regno confirmari ac novorum episcopatuum fundationes (sibi) permitti quaerit, et terras suas ballistariorum praesidiis muniri... etc." nititur.

Datum Budae 1462.

Katona: Histor. critic. r. Hung. tom. XIV, p. 394.

ML. 1462.

Mathias, Hungariae rex. promittit Ragusinis, se eos „regi Boznae et duci (s. Sabbae) Stephano per nuncios" commendaturum esse.

Datum 1462.

Katona: Histor. critic. Hung. tom. XIV, p. 429.

MLI. 1462, Budae.

Joannes Vitez, episcopus varadinensis, papae Pio II. rescribit, illius litteras medio ianuario datas se recepisse, „in quibus S. V. nobis committit laborare in facto regis Boznae, ut videlicet rex eum, ad se humiliter revertentem, suscipiat". Mandata haec se executioni dedisse. „Caeterum bono quodam auspicio tam litterae S. V. quam oratores regis praefati, huc iterato missi, eodem ferre tempore in unum concurrerunt et deducta est res in bonos terminos".

Katona: Histor. crit. XIV, 499—500.

MLII. 1462, Budae.

Mathias, Hungariae rex, cardinali s. Angeli significat, a se regem Bosnae „ad obedientiam et devotionem redeuntem . . . intuitu sedis apostolicae nec non etiam ex officio regalis clementiae" benevole receptum esse. — Dat. Budae 1462.

Katona: Histor. critic. r. Hungar. tom. XIV, p. 500.

MLIII. 1463, 11 Februarii, Venetiis.

Oratoribus ducis Stephani respondeatur: eiusdem responsum domino Teucro „de bombardis, gentibus etc. contra Raguseos esse dignum catolico domino"; requisitionem Turcorum „pro pecuniis" „declinare debeat et conservare sibi pecunias in opportunitatibus suis"; hortari „eum ad se uniendum et bene intelligendum cum rege Bossine, ut in omnem casum unitis viribus se tueri possent contra communem hostem".

Ljubić: Listine X, 234.

MLIV. 1463, 16 Februarii, Romae.

Pius PP. II. praecipit capitulo generali observantium, ut vicariam Bosnae cum provincia Dalmatiae uniant, et ut vicarius sit Italus tanquam caput ambabus partibus indifferens.

Pius PP. II. Dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem. Dudum per litteras nostras mandavimus dilecto filio fratri Baptistae de Levanto tunc generali vicario vestro, ut pro pace componenda inter provincias Bosne et Dalmatie personaliter illuc accederet; scripsimus insuper dilectis filiis generali et provincialibus vicariis ceterisque vocalibus ordinis vestri atque familie de observantia in generali capitulo apud Auximanum congregatis, ut omnes et singulas differentias provinciarum vestrarum et presertim Dalmatie ac Bosnae componere, decidere et determinare valerent; et tamen accepimus, nihil per predictos ex voluntate pro tunc invicem non conventium decisum aut determinatum fuisse, quin potius aliquos fratres provincie Dalmatie ab obedientia vicarii illius contra apostolica indulta quorumdam secularium dominorum favore ac patrocinio, se postmodum subtraxisse, quod periculosissimum decernentes commisimus postremo ac mandavimus dilecto filio fratri Ludovico Vincentino, generali vicario vestro, ut quamprimum commode posset personaltter accedens fratres predictos rebelles ad se vocaret, et per censuras eos compesceret a tali rebellione et temeraria locorum occupatione. Unde tandem ad aures nostras pervenit, prefatas provincias nec dum concordi pace mutuo se fovere. Volentes igitur auctoritate apostolica his finem imponere vobis infra scripta declaramus et per apostolica scripta mandamus: primo videlicet, quod de duabus provinciis Dalmatie et Bosne fiat una provincia, que vocetur provincia Bosne et Dalmatie. Secundo, ut huic provincie preferatur unus vicarius Italus, ut caput ambabus partibus indiferens, qui vicarius eligatur in singulis generalibus congregationibus vestris per generalem vicarium et definitores vestre generalis congregationis. Tertio, quod eius officium perseveret per tres annos sicut et officium generalis vicarii vestri. Qui tamen vicarius Dalmatie et Bosnae subsit ac pareat vicario generali cismontano. Et ut hec nostra declaratio seu mandatum sortiatur effectum, vobis in vim obedientie precipimus et mandamus, ut hanc constitutionem nostram seu declarationem in primo futuro capitulo generali tenere ac observare et exequi non postponatis. Omnibus vero ac singulis fratribus Bosne et Dalmatie presentibus et futuris sub pena excommunicationis late sententie precipimus et mandamus, ut declarationem et voluntatem nostram predictam sine aliqua contradictione debeant observare. Non obstantibus constitutionibus seu exceptionibus prout per

predecessores nostros vicarie Bosne seu provincie Dalmatie predictis factis, quarum tenorem hic pro sufficienter expresso haberi volumus et ceteris in contrarium facientibus quibuscunque. Datum Rome apud s. Petrum sub anulo piscatoris. Die XVI Februarii MCCCCLXIII. pontificatus nostri anno quinto. C. T. Piccolomin.

(In dorso): Dilectis filiis vicariis generali et provincialibus ceterisque vocalibus ordinis minorum in generali capitulo congregatis.

Ex originali in tabular. convent. s. Isidori fratr. minor. in urbe.

MLV. 1463, 28 Februarii.

Rex Bosnae Stephanus Tomašević per oratores suos notum facit Venetis, quod Turci, teste intimo consiliario, deliberaverint proxima iam aestate Bosnam et provinciam ducis Stephani occupare, dein irruere in terras Venetorum usque ad Istriam. Hocce periculum annunciabit etiam pontifici.

Ljubić: Listine X, 237.

MLVI. 1463, 28 Februarii, Venetiis.

Oratoribus regis Bossinae respondeatur: quemadmodum dominium venetum, licet sit in pace cum Turco, parat „potentissimam classem", ita et rex „provideat magnanime rebus suis, sicut catholicum principem decet"; laudari eius promptitudinem „uniendi se cum duce Stephano et cum aliis dominis illarum partium", idemque faciat cum rege Hungariae, „ut potentiori manu hostem offendere possint; quum oratores ipsi „ad summum pontificem profecturi sint", provocabitur „orator venetus in curia, ut tam apud summum pontificem quam aliter eisdem oratoribus faveat", „de municionibus cruciatae" concedentur 50 balistae, 50 veretoni et 50 barilia pulveris a bombarda.

Ljubić: Listine X, 235.

MLVII. 1463, 26 Aprilis, Venetiis.

Ad requisitionem ducis Stephani, per ipsius litteras 8 et 20 Martii datas, comiti et capitaneo Scutari et aliis rectoribus Albaniae praecipitur, ut Scanderbegum, qui duci Stephano auxilium promisit, cum exercitu per territorium venetum transire permittant.

Ljubić: Listine X, 242.

MLVIII. 1463, 17 Maii, Romae.

Pius PP. II. praecipit vicario Bosnae, ut in conventibus Trsatensi et Briniae, a Martino de Frangepanibus aedificatis, eidem Martino fidos collocet fratres.

In nomine Domini Amen. Anno nativitatis eiusdem millesimo quadringentesimo sexagesimo tertio, indictione undecima, die septimo mensis Julii. Religiosus vir dominus frater Nicolaus de Ragusio, custos seu guardianus conventus et fratrum s. Marie de Pallude, dioecesis spalatensis, ordinis minorum de observantia, petiit instanter a venerabili viro, domino

presbitero Georgio primicerio et vicario ecclesie spalatensis, quod per me notarium et cancellarium substitutum exemplari et in paucam formam redigi faceret quoddam breve apostolicum, cuius tenor de verbo ad verbum inferius annotatur. Ipse vero dominus vicarius iam dictus, precibus et instantia prefati domini fratris Nicolai motus, commisit mihi notario et cancellario predicto, quatenus dictum breve apostolicum auctoritate sua transscriberem et transscriptum etiam exhiberem. Tenor autem ipsius brevis talis est:

Dilecto filio vicario ordinis minorum de observantia provincie bosniens. Pius pp. II. Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. Optat dilectus filius comes Martinus Senie in conventibus fratrum minorum de observantia castrorum Cerzath et Brinie modrusiens. et senien. dioces. religiosos locari, qui sibi fidi sint et grati, nec id ab re se cupere dicit. Hinc timet, nisi tales fuerint, maximum sibi preiudicium generari, cum in confinibus sui dominii consistant. Nos etiam ea in re eidem comiti morem gerendum putamus, cum asserat, se ipsos conventus edificasse ac plura illis bona contulisse. Suis igitur supplicationibus annuentes, mandamus tibi in virtute sancte obedientie, quod in eis conventibus tales religiosos locare studeas, qui Deum timeant ac eidem comiti grati sint et accepti. Id si feceris placebit nobis, si vero secus egeris, cogemur nos alia adhibere remedia. Datum Rome apud s. Petrum sub anulo piscatoris die decimo septimo Maii, MCCCCLXIII, pontificatus nostri anno quinto. Jo Baptista. Actum Spalati in domo prefati domini vicarii spalaten. presentibus venerabili viro domino Joanne Nicolai, canonico spalaten. et Matheo Petri testibus habitis et rogatis.

† Ego Leonardus Montagna veronen. publicus apostolica et imperiali auctoritatibus et communis Spalati nec non curie archiepiscopalis juratus notarius et cancellarius de mandato prefati domini Georgii vicarii spalatensis et ipso suam auctoritatem interponente, predictum breve apostolicum exemplavi et publicavi, qui presens fui in omnibus supradictis et ipsum originale vidi ac iudici prefato ac testibus supradictis ostendi, exposui et perlegi et coram ipsis cum ipso originali predictum exemplar auscultavi et concordare vidi.

Ex exemplo in tabular. convent. minor. trsaten. in Croatia.

MLIX. 1463, 13 Junii, Venetiis.

Aloysio Lauredano, capitaneo generali maris notum fit, quod Turca intraverit in Bosnam, eam subjugaverit et regem ceperit, ulterius forsitam progressurus.

Ljubić: Listine X, 247.

MLX. 1463, 14 Junii, Venetiis.

Christophorus Mauro, dux Venetiarum, dominis Florentinis refert: „miserabilem regni regisque bossinensis calamitatem ... Turchorum princeps, undecunque coactis copiis et numeroso instructo exercitu, regnum ipsum Bossinae est agressus ... regem ipsum captivum misere detinet et foedissime tractat ...“

Makušev: Monum. histor. Slavor. mer. I, 532. Idem nunciat summo pontifici. *Ljubić:* Listine X, 250.

MLXI. 1463, Venetiis.

Respublica Venetiarum ad imperatorem Romanorum scribit de calamitate regni Bosne, deque suprema necessitate tam immanem hostem bello adoriendi et ex Europa pellendi.

Serenissimo domino imperatori. Litterae imperatoriae maiestatis vestrae, quibus humaniter superioribus respondetur nostris, ad nos perlatae sunt. Omnia, quae ipsis graviter et ordine continentur, accurate accepimus. Dolorem, quem maiestas vestra animo concepisse videtur ob molestissimum et infaustum nuntium calamitatis regni et regis Bossine, nos facile agnoscimus. Quis enim christiano charactere insignitus non ex animo doleat? quis temperare lacrymis possit, si videat christianos partim immaniter a barbaris trucidari, partim in servitutem fedissime trahi, et pro hostis impurissimi libidine indignissima queque pati? tanto vero acrius cesareae maiestati hec admordere animum vehementiusque pulsare debent, quanto maiore sublimioreque amplitudine excellit et praestat.

Nos, serenissime imperator, plerisque documentis et inditiis rerum explorare potuimus, quod hostis teterrimus et tyrannus sevissimus animo volveret, quorsum aspirare anniteretur. Nunc vero longe id nobis planius et exploratius esse potuit, ut nulla ratione amplius esset nobis dissimulandum et tempus longius protrahendum sine ingenti periculo non modo rerum nostrarum, verum quoque reliquorum christianorum.

Tot igitur insidiis, tanta dominandi cupiditate insolentissimi hostis impulsi et provocati, divino auxilio pie et humiliter implorato, nostris viribus . . . (classem) . . . XL triremibus et plerisque aliis onerariis navibus omni machinamentorum genere instructam atque ornatam apparavimus; peditatum item et equitatum instruximus et apparatus hos omnes ac copias ad littora finitima hostis, salvatore nostro Jesu Christo duce, direximus, ut qua potissimum res hostiles offendi posse atque cogitata barbari distrahi et turbari animadverterint, eo prope rato ex occasione arma inferant et molem belli importent. Credimus opem divinam huic iustissime cause affuturam. Non dubitamus, pontificem maximum, pro pietate sua proque paterne et pastoralis cure et sollicitudinis munere, rebus omnibus sapientissime prospecturum. Speramus propterea reliquos christianos reges et principes et precipue cesaream maiestatem vestram negotium hoc fidei et causam publicam summa caritate, summa cura, omni celeritate et studio suscepturam. Ut tandem christianorum coactis viribus hostes immanissimi et barbari truculentissimi, valitudine undique irretiti, sicut diuturne insolentie penas dent, et fugati fusique Europa (pell)antur. Nos pro virili parte rebus omnibus nunquam deerimus, quinimo maiorum nostrorum secuti vestigia christiane religionis libertatem pro viribus constanti voluntate et summo tuebimur studio.

Tabular. vatican. cod. mss. politicorum XCVII, fol. 1.

MLXII. 1463, 3 Julii, Tiburc.

Pius PP. II. reformatoribus Bononiae nunciat cum dolore: Maumethes Turcorum . . . „novissime Bosne regnum occupavit, et capto rege, quod lugendum est, ulterius impetus sui conatus extendit, superatisque Bosne

claustris in Illyricum usque, et prope Dalmatie littora, h. e. ad Italiae portas, gloriabundus arma intulit . . .“

Makušev: Mon. hist. Slav. merid. I, 309.

MLXIII. 1463.

Pius PP. II. in suis litteris, ad universos christianos vulgatis, inter cetera scribit: „Hoc anno (Turci) Bosniam invaserunt universumque regnum sibi subiecerunt . . (et Stephanum), qui salutem pactus sese dediderat, cum patruo suo, Mahometes ipse, humano sanguine insatiabilis, sua manu, ut fertur, iugulavit . . .“

Pray: Annal. r. Hung. P. III, p. 299. *Katona*: Histor. critic. r. Hungar. tom. XIV, p. 642.

MLXIV. 1463, 13 Julii, Ragusii.

Rector et consilium Ragusii Nicolao Gundulić legato suo committunt, ut pro corpore s. Lucae, quod fratres Franciscani in Polize tenent, Ragusium deferendo assensum Ivaniš Vlatković, vojevodae, obtineat.

Rački: Rad. knj. I. p. 159.

MLXV. 1463, 13 Julii, Ragusii.

Rector et commune Ragusii rogant Ivaniš Vlatković, ageret, ut corpus s. Lucae, prout fratres Franciscani Bosnenses facere intendebant, Ragusium deferatur.

Rački: Rad knj. I, p. 159.

MLXVI. 1463, 19 Julii, Scutari.

Melchior de Imola, armorum in partibus Albaniae gubernator generalis, marchionisse Bengarde de Gonzaga scribit, quod Turcorum imperator occupata maiori parte Bosnae et relicto ibi exercitu 20.000 militum inde discesserit in Serbiam in locum „Sighinicza“ (Sjenica), Scutari duabus diebus distantem, hicque substiterit.

Makušev: Ист. споменици јужних Словена II, 26.

MLXVII. 1463, 1 Augusti, Venetiis.

Mittatur orator ad ducem Stephanum et eius filium Ladislaum et Scanderbegum, qui de „conditionibus statuum et rerum eorum“ referet, et „dissensiones inter eos“ componet.

Ljubić: Listine X, p. 261.

MLXVIII. 1463, 25 Augusti.

Maria, Stephani regis Bosnae vidua, requirit Ivaniš Vlatković vojevodam, ut corpus s. Lucae iam Venetias translatum, ad se remitti curet, nam rex Hungariae pro illo tria aut quatuor castella se daturum esse, pollicetur.

Rački: Rad knj. I, p. 160.

MLXIX. 1463, 26 Augusti, Venetiis.

Antonio de Priolis, „oratori designato ad ducem s. Savae Stephanum", committitur, ut primum Spalati capiat „informationem de statu et conditionibus provincie Bossine: quot in ea Turci sunt . . . et cuius auctoritatis ac virium est unusquisque illorum Bossinensium, qui Spaletum profugi se receperunt, et inter ceteros hic, qui apud nos est, nomine Ivanis . . ." illos „bonis verbis contentos facere procurabit". Duci Stephano exponet „dolorem" ob „oppressionem, quam immanissimus hostis fidei ei statuique suo post regni Bossine excidium regisque trucidationem inferebat". Bosna posset recuperari, si dux „ceterique domini et barones, qui auctoritatem et vires habent, huic negotio incumbant"; vicini auxilium praestabunt. Dissidia inter Stephanum et eius filium Vladislaum componat.

Ljubić: Listine X, 266.

MLXX. 1463, 4 Septembris, Venetiis.

Comes Pribisav Vukotić, nuper orator ducis Stephani, cum filiis et haeredibus nominatur in civem venetum.

Ljubić: Listine X, 270.

MLXXI. 1463, 12 Septembris, Petrovaradini.

Mathias rex cum Venetiarum duce Christophoro Mauro init „unionem, intelligentiam et ligam contra infidum Turcum sub pactis, ut Veneti classe 40 triremium via Dalmatiae et Peloponesi, Hungari vero pedestri exercitu aggrediantur hostem, sed „nihil Veneti in limite hungarico, nihil Hungarus in veneto" inouabunt, neutraque pars sine altera pacem inire possit.

J. J. Miller: Coll. diplom. I, 547. *Katona*: Hist. crit. XIV, 649.

MLXXII. 1463, 12 Septembris, Venetiis.

Vojvodae Ivaniš, Venetias advenienti, qui partem insulae Bratiae dari sibi petiit, respondeatur, hocce denegari, sed ipsi „et suis ac etiam regine" ibidem hospitium offertur; domus Spalati eidem conceditur, item duc. 200 annua „provisio" pro oblatis in servitium reipublicae 400 militibus.

Ljubić: Listine, X, 274.

MLXXIII. 1463, 15 Septembris, Spalati.

Andreas Venerio, comes Spalatensis, ducem Venetiarum, quid de corpore s. Lucae eiusque translatione in Bosnam audiverit, informat.

Rački: Rad knj. I, p. 162.

MLXXIV. 1463, 1 Octobris, Romae.

Pius PP. II. Florentinos hortatur, ut non denegent auxilium Ragusinis, qui „postquam Maumethus Turchorum rex Europam invasit" damna et incommoda pertulerunt, et „hoc anno, post captum Bosne regnum", magno in timore constituti fuerunt.

Makušev: Mon. hist. Slav. merid. I, 548.

MLXXV. 1463.

Mathias rex papae Pio II: „Dum circiter kal. Maias, opportune congregato exercitu, castra metatus essem ad ripas Danubii . . . non longe aberat etiam Turcus magnus cum exercitu magno . . . Exploratores nostri varium saepe nuncium adferebant: aliis ad castrum Nandoralbense (Belgrad) vallo circumdandum, quibusdam ad praelium nobiscum ineundum, alios alio eum tendere asserentibus. At paulo post ambiguitas haec sublata fuit, palamque factum est, invitatum eum a quibusdam proditoribus Boznam versus declinare".

Katona: Histor. crit. XIV, 578.

MLXXVI. 1463, 13 Octobris, Venetiis.

Oratoribus Ladislai, filii ducis Stephani, ad propositionem, ut Veneti suscipiant „impresiam regni Bossine", respondetur, regem Hungariae istud iam fecisse, dum „gentes sue potenter ingresse sunt in Bossinam, et obtinuerunt Jaiciam, erantque in procinctu obtinendi reliquum". Quoad insulam Brace, quam petunt, „Ladislaus in hoc nos habeat supportatos." Quam primum apta domus pro Ladislao Veneciis acquiri poterit, id fiet.

Ljubić: Listine, X, 278.

MLXXVII. 1463, 19 Octobris, Venetiis.

Oratori veneto in Hungaria Aimo scribitur, famam, Vladislaum filium Stephani „ingressum esse in Bossinam et nonnullas terras et loca obtinuisse" nomine reipublicae Venetae, quasi ista praetenderet Bossinam, sparsam fuisse ab ipso Vladislavo, veritateque non niti.

Ljubić: Listine, X, 281.

MLXXVIII. 1463, 11 Novembris, in civitate Jajce.

Mathias rex monasterio peč-varadiensi ord. s. Benedicti praeficit Petrum monachum claustri b. M. V. de Kolos-monostra.

Katona: Histor. crit. XIV, 656.

MLXXIX. 1463, 18 Novembris, Venetiis.

Stephanus, dux s. Savae, per suos oratores reipublicae venetae notum facit: Turcum ipsi minari ruinam; se omnia castra, quae castellani proditores Turcis tradiderant, tribus exceptis, recuperasse; composuisse se dissidia cum filio Ladislao concedendo ipsi qnartam partem sui territorii, verum paulo post tertiam ipsum praetendisse; alium filium suum Vlatko feliciter pugnasse cum Turcis, occupasseque magnam partem regionis, quae ad Pavlović pertinebat, item sex castra; regionem quoque, quae ad Kovačević pertinebat et tria castra, quorum unum est penes Srebrnicam; flagitat restitui sibi castellum „Homis" (Omiš, Almissa), item dari sibi unam „galiam", quam posset tenere in Narenta.

Ljubić: Listine X, 285.

MLXXX. 1463, 6 Decembris, in Jajce.

Mathias, Hungariae rex Vladislaum Vukčić vojevodam, Stephani ducis s. Sabbae filium, in suam clientelam recipit etc., quia „quum in aestate

proxime praeterita Turcorum imperator cum maxima paganorum multitudine . . . regnum . . . Bozne hostiliter invadens, interfecto . . . Stephano rege regnum . . . in miserabilem redegisset servitutem, ipse (Vladislaus) seipsum potenter et manifeste ipsi imperatori . . . hostem . . . constituit contra potentiam pugnans". Cui et castra „Veszela straža" in comitatu Uschopye et „Prozor in Rama" cum adnexis territoriis donat.

Dat. In civitate nostra Jaycza in festo b. Nicolai ep. conf. ann. dom. MCCCCLXIII.

Katona: Histor. critic. r. Hungar. tom. XIV, p. 657.

MLXXXI. 1463, 14 Decembris, Jajce.

Rex Mathias Mathaeo, Nicolao et Petro possessiones ipsorum „in civitate et in circuitu Srebarnicza", e quibus „his diebus proxime elapsis, dum Turcorum imperator regnum Bosne subiugasset", eiecti erant, iterum confirmat.

Gelcich: Diplomatarium p. 620.

MLXXXII. 1464, 27 Januarii, Dubrava in Slavonia.

Mathias rex papae Pio II. notum facit, se dum anno elapso „circiter kal. Maias" ad recuperationem Bosnae animum intendisset, „castrum et oppidum Jajca", obsidione circumdatum occupasse; posteaque „circiter 30 castra" deditione sibi tradita fuisse; „habebamque spem indubiam de caeteris . . . . si tempestas hiberna ampliores labores non interdixisset. Redii ergo ex Bosna".

Katona: Histor. crit. XIV, 666. Idem ferre nuntiat civitati Posonii. *Teleki:* Hunyadikora XI, 81. Litterae regis Mathiae 8 Junii 1464 editae (ibid. 88—9) sunt »Emerico de Zapolya gubernatore regni Bozne et Dalmatie, Croatie et Slavonie bano«. Eidem »Bosne gubernatori« directae sunt litterae 18 Octobris 1464 (ib. 95).

MLXXXIII. 1464, mense Februario.

Stephanus, dux s. Sabae etc. comes Drini et magnus vojevoda regni Bosnae, fatetur se accepisse a Ragusio foenus pecuniae olim per ducem Sandal depositae.

Miklošić: Monum. serbic. p. 492.

MLXXXIV. 1464.

Rex Mathias papae Pio II. conqueritur, frustra adexpectari subsidia sibi promissa; se voluisse primum aggredi hostem; „nunc autem hostis prior plagam intulit et ad ipsa prope vitalia penetravit; Boznam quippe, totius Christianitatis, ut ita dicam, clavem et portum, gravi meo labore nuper recuperatam, rursus invasit, et omnia illa castra, apud manus nostras habita, semel obsedit, que tali vi ac tantae multitudini diu resistere non possunt . . ."

Katona: Histor. critic. XIV, 734.

MLXXXV. 1464, 2 Martii, Venetiis.

Eligitur ad regem Hungariae orator Franciscus Justiniani, qui cum Joanne Aymo regi nomine dominii veneti congratulabitur de „prospero eius successu in Bossina".

Ljubić: Listine X, 298. In commissione data 12 e. m. fatis oratoribus offeruntur regi »pulveres a bombarda«, quibus »loca sua Bossine« indigent, de illis, qui Spaleti et Sibenici asservantur. Ibid. p. 301.

MLXXXVI. 1464, 6 Aprilis, Jadrae.

Fr. Marinus de Kurcula, vicarius Bosnae, et in negotio promulgandae expeditionis cruciatae in Turcos commissarius, Helenae filiae Simonis de Grisogonis certos favores spirituales confert.

Pateat universis Christi fidelibus praesentes litteras inspecturis, qualiter ego fr. Marinus de Corzola, ordinis minorum de observantia, vicarius Bosnae, ac reverendissimi in Christo patris et domini, domini Bessarionis, sacrosanctae romanae ecclesiae cardinalis, patriarchae Constantinopolitani, sedis apostolicae legati de latere, commissarius in Dalmatia, Bosna et Chroaccia super cruciatam, concedo tibi Elenae filiae domini Simeonis de Grisogonis, eo quod de bonis a Deo sibi collatis adiutorium pro sacra expeditione sanctissimae cruciatae propriis manibus libras tres contulisti, ut possis et valeas confessorem idoneum tibi eligere, qui te ab omnibus peccatis tuis et criminibus absolvere valeat, et casibus apostolicae dispositionis reservatis semel in vita dumtaxat et in sinceritate fidei et unitate sanctae romanae ecclesiae, et obedientia ac devotione summi pontificis Pii PP. II. et successorum suorum canonice intrantium et permanentium in mortis articulo plenariam indulgentiam concedere valeat. In cuius rei testimonium praesentem scripturam fieri mandavi, impressione sigilli, quo in similibus utor, munitam. Datum Jadrae anno Domini MCCCCLXIIII. sexta die Aprilis, tempore sanctae cruciatae.

Ex Antonii Paulini »Istoria ecclesiastico-profana di Corzola« edidit Vid Vuletić Vukasović in Glasnik jugoslovj. Franjevaca« Sarajevo god. 1889 br. 7 str. 119.

MLXXXVII. 1464, 11 Augusti.

Gerardus de Collis refert, iuxta litteras Jadera obtentas, bis mille Turcorum Jajcae trucidatos fuisse per quendam capitaneum Hungarum; regem fluvium Savum transiisse, atque eum 12 Augusti adexpectari in Bosna cum exercitu 40—50.000 militum.

Makušev: Ист. споменици јужних Словена II, 233. Ipse sub 22 Octobris refert, Turcos Jajce deseruisse.

MLXXXVIII. 1464, 12 Augusti, Venetiis.

Nobiles Bosinenses Venetorum „subsidium pro reaquirendo regno Bosine implorant, illudque tam suo quam aliorum nobilium nomine offerunt", seque „nullum alium dominum velle nisi venetum dominium, et si non admitterentur, subigent se ditioni Turcorum"; petunt praeterea, ut respublica oratorem mittat „ad ducem Stephanum et ad alios dominos partium illarum".

Ljubić: Listine, X, 261.

*

MLXXXIX. 1464, 7 Septembris, Pasmanii.

Fratres vicariae Bosnae et Dalmatiae in capitulo congregati, praeside fr. Marco Bononien. vicario generali ordinis, recipiunt et approbant decretum generalis capituli Assisiensis de unione vicariae Bosnae et Dalmatiae sub uno superiore vicario fr. Bernardino Aquilano etc. recensentur nomina vocalium capituli Pasmaniensis.

Universis et singulis in Christo patribus venerandis et ceteris fratribus ordinis minorum de observantia presentibus et futuris presentes litteras inspecturis, frater Marchus de Bononia, eiusdem ordinis nec non reverendissimi patris generalis, quoad fratres de observantia nuncupatos, partium cismontanarum vicarius generalis immeritus, salutem et pacem in Domino sempiternam. Cum olim inter duas familias ordinis nostri, bosnensem videlicet et dalmatinam, lis quedam et controversia propter commixtionem nonnullorum locorum dictarum familiarum suborta fuit, nec summos pontifices pro tempore existentes latuit, recolende memorie Pius, papa II. his finem volens imponere et pacem ac concordiam conferre, quoddam breve direxit vicariis generali et provincie ac ceteris fratribus, in capitulo generali proxime celebrato in sancta Maria de Angelis extra Assisium congregatis[1], cuius tenor talis est etc. (copiam habeo apud me). Fratres vero in dicto capitulo congregati mandato summi pontificis parere volentes determinarunt unam provinciam fieri et de cetero esse ex supradictis familiis Bosne et Dalmatie; ac venerandum patrem fratrem Bernardinum aquilanum, in vicarium eiusdem provincie novitus institute tenore brevis instituerunt, cui ego idem frater Marchus omnem auctoritatem et facultatem concessi pariter et commisi, sicut patet in patentibus litteris meis sigillatis et registratis.

Idem vero vicarius frater Bernardinus ad predictam provinciam se conferens provinciale capitulum utriusque familie in loco Pasmani, custodie sancti Hyeronimi, ultima die Augusti congregavit, ad quod nutu divino, ut puto, applicui et in eodem ego idem presens ac presidens fui, cum tamen intenderem toto affectu Siciliam navigare. In hoc autem capitulo infrascripta determinata sunt de patrum voluntate; in quo diffinitores fuerunt: frater Phylippus de Ragusio, frater Marinus de Corsula, frater Franciscus de Hyadria et frater Masseus de Sibinicho, in primis videlicet, quod ex sepedictis duabus familiis, Dalmatie scilicet et Bosne, una provincia sit atque vocetur. Item ex omnibus locis olim provincie Dalmatie constitute sunt due custodie scilicet: Arbi, que habet locum Arbi, locum Vegle, locum Robinii et locum Pirrani; item custodia Cathari, in qua continentur: locus Cathari, locus Antibari et locus Alexii; custodie vero sancti Hyeronymi iam diu institute supraaditus est conventus Hyadrensis; custodie Stagni supraadditi sunt conventus: Ragusii et locus Daxe; locus quoque Les(i)ne supraaditus est custodie Cethine, sicut locus Corsathi adiunctus est custodie Corbavie. Item decretum fuit, quod fiat novum sigillum per omnia sicut olim sigillum vicarie Bosne, nisi (loco) quod in brevi, in quo scriptum est sigillum vicarie Bosne, scribatur: sigillum

[1] Capitul. generale Assisii habitum 20 Maii 1464.

provincie Bosne et Dalmatie. Item quod guardianus conventus Hyadrensis cum suo discreto canonice et secundum consuetudinem ordinis et familie electo habeant de cetero in capitulis provincialibus vocem sicut custodes. Verum quia in brevi continetur, quod sub pena excommunicationis late sententie omnes fratres supradictarum familiarum unioni prefate sine contradictione consentiant, ac in prefato capitulo generali determinatum fuit, quod eandem unionem acceptantes sub cura et regimine familie nostre cismontane protegantur et foveantur, et nolentes adherere et preceptis et determinationi supradictis obtemperare recusantes a familia nostra predicta precidantur. Que et (sic) omnia et singula, celebrato supradicto capitulo, me accedente una cum venerabili patre fratre Angelo de Bulseno ad pedes summi pontificis eidem enarravi, et summus pontifex annuit et oraculo vive vocis omnia approbavit. Hinc est quod ego frater Marchus supradictus volens, ut teneor, voluntatem summi pontificis et determinationem iam dicti capituli generalis executioni demandare, precipio et mando omnibus et singulis fratribus presentibus, absentibus et futuris dicte provincie supradictarum familiarum, quod dictam unionem acceptent et in eadem perseverent ad meritum obedientie salutaris et in virtute spiritus sancti. Omnes vero qui accepta(verint) dictam unionem et hactenus fuerunt et sunt in protectione familie, protegere atque fovere intendo in futurum. Contra illos autem, qui huic sancte et benedicte unioni non assenserint vel contradixerint, post terminum congruum et sufficienter prefixum procedetur, ut continetur in brevi suprascripto et in capitulo generali determinatum est ut supra. Item vero, et eo casu, quo fratres prefate custodie Stagni, qui hactenus nonnullis suis rationibus unioni supradicte non adheserunt, si tali unioni sepedicte contradicent, declaro ex nunc, prout ex tunc, quod loca dicte custodie olim prefate vicarie Bosne, videlicet: conventum Stagni, locum de Slano, locum Umble et locum Canalis, quem Stagni locum nunc de facto et non de iure tenent et inhabitant, spectare et pertinere ad predictam provinciam Bosne et Dalmatie novitus institutam, cum et ipsa loca per eosdem fratres vicarie Bosne fuerunt hedificata et per eos semper possessa, recta et gubernata; quam quoque declarationem etiam facio auctoritate summi pontificis, reverende memorie Pii pape II concesse et commisse (sic) capitulo generali proxime celebrato, ut patet in quadam bulla eiusdem concessa rectori et consilio ragusino, cuius copiam in registro familie nostre registrari feci, et auctoritate mihi oraculo vive vocis concessa a predicto capitulo super dispositione dictorum quatuor locorum. Si autem procurante diabolo hec sancta unio dissolvetur, quod absit, tunc et eo casu declaro supradicta quatuor loca custodie Stagni, olim vicarie Bosne, ad eandem vicariam pertinere et spectare; conventum vero Hyadrensem et locum Lesne ad provinciam Dalmatie pertinere; nec non et sigilla dicte olim vicarie et provincie Dalmatie reservata apud patrem vicarium provincie supradicte reddantur utrique familie. Ne autem supradicta oblivioni tradantur et propter hoc periculum aliquod adversus hanc factam unionem resultare possit, in scriptis patentibus redigi feci hec omnia ad dictam unionem spectantia, ac officii sigillo magno, quo utor, muniri feci, nec non coram omnibus patribus presentis capituli ac ceteris fratribus in eodem capitulo existentibus publicari feci, ut omnes tam presentes

quam absentes huius unionis notitiam habere valeant. Quas etiam litteras reservandas, ipsi venerando patri vicario Dalmatie et Bosne tradidi easque in familie nostre registro registrari feci, additis nominibus omnium fratrum vocalium in eodem capitulo existentium. Datum in loco Pasmani die VII Septembris 1464 tempore celebrationis capituli provincialis.

Infrascripta sunt nomina fratrum vocalium in capitulo Pasmani celebrato 1464. In primis videlicet de vicaria olim Bosne: Custos Bosne fr. Marinus de Corzula. Discretus eius fr. Phylippus de C(r)ouacia; suppleti (sic). Custos Cetine fr. Phylippus de Ragusio. Discretus eius fr. Nicolaus de Stagno. Custos Stagni fr. Franciscus de Ragusio. Discretus eius fr. Stephanus de Corzula. Custos Greben fr. Helyas de Stagno. Discretus eius fr. Augustinus de t(er)ra Humie, suppleti. Custos Corbauie fr. Luchas de Cetina. Discretus eius fr. Michael de Ollamoç (sic). Custos sancti Hyeronimi fr. Joannes de Vngaria. Discretus eius fr. Stephanus de Vngaria. Custos Jaiza fr. Helyas de Yposega (sic). Discretus eius fr. Matheus de Hyadra suppletus. Custos Vsore fr. Antonius de Ragusio. Discretus eius fr. Ladislaus de Sclavonia, suppleti.

Provincie olim Dalmatie vocales: Fr. Franciscus de Hyadra guardianus conventus Hyadre. Fr. Marinus de Scrissa guardianus Arbi. Fr. Christophorus de Arbo guardianus Vegle. Fr. Gregorius de Sibinicho guardianus Rubinii. Fr. Augustinus de Hyadra discretus Hyadre. Fr. Baptista de Sibinicho discretus Arbi. Fr. Masseus de Sibincho discretus Cathari. Fr. Martinus de Vegla laicus discretus Vegle, suppletus. Fr. Pacificus de Citanova, gvardianus Cathari. Fr. Nicolaus Polisanus pro gvardiano Pyrrhani. Fr. Honofrius de Sulmona pro gvardiano Antiberi (sic). Fr. Joannes de Arbo pro gvardiano Allexii. Fr. Donatus de Hyadra pro discreto Robinii. Fr. Raphael de Sibinicho pro discreto Antiberi. Fr. Franciscus de Arbo pro discreto Pyrrhani. Fr. Joannes de Sibinicho pro discretto Allesii.

Tabular. vatican. Cod. mss. armar. II, nr. 23 fol. 65.

MXC. 1464, 8 Septembris, Pasmanii.

Fr. Marcus a Bononia, vicarius generalis, hortatur fratres reipublicae ragusinae, ut consentiant actis capituli pasmaniensis, quod si vero consentire detrectaverint eos, servatis de iure servandis, excomunicandos et a familia omnino praescindendos declarat.

Venerabiles in Christo patres et fratres dilectissimi cum commendatione salutem in Domino sempiternam. Ad sedandum nonnullas discordias, que inter familiam vestram et bosnensem hactenus fuerunt, recolende memorie Pius papa II breve quoddam capitulo generali presenti anno in sancta Maria de Angelis celebrato direxit, in quo fratribus capituli precipitur, quatenus de duabus provinciis una fiat, voceturque provincia Bosne et Dalmatie, et quod unus vicarius Italicus preficiatur eidem per vicarium generalem et diffinitores capituli generalis, quodque omnes fratres presentes et futuri dictarum familiarum huic unioni consentiant, contradicentes vero ipso facto sententiam excommunicationis incurrant. Fratres vero capituli generalis mandato summi pontificis parere volentes, venerabilem virum, fratrem Bernardinum aquilanum in huiusmodi vica-

rium elegerunt, determinaruntque, quod, qui huic unioni non assentirent, a familia precidentur (sic); item quod dispositio quatuor locorum videlicet conventus Stagni etc. in dispositione vicarii generalis ponentur. Idem vicarius denique ad vestram provinciam se conferrens omnes fratres utriusque familie in loco Pasmani, custodie s. Hyeronimi, per obedientiam convocavit; vos vero prefato vicario et mihi vobiscum presentialiter constitutis nec non et consilium ragusine civitatis nonnullas rationes allegantes hanc unionem differre et ad dictum capitulum non adstringere postulastis. Ego vero precibus postulantium annuere volens, quo ad vos dictam unionem suspendi et ad dictum capitulum vere non adstrixi. Nunc vero, ut faciam, quod ad meum pertinet officium, vos paternali affectu et amore precor et exhortor et mando per obedientiam salutarem, quatenus hanc unionem cum multa pace et caritate utriusque familie executioni mandatam in presenti capitulo amplecti et acceptare velitis; quod si feceritis, tanquam veros et bonos filios nostre familie accepto et amplector ut olim. Sin autem, quod absit, predictam sanctam unionem acceptare nolueritis et in vestra pertinacia persistere volueritis, tunc iustum vobis terminum assigno, unum mensem pro primo termino, secundum pro secundo, et tertium pro tertio et peremptorio; quo elapso ex nunc auctoritate summi pontificis vos excommunicatos esse declaro per presentes et auctoritate familie mihi hac in parte commisse, a nostra familia declaro esse precisos; nullum conventum, nullum adiutorium, nullum favorem, nullamque protectionem in nostra familia ulterius habere sperantes.

De quatuor vero predictis locis, que per summum pontificem in dispositione generalis capituli posita sunt, et per capitulum generale in potestate mea redacta, quod mihi visum fuerit iustum et honestum vobis prefatam unionem non acceptantibus suo tempore faciam.

Datum Pasmanii ut supra die VIII Septembris 1464.

Insuper terminum supremum superius vobis appositum declaro a die harum receptionis debere inchoari.

(A tergo): Venerabilibus in Christo patribus et fratribus dilectissimis ord. minor. in conventu s. Francisci de Ragusio et in ceteris locis circa Ragusium et custodia Stagni tam guardianis quam subditis commorantibus.

Tabular. vatican. cod. mss. armar. II, nr. 23 fol. 64.

MXCI. 1464, 22 et 28 Septembris item 8 Octobris, Budae.

Orator venetus Gerardus de Collis refert, iuxta litteras in Jajce datas Turcum cum magno sui damno recessisse.

Idem litteris 28 Septembris refert, regem Mathiam cum 17.000 equitum, 6000 peditum et 7000 crucesignatorum transiisse Savum, expedivisse 20000 militum in Bosnam contra Turcos, ipsum vero cum residuo exercitu profectum esse ad Smederevo.

Litteris 8 Octobris nunciat, tria castra in Bosna regi semet sponte dedisse; imperatorem Turcorum cum suo exercitu stare medium inter Bosnam et Serviam.

Makušev: Ист. споменици јужних Словена II, 161.

MXCII. 1464, 8 Octobris, Venetiis.

Respublica veneta „summo pontifici“ notum facit, quod pecunia, quam pontifex regi Mathiae in subsidium miserat, via Jaderae transposita fuerit; refertque victoriam a rege reportatam „apud Jaizam, ubi truculentissimus christiane fidei hostis, Turcorum tyrannus, turpissime reiectus et fugatus“ est.

Ljubić: Listine X, 316.

MXCIII. 1464, 29 Decembris, Budae.

Orator venetus Antonius Guidoboni refert, iuxta litteras e Slavonia acceptas, regem Mathiam occupasse in Bosna castrum Jajce et totam ferre Bosnam; ducemque Stephanum recepisse omnia loca sua exceptis tribus castellis; ipsius ducis Stephani oratorem, Antonium de Prioli, advenisse, qui refert, quod ante recessum suum fatus dux perceperit a suo fratre litteras, in quibus ipsi annunciant cladem eiusdem bassae in confinio Bosnae cum eiusdem basse et 3000 Turcorum captura.

Makušev: Ист. споменици јужних Словена II, 159.

MXCIV. 1464.

Mathias, rex Hungariae, cuidam cardinali scribens conqueritur, quod Ferdinandus Neapolitanus Bosnam turbare tentet; qui a filiis ducis Stephani „castrum novum (Novi), ducalem ipsorum sedem (petit) sub hypotheca quatuor suorum castrorum in regno Neapolitano, et sub spe restitutionis, quum regnum Boznae possidebit . . .“

Katona: Histor. critic. r. Hungar. tom. XIV, p. 739.

MXCV. 1464.

Mathias, Hungariae rex, imperatori Friderico significat, „quod imperator Turcorum per 30 dies obsedit et vehementissime oppugnavit in regno Boznae castrum Jaicza; pariter et omnia castra in nostris manibus habita“.

Katona: Histor. critic. r. Hungar. tom. XIV, p. 723.

MXCVI. 1465, 17 Februarii, Venetiis.

Committitur collegio, ut oratori „Ladislai, filii illustris comitis Stephani s. Save“, qui „nonnullas res“ petit, respondeat.

Ljubić: Listine X, 320.

MXCVII. 1465, 18 Februarii, Budae.

Mathias rex Venetiarum duci scribit, ne sinat se a Turco seduci, qui teste Joanne Aymo pacem cum Venetis praetendit. Turca simulat pacis amorem, sed „sub tegumento pacis commune bellum parat, auget, coëmit, atque etiam, ut omnino recuperet Boznam, multa ad hoc et magna molitur . . .“

Katona: Histor. crit. XV, 43—6.

MXCVIII. 1465, 1 Martii, Venetiis.

Quum „capitula compositionis“ inter ducem Stephanum et filium eius Ladislaum „nullam penitus executionem habuerint“, immo sint „omnia in maiori discordia, quam unquam fuerunt“: eligatur orator, qui utrumque adeat et „differentias“ componere tentet.

Ljubić: Listine, X, 302. Eidem oratori 10 Maii assignantur expensae. Ib. p. 324.

MXCIX. 1465, 30 Martii, Novozolii.

Mathias rex suo apud Venetos nuncio notificat, Turcas bellum parare; suis ducibus mandasse, ut „partes inferiores Hungariae vastent et in reditu castrum Nandoralbense (Belgrad) obsidione cingant“. In Servia prope Zenderov (Smederevo) nuper castra metati sunt; „sequi eos velle, dicitur, propediem Turcus (sultanus) in persona propria et filius maior, ea intentione ut Nandoralbam hac aestate expugnet, Serviam totam occupet, et castrum Jayza Boznamque recuperet. Taedet, inquiunt, vitae suae, nisi duobus his locis, Nandoralba et Jayza, e vestigio potiatur, quorum primum ad Hungariam, Bohemiam et Poloniam, alterum ad Dalmatiam, Istriam, Italiam et Alemaniam sibi ianuam futuram putat“. Nandoralba munitur. „Ad Boznam, propter occupationem magni Emerici gubernatoris in partibus superioribus, alios capitaneos disposuimus, et eos cum gentibus armigeris illuc propediem missuri sumus“.

Katona: Histor. crit. XV. 47–9.

MC. 1465, 3 Julii, Venetiis.

Jacobo de Bona Raguseo respondeatur, quod non posset tuta pax cum Turco concludi, „nisi haberemus Amoream et Mithilenas, et regi Hungarie daretur, quod sibi restat de Bossina“.

Ljubić: Listine, X, 316.

MCI. 1465, 16 Septembris.

Stephanus dux s. Sabae foenora a Ragusinis se per vojvodam Stephanum Sracinović et et diac. Sanko accepisse fatetur.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monum. serbica, p. 492. Alia percepit per christianum Tvrdisav et Radoje Srćević et diac. Radoje Dobrošević die 5 Dec. Ibid.

MCII. 1465, 17 Septembris, Venetiis.

Scribitur Stephano duci s. Savae: „Audito hoc die, castellum Novum excellentiae vestrae in maxima angustia reperiri, et non parum periclitari, ne in alienas manus deveniat“, ne hoc fiat, subito missam fuisse „ad illa maria triremem“.

Ljubić: Listine, X, 336.

MCIII. 1465, 2 Octobris, in vado Savi.

Mathias rex Paulo PP. II rescribit, se ipsius litteras per Marcum tinniniensem episcopum percepisse. „Nescio, unde illa fama Romae increbuerit, Turcum primo vere Boznam et illyricos fines ingressum; ego, qui vicinior hosti sum, affirmare ausim, Turcum ipsum hoc anno in hunc

usque diem ne alterum quidem pedem Constantinopoli protulisse; in Bozna vero non alios Turcos fuisse, quam qui fere continuo et ab antiquo esse solent; in Illyrico autem ne unum quidem, nisi forte captivum ... Anno sequenti Mahometum ipsum, ubicunque circa Hellespontum reperiri poterit, vestigabo ...“

Katona: Histor. crit. XV, 35—40.

MCIV. 1465, 2 Octobris, in vado Savi.

Mathias rex Venetiarum duci exprobrat: „quomodo se fraternitas vestra de quibusdam terris seu locis, in regno nostro Boznae constitutis, intromittere vellet, vel iam de facto intromisisset“, quod fit „contra mutuas conventiones nostras et foedera“.

Katona: Histor. crit. XV, 54. Feria 5 post festum oo. ss. idem rex morabatur »prope villam Maslino in descensu nostro exercituali«. Ibid. p. 93 cf. *Ljubić*: Listine X, 343.

MCV. 1465, 12 Octobris, Venetiis.

Jacobo Marcello, comiti Spaleti: „De negotio Narente et Craine, credimus, vos accepisse loca illa scitu et voluntate illustris ducis Stephani“; verum ut illa conserventur, „sit praesto Christophorus de Priolis, qui reperitur in mari catharensi“; „de negotio castelli Novi“ proxime decidendum; quae sit de hocce „mens ducis Stephani“, scitu opportunum foret; „oblatio Xarchi Vlatcovich interficiendorum 600 Turcorum“, placet, „si effectum habuerit“.

Ljubić: Listine X, 337.

MCVI. 1465, 13 Octobris, Ragusii.

Vladisav, dominus terrae chlmensis, testatur se a Ragusinis medio vojvodae Miloš Rašković et diac. Vladisav accepisse creditum mille hyperperorum.

Dr. F. Miklošić: Monum. Serbic. p. 493.

MCVII. 1465, 2 Novembris, Brod ad Savum.

Mathias, rex Hungariae, fratri Alexandro Ragusino, ord. s. Bened. quosdam pagos in terra Chlmensi, župis Luka, Trebinje, Dračevica et Popovo, donat.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monum. serb. p. 494.

MCVIII. 1465, 25 Novembris, Venetiis.

Eligatur orator „ad Stephanum ducem s. Save“. Oratoribus Narentae respondeatur, quod ut in subditorum venetorum numerum recipiantur incolae Narentae, necesse sit, „ut in hoc concurrat voluntas et expressus consensus illustris d. ducis Stephani“.

Ljubić: Listine X, 345. Jam 6 Decembris annunciatur »Francisco Venier in Ungaria, ducem Stephanum suum assensum dedisse. Ibid. p. 346.

MCIX. 1466, 1 Januarii, Ragusii.

Comes Vlatko Popović, propinquus comitis Brajlo Tezalović et filiae eius Elačae, testatur, se accepisse quoddam tributum, quod Ragusini olim dictae Elačae, qua haeredi comiti Brajlo pendere solebant.

Idem Vlatko Popović fatetur se 25 Aprilis 1466 et 3 Februarii 1468 accepisse competentes proventus.

Dr. *Fr. Miklošić:* Monum. serbica, p. 495.

MCX. 1466, 27 Januarii.

Gerardus de Collis Venetiarum duci scribit de discordiis inter ducem Stephanum et filium ipsius seniorem Vladko, qui „per sdegno de una femina fugi dal padre, et andò con lo Turcho, et conduxi li Turchi in Bosna, et fece rebelare quasi tutto lo stato del padre". Vedando lo ducha non potere resistere, essendo reducto in Castelnovo a canto la marina, fece uno accordo con il re d'Ungaria de darli quello pocho stato, gli era restato, e 100.000 duc. con questo, chel predetto re gli daresse Isagabria et lo acceptasse per suo barone. E per sicurtà di questo dede al dicto rè lo suo figliolo minore. E con questa speranza lo rè havea mandato Paniano con 5000 Ungari per piglare quello suo stato". Ast Stephanus promissis non stetit, sed Narentam cessit Venetis, reconciliatus cum filio dedit ipsi nonnulla castra, misso regis solummodo certas summas inviando ipsum Ragusium.

Makušev: Ист. споменици јужних Словена II, 165.

MCXI. 1466, 4 Februarii, Venetiis.

Ad „capitula" Vladislavi „primogeniti ducis s. Save", porrecta per eius oratores, Manolum Cathacusinum et Petrum de Fortis abbatem s. Mariae de Rotecio, respondeatur: Vladislaus sit capitaneus venetus adversus hostes dominii veneti cum annua provisione 500 duc. familiae providebitur „de habitatione in locis Curzule aut Liesne; conceditur „fustis", „ut in opportunitatibus suis illa uti possit".

Ljubić: Listine X, 347. Decreto 17 Februarii proclomatur Vladislaus in capitaneum „generalem in partibus illis". Ibid. p. 348.

MCXII. 1466, 13 Februarii.

Vladisav, regionis Chlmensis dominus, fatetur se pecuniam per vojvodam Miloš Rašković missam accepisse.

Item idem testatur, se pariter pecuniam a Ragusinis accepisse eiusdem anni diebus: 20 et 27 Februarii, 1 et 22 Aprilis.

Dr. *Fr. Miklošić:* Monum. serbica, p. 493.

MCXIII. 1466, 17 Februarii, Venetiis.

Stephanus „ducha s. Save" offert Venetis „duo castella ad marinam et buccam Catari sita, ne ad Turcorum seu aliorum manus veniant".

Ljubić: Listine X, p. 349.

MCXIV. 1466, 10 Martii, Venetiis.

Stephanus dux s. Savae per oratores suos notum facit dominio veneto, quod omne ferre territorium suum a Turca occupatum sit, qui ipsi eiusdem restitutionem appromisit, si ipsius vasallus esse vult, in quod tamen non assensit. Regi Hungariae miserat 12000 duc., ut ipsi milites in auxilium daret, quod tamen, licet promiserat, non praestitit. Eidem regi iuvit cum sua gente occupare castrum Jajce; qua re adhuc magis excitavit iram sultani. Obtulit regi per filium Vlatko quinque castella, si illis succurreret, quorum tria, Millesevac, Samobor et Prilip, perdita sunt. Constrictum senserat se tradere regi castella duo „in Cunischa semglia", occupata dein per „Pan Jan". „In Castelnovo" (Novi) fere obsidione cinctus fuisset. Petit Venetorum protectionem. Offert duo castella in limitibus Bochae Cattari, si ipse illa retinere non posset; ita etiam praeter Narentam et Crainam, quas comes spalatensis Jacobus Marcello iam appropriavit, alia loca, quae in manu Turcorum vel regis Hungariae devenire possent. De uno tantum conqueritur, quod dictus comes aures praebuerit rebelli ducis, Žarko. Commemorat, quomodo oratores veneti tentaverant reconciliare ducem cum filio Vladislavo, qui peccavit non solum contra se, patrem suum, sed et contra christianitatem ducendo Turcos in Bosnam.

Ljubić: Listine X, 350.

MCXV. 1466, 17 Martii, Venetiis.

Oratoribus ducis Stephani respondeatur: „esse contentos, ea duo castella (Novi et aliud ad buccam Catari sita) in nostram protectionem accipere", illaque ducis „nomine sumptibus nostris conservare, ne ad Turcorum seu aliorum manus perveniant"; quae tamen „positis rebus status sui et partium illarum", duci restituentur. Duci offertur domus Spalati „aut qualibet alia civitate" veneta. Comiti Spalati demandabitur, ut ducis propinquum castellum „nomine Visuichi" contra Turcos defendat. Gratiae aguntur duci, qui se obtulit „Ivanum Cernoevich ad devotionem dominii veneti reducere".

Ljubić: Listine X, 358.

MCXVI. 1466, 12 Maii, Venetiis.

Duci Vladislavo, qui per suum oratorem „petiit sibi subveniri de pecuniis, ut tueri possit locum Clivaschi, quod non vadat in manus Turcorum aut aliorum", assignantur „de presenti ducati 300".

Ljubić: Listine X, 364.

MCXVII. 1466, 17 Maii, Budae.

Mathias rex ad petitionem ducis Stephani, qui per oratores rogavit mitti sibi 3000 militum in subsidium, committit Nicolao de Bona et magistro Gregorio de Manay, ut in illis partibus circa Ragusium quaerant milites pro duce Stephano.

Ljubić: Listine, X, p. 365.

MCXVIII. 1466, 20 Maii, Novi in Dračevica, in littore.

Stephanus dux s. Savae condit testamentum, in quo instituit haeredes suam coniugem Caeciliam, filiosque suos Stephanum, Vladislavum et Vlatko. Testes, eius familiares: gost Radin, metropolita (in Mileševo) David et comes Pribislav Vukotić.

Pucić: Споменици србски II, 124. Acta testamentum concernentia ibid. p. 127—130. A. 1470 Vlatko et Stephanus fatentur, se a communi ragusino percepisse omnia, quae vi testamenti ibidem deposita erant. Ib. p. 130. *Ljubić*: Listine X, 396—7.

MCXIX. 1466, 26 Maii, Ragusii.

Žarko chulmensis fatetur, se titulo provisionis percepisse 600 den. hyperperorum.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monum. serbica, p. 495.

MCXX. 1466, 5 Junii, Ragusii.

Comes et nnbiles Ragusii fatentur se ab duce Stephano accepisse per eiusdem camerarium c. Pribisavum Vukotić depositum. Testes: metropolita David, christiani Tvrdisav et Čerenko, item alter camerarius comes Radoje Vrančinović.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monum. serbica, p. 495. In deciso 18 Septembris e. a. fit memoria »quondam ducis Stephani«. *Ljubić*: Listine X, 376.

MCXXI. 1466, 13 Septembris, Ragusii.

Comes, nobiles et totum commune Ragusii promittunt se filiis ducis Stephani, Vlatko et Stephano, decem millia aureorum esse soluturos. Testis Radivoj Dobrišević, scriba ducis Vlatko.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monum. serbica, p. 499. In litteris regis Mathiae 17 Septembris »Joannes Thuz de Laak Bosne et regnorum Dalmacie, Croacie et Sclavoniae bannus« dicitur. *Ljubić*: Listine X, 375.

MCXXII. 1466, 11 Decembris, Venetiis.

Accepto a comite Spalati nuncio, „reginam olim Bossine monasterium s. Stephani prope muros istius civitatis inhabitare, compluresque Bosnenses nec non Hungaros visitationis gratia ad illam sepe accedere, que res et suspiciosa et periculosa videtur", committitur dicto comiti, ut reginae dicat, cum Spalati „non habeat illas comoditates et maxime victus, quas illam (respublica) habere vellet, et in aliis civitatibus et locis (venetis) haberet, ideo pro commoditate sua aut Sibinicum aut in quamlibet aliam insularum seu locorum maritimorum se recipiat".

Ljubić: Listine X, 384.

MCXXIII. Post an. 1466.

Vlatko dux, Stephani olim ducis filius, queritur de comite Žarko et ab eo requirit 900 aureos, quos ipse dux mutuo dederat vojvodae Ivaniš, prout hicce iuramento affirmavit in ecclesia s. Dominici prope Spalatum.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monum. serbica, p. 500.

MCXXIV. 1467, die 24 Maii, Mantuae.

In capitulo generali, praeside Fr. Marco a Bononia, commissario apostolico, vicario generali ordinis fr. Baptista a Levanto, interim in vicarium Bosnae et Dalmatiae eligitur fr. Dominicus de Gonissa, et quoad conventus fit nova dispositio.

Item iuxta tenorem brevis apostolici (decisum est, ut) mittatur vicarius Bosne et Dalmatie a congregatione generali, qui utrique familie presit, quoadusque per Bosnenses fratres simul et Dalmatinos obtineatur ab apostolica sede licentia, ut una queque familia vicarium sibi possit eligere. Qui quidem vicarius predicta obtenta licentia pro conservatione pacis inter utramque familiam, auctoritate congregationis generalis, habeat applicare tria loca circa Jadram existentia, scilicet: Oclanj, Pasmani et sancte Katherine cum pertinentiis suis, libris et utensilibus, fratribus provincie Dalmatie, ipsi provincie ea incorporando. In dictorum autem recompensatione locorum teneatur pariformiter conventum Vegle, et locum extra Veglam in insula et locum Cersath et locum Lesne cum pertinentiis eorum, libris et utensilibus fratribus . . . vicarie Bosine resignare, locaque ipsa ipsi vicarie incorporare. Et si aliqua distractio interim facta fuerit, in pristinum statum omnia reducantur. Si quidem hesitatio aliqua forte continget circa mobilia antedicta, cui loco habeant pertinere vel aliquo alio bono respectu contingente, per patrem vicarium antedictum quid fiendum debeat iudicari, cuius conscientie stetur et determinationi. Hoc addito, quod si qua partium ab hac nostra ultima decisione quocunque quesito colore per viam curie romane, per se vel per interpositam personam quomodolibet discrepare presumpserit vel aliquid in contrarium attemptare, eo ipso a corpore familie, pars que contravenit, precisa sit et intelligatur. Precepit quoque utriusque familie vicariis, ne fratres ab una familia ad aliam declinantes, sine licentia inscriptis obtenta et recipere presumant, sub pena privationis officiorum, quam incurrant ipso facto. Consimili cohercione mandamus, ne una familia in alterius familie terris aut questis loca recipiat ullo modo in posterum. Item quod loca Raguseorum a familia sint precisa curaque reverendissimi patris vicarii generalis, declarando quatuor loca a fratribus bosnensibus olim possessa, quantum in nobis est, apostolico rescripto aliud non decernente, eisdem bosnensibus pertinere. Si tamen fratres Ragusei ad r. p. vicarium generalem, aut patres vicarios provinciales declinaverint zelo existendi in familia, conceditur r. p. vicario generali ac provincialibus eos posse recipere et collocare de familia.

Vicarius Bosne et Dalmatie (sit) vererandus pater fr. Dominicus de Gonissa, et hoc donec praemissa super his decisis effectum sortiantur.

Tabular. vatican. cod. mss. armar. 2 nr. 23 fol. 88 et 89.

MCXXV. 1467, 28 Maii.

Caecilia, ducis Stephani vidua, fatetur, se scientibus filiis Vlatko et Stephano a Ragusio mille aureos mutuo accepisse. Subscripsit diac. Ivko.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monumenta serbica, p. 501.

MCXXVI. 1467, 22 Junii, Romae.

Paulus PP. II. sententiam excommunicationis pronunciat in eos, qui executionem testamenti a Martino, comite de Frangepanibus, in favorem fratrum minorum vicariae Bosnae in Trsato et Novi, conditi quoquomodo impedire tentaverint.

Paulus episcopus servus servorum Dei. Dilecto filio nobili viro Martino de Frangepenibus, Veglie, Signie Modrussieque comiti salutem et apostolicam benedictionem. Constantis fidei integritas et sincere devotionis affectus, quibus ad romanam ecclesiam, quam Dei filius Jesus Christus, auctor ipse pietatis, instituit, revereris, non indigne promeretur, ut vota tua, ex quibus divini cultus augmentum salusque provenire speratur animarum, pii patris affectione prosequamur, et ut optatum sorciantur effectum plenis favoribus confoveamus. Sane pro parte nostra nobis nuper exhibita petitio continebat, quod tu, qui ad minores de observantia nuncupatos et s. Pauli primi heremite sub regula s. Augustini ordinum fratres, propter fructus uberes, quos eorum exemplari vita et admonitionibus circa salutem animarum Christi, fidelibus afferunt, specialem geris devotionis affectum in eo, quod condere proponis de bonis tuis in tua ultima voluntate testamento dictis fratribus pro ampliatione et fabrica suarum domorum s. Marie extra Trsati prope Flumen et eiusdem s. Marie sub Noui, oppida modrusien. diocesis, et ad alios licitos eorumdem fratrum usus, nec non aliis ecclesiis et piis locis ac alias ad pias causas, et pro remuneratione tibi fideliter servientium quedam pie legare, ac alias disponere et ordinare pro divini cultus augmento ac tue et progenitorum tuorum animarum salute proponis, vereris tamen ne heredes et successores tui, qui pie disposueris seu hactenus disposuisti, exequi malitiose seu negligenter omittant aut ipsi et aliis tuum laudabile propositum huiusmodi, quod Dei et gloriose virginis prefate laudem et animarum salutem concernit, effectum sortiri sine rationabili causa propria eorum temeritate de facto impendiant. Quare pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, ut talia presumere tentantibus resistere, et ne id faciant sub pena excommunicationis ipso facto incurrenda inhibere aliasque in premissis opportune providere tibi de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur votis tuis in hac parte favorabiliter annuentes huiusmodi supplicationibus inclinati volumus et apostolica auctoritate decernimus, quod quicunque heredum et successorum tuorum ac aliorum quorumcunque ad implendum ea, que de bonis ad te legitime pertinentibus valide et servata forma iuris in ultima voluntate tua ad commodum predictarum domorum et ecclesiarum quarumlibet ac aliorum piorum locorum seu pro decenti remuneratione premissa quomodolibet pie disposueris et ordinaveris pro tempore obligatorum per fratres predictos vel alios, quorum interierit, desuper debitis loco et tempore requisitus infra triginta dies tunc immediate sequentes, vel si qualitas negotii longius tempus exposcat infra tempus, infra quod arbitrio boni viri id fieri poterit, ea, ad que tenetur, efficaciter implere studiose vel negligenter distulerit, et quicunque alius, qui quominus dispositiones et ordinationes huiusmodi debitum sociantur effectum, directe vel indirecte impedire presumpserit, et requisitus, ut desistat ab impedimentis ab infra triginta dies imme-

diate sequentes non destiterit, cuiuscunque dignitatis, status, vel conditionis existat, sententiam excommunicationis incurrat, a qua, nisi que pie disposueris et ordinaveris, ut tenetur, impleverit, et ab omni impedimento et molestia cessaverit cum effectu ab alio, quam romano pontifice, preterquam in mortis articulo constitutus, neque absolutionis beneficium obtinere. Non obstante si heredibus et successoribus ac obligatis et aliis impedientibus predictis vel quibusvis aliis communiter vel divisim a sede apostolica indultum existat, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem et qualibet alia dicte sedis indulgentia generali vel speciali cuiuscunque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Nulli ergo hominum etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud s. Marcum anno incarnationis dominicae millesimo quadringentesimo sexagesimo septimo, tertio decimo kalendas Julii, pontificatus nostri anno tertio. A de Vrbino.

Ex original. in tabular. convent. fratr. minor. Trsaten. in Croatia.

MCXXVII. 1467, 9 Augusti, Romae.

Paulus PP. II. laudat fratres minores, „qui publicis praedicationis et secretis suasionibus et aliis diversis mediis populum et incolas ... oppidi (Jajce), ut eosdem Turcas inde eiicerent ... et ... Mathiam ... Hungarie regem ... in eorum dominium reciperent ...“ egerunt; „in quibus pugnis multi etiam ex iisdem fratribus perierunt, et quatuor ... crudelissimo martyrii supplicio dediti“.

Votis Domino... Dat. Romae apud s. Marcum an. incarnation. Domin. MCCCCLXVII. v idus Augusti, an. III.

Reg. vatic. an. III. libr. I. fol. 189. *Wadding:* Annal. minor. tom. XIII, p. 406.

MCXXVIII. 1467, 10 Octobris, Ragusii.

Balša dux s. Sabae, filius ducis Vladisavi, fatetur se a communi ragusino certas summas percepisse.

Dr. *Fr. Miklošić:* Monum. serbic. p. 502—3.

MCXXIX. 1467—1470.

Vlatko, dux s. Sabae et eius frater Stephanus fatentur, quales nam summas perceperint a communi ragusino e deposito ducis Stephani.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monum. serb. p. 502—3.

MCXXX. 1468, 13 Januarii, Romae.

Paulus PP. II. episcopo Veglensi et archipresbytero Arbensi, ut inquirant, an Martinus, comes de Frangepanibus, a vicario generali episcopi zagrabiensis ob denegatas decimas, ut dicitur, iuste sit excommunicatus nec ne, et cetera ex iure decernant.

Paulus episcopus servus servorum Dei. Venerabili fratri episcopo Veglien. et dilecto filio archipresbytero ecclesie Arbensis salutem et apostolicam benedictionem. Humilibus supplicum votis libenter annuimus,

eaque favoribus prosequimur oportunis. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilecti filii nobilis viri de Frangapanibus comitis Segnie zagrabien. dioecesis petitio continebat, quod licet ipse comes semper preteritis temporibus decima ratione possessionum et terraram in dioecesi predicta consistentium, et ad ipsum comitem legitime spectantium, episcopo ex capitulo zagrabien. de iure vel consuetudine debitas, singulis annis prout tenetur integraliter solvisset, tamen dilectus filius Mathias, modernus prepositus ecclesie casmensis eiusdem dioecesis, pro vicario venerabilis fratris nostri Osvaldi episcopi zagrabien. in spiritualibus generali se gerens, falso pretendens, quod ipse comes huiusmodi decimas singulis preteritis annis non solverat, quin ymo locis et temporibus debitis per eundem Osvaldum episcopum et dilectos filios capitulum ecclesie zagrabien. requisitus illas solvere denegaverat, eundem comitem non citatum neque monitum saltem legitime sed absentem, non per contumaciam, de facto excommunicavit et excommunicatum publice nuntiari fecit processusque desuper habitos iteratis vicibus aggrauauit, nec non dicti comitis terras ecclesiastico posuit interdicto, brachium seculare contra ipsum comitem requirendo, a quibus quidem excommunicatione, publicatione, aggrauatione, interdicto et requisitione brachii secularis pro parte dicti comitis sentientis exinde ab eodem preposito indebite se gravari, quamprimum premissa ad eius notitiam pervenerunt, fuit ad sedem apostolicam appellatum, et deinde nobis humiliter supplicatum, ut ipsum comitem ab eadem excommunicationis sententia ad cautelam absolvi et interdictum huiusmodi relaxari mandare, nec non dicte appellationis et nullitatis processus et principalis negotii causas aliquibus probis viris in partibus illis committere et alias sibi super premissis opportune provideri de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque huiusmodi supplicationibus inclinati dilectioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel alter vestrum vocatis episcopo et capitulo predictis, ac aliis, qui fuerint vocandi comiti prefato, si hec humiliter petierit, accepta tamen prius ab ipso cautione ydonea, super eo, quo forsan excommunicatus habeatur, quod si dictam excommunicationis sententiam in eum fore iuste latam inveneritis, nostris et ecclesie mandatis parebit, absolutionis beneficium ab eadem excommunicationis sententia, ad cautelam, si et prout iustum fuerit, auctoritate nostra hac vice dumtaxat, impendatis et interdictum huiusmodi relaxetis. Super aliis vero auditis hinc inde propositis etiam de principali negotio cognoscentes legitime, quod iustum fuerit, appellatione remota decernatis, quod decreveritis, ab episcopo eadem auctoritate et ab aliis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes vero, qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, censura, simili appellatione cessante, compellatis veritati testimonium perhibere. Non obstante si episcopo et capitulo predictis vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum apud s. Petrum anno incarnationis dominice millesimo quadringentesimo sexagesimo octavo, id. Januarii, pontificatus nostri anno quinto.

(Sigillum sub plumbo ex filo canabino pendens).

Ex originali in tabular. conventus fratr. minor. Trsaten. in Croatia.

MCXXXI. 1468, 1 Martii, Ragusii.

Joannes Franciscus de Mafteis marchionissae Mantuae scribit, quod Ragusium pendat Turco tributum 1500 duc. sed quod idem nunc ab ipso exigat 5000 duc. secus missurum se, minatur, „Essebeg Bosnae cum toto exercitu, qui territorium ragusinum ferro igneque devastabit".

Makušev: Ист. споменици јужних Словена II, 31.

MCXXXII. 1468, 1 Aprilis, Neapoli.

Rex Ferdinandus I Petro de Monopoli suo oratori apud ducem Vladko: „De la optima disposicione et voluntà de dicto illustr. duca verso nui et cose nostre non fuymo may in dubio, ma certissimi, et speramo, che sempre quella venerà megliorando, come fà la nostra verso lui et cose sue. Nui haveriamo summamente cara la sua visitacione, che dicite lui ne desidera fare; acciochè lo potessemo accarizzare presentialmente . . . ma in vero considerando nui molti inconvenienti, che poriano facilmente in lo stato suo in sua absencia, non ne pare per cosa alcuna debea venire, et così volimo li lo dicate de nostra parte, persvadendoli, voglia reservare la dicta venuta per tenpo più disposto . . ."

Записки имп. академіи наукъ XIX, 2 str. 13. Rex Ferdinandus miserat plures milites ad ducem »per la guardia della persona sua«, praeterea assignationem 3000 duc. Ragusii levandorum.

MCXXXIII. 1468, 12 Augusti, Trsati.

Martinus, comes de Frangepanibus, plurima legata testamento reliquit fratribus minoribus, vicariae Bosnae, conventus s. Mariae Trsatensis, quos, ut ea acceptent, auctoritate s. sedis coegit; dictorum vero legatorum proprios haeredes instituit dominum Jesum Christum et beatam virginem Mariam.

Nos Martinus de Frangepanibus, Veglie, Segnie, Modrussieque comes. Ad perpetuam rei memoriam tenore presencium, quibus spectat universis. Quod nos considerantes futura premia bonis temporalibus redimi et eterna supplicia evitari posse, etiam integre fidei et sincere devocionis affectum, quem actenus et in antea, ad minorum ordinis de observancia nuncupatos fratres propter fructus uberes, quos eorum exemplari vita et admonitionibus circa salutem animarum Christi fidelibus afferunt, gessimus et habuimus, ac de presenti gerimus et habemus in eo, quod ad honorem Dei omnipotentis et eius gloriosissime matris virginis Marie et s. Francisci locum et claustrum ecclesie ipsius b. Marie virginis prope castrum nostrum Tersati Modrussiensis dioecesis, per annuentiam sanctissimi in Christo patris et domini domini Nicolai pape quinti in eius vera bulla plumbea, dictis fratribus de observantia condere et construere curavimus, et quedam pie, de bonis nobis a Deo concessis et largitis, in nostra ultima voluntate testamentaliter dictis fratribus de observantia, pro ampliatione et fabrica suarum domorum predicte ecclesie beate Marie, (pro) ipsorum fratrum necessitate vite legare, pro divini cultus augmento et nostre anime nostrorumque genitorum et heredum salute animarum proposuimus, quod ob meritum consequendum ex admissione et speciali gracia ipsius summi pontificis, predictum claustrum et ecclesiam, que

antea capella fuit, cum paramentis, calicibus, libris, crucibus, thuribulis, ornamentis et reliquiis et omnibus aliis predicte ecclesie, ipsis fratribus sancti Francisci de observantia vicarie Bosne dedimus et contulimus, ymo per presentes damus et conferimus, ipsosque fratres vicarie Bosne in ipso claustro posuimus, ut possint et valeant in ipso residere et de ipso claustro vivere et disponere, sicuti faciunt de aliis conventibus sibi antiquitus collatis. Preterea considerantes quod in dies crescente furia et invasione Turcorum adeo sunt provincie circumquaque desolate et spoliate, quod elemosinis, ut moris est, vivere, et ipsum claustrum pro debito cultu divino, absque alio subsidio, gubernare officiareque nequeant: ideo ne temporibus nostris, aut nobis ab hac luce decedentibus, ipsum claustrum beate Marie virginis propter defectum rerum necessariarum ad hoc deveniret, quod sustentari aut reformari, cultusque divinus exerceri non posset, pro sustentatione predicti claustri, de bonis nostris tale fecimus sublevamen. Primo: proventus et emolumenta omnium apotecarum fieri solitarum in circuitu ipsius ecclesie beate Marie, in omnibus ipsius virginis gloriose festivitatibus, simul cum medietate totali proventuum et emolumentorum nundinarum celebrandarum annuatim sub predicto claustro penes mare in festo assumptionis virginis Marie indifferenter; item unam capellam s. Laurentii sub predicto claustro penes mare constructam, cum horto, pergulis, prato et ipsius cunctis utilitatibus, elemosinis et emolumentis; item totalem medietatem provenientem ex duobus molendinis et una stupa vulgariter nuncupata, consistente super fluvium dividens Recam et ipsum castrum nostrum Tersath; item unam villam nostram Cothor vocatam in pertinentiis Vinodoli habitam cum omnibus illius ville cessionibus, iobagionibus, possessionibus, pratis, silvis, terris arabilibus, cultis et incultis, vineis, rubetis, agris, aquarumque decursibus, molendinis et eorum locis ad ipsam villam Cothor pertinentibus et ex ipsa provenire de iure debentibus, nihil iuris nihilque proprietatis in ipsa villa et eius attinentiis medietate quoque duorum molendinorum et stupe predicte ac pertinentiis ipsius capelle s. Laurentii et emolumentis omnium apotecarum fieri solitarum in ambitu ecclesie beate Marie, in omnibus festivitatibus ipsius, nec (in) medietate totali et indifferenter prefatarum nundinarum, pro nobis et posteris nostris successoribusque ipsorum reservantes, neque reservamus (sed) omne ius et omnem auctoritatem, quod et quam in ipsis in antea habuimus et imposterum habere speraremus, ipsis frrtribus de observantia vicarie Bosne predicte ad vestitum et habitum predicteque ad victum eorum(que) sustentationem dedimus et donavimus et assignavimus jure perpetuo et irrevocabili; medietatem autem provenientem ex medietate nundinarum prefatarum ad habitus ipsorum fratrum, aliam autem medietatem ex preinscripta medietate provenientem ad auxilium lampadum et provisionem olei et librorum ecclesie beate Marie virginis predicte. Item de pertinentiis et reditibus castri nostri Bachar centum libras solidorum et decem spodia vini mensure ipsius loci una cum quatuor domibus Morlachorum, per nos eis constitutorum, que quatuor domus ipsis conventui et fratribus hiis, cum quibus nobis et castro nostro Bachar fideliter serviebant, servire teneantur et de cetero sint obligati. Nosque nec quempiam officialium nostrorum et heredum aspiciant, nisi ipsos gardianum et fratres ipsius loci beate Marie. Item

de pertinentiis et reditibus castri nostri Bribir dicti sexaginta libras solidorum et decem spodia vini mensure illius loci. Item de pertinentiis et proventibus castri nostri Nouigrad dicti centum libras solidorum et viginti spodia vini mensure ipsius loci cum duabus domibus duorum Morlachorum de pertinentiis ipsius castri Nouigrad, per nos cum hiis servicilis, cum quibus ipsi castro et nobis serviebant, constitutorum et ad servicia ipsius claustri et ecclesie ac fratrum predicti loci cum omni fidelitate deputatorum. Item de pertinentiis et proventibus castri nostri Othoçaç quantum ad partem nostram sexaginta staria tritici, decem milii et alia decem staria ordei. Item de pertinentiis et proventibus castri nostri Okic decem porcos annuatim. Item de pertinentiis et proventibus castri nostri Costagnica decem porcos. Cuius quidem donationis nostre has ducentas et sexaginta libras solidorum omni anno provenire debent ex inserta assignatione castrorum nostrorum prefatorum, assignamus et volumus eas assignari et dari ad cooperatorium et reformationem claustri et ecclesie predictorum. Victualia autem ex prescriptis castris nostris provenientia et hic consignata, videlicet: vina, blada et porcos damus et assignamus annuatim prefatis fratribus, pro victu eorumdem et aliorum pauperum inibi Deo famulantium perpetuo et irrevocabiliter et pleno iure, quo usi semper sumus in aliis donationibus ex bonis et possessionibus nostris nobis a Deo collatis possidendas extrahendas, pariter et habendas, damus, donamus, assignamus et tenore presentium fundamus. Et quia predicti fratres, cum sint de observantia, nobis pro huiusmodi testamento resistebant nec volebant acquiescere ut acceptent, nos, quod zelus domus Dei concedit et presertim ipsius ecclesie sancte Marie, ubi et sepulturam preelegimus. eis fratribus litteris apostolicis silentium imposuimus ac eos consentire fecimus, prout eisdem litteris et bullis, videlicet sanctissimi patris et domini, domini Sixti pape quarti expresse continetur, volumusque, quod ipse pecunie et victualia, provenientes et provenientia et proventibus castrorum nostrorum, qui redditus vulgariter nuncupantur bir per ordinarios, quos pro tunc videbitur ipsis fratribus procuratores, congregentur et recolligantur ad manusque predictorum gardiani et fratrum realiter et cum effectu, absque omni subterfugio et dilatatione, deponantur. Et quia confidentes de salvatoris promissione, qua hiis, qui temporalia ob sui amorem relinquunt bona, policitus est etiam insuper vitam se daturum eternam, et ut ipse nos coeredes facere dignaretur, eum ipsum salvatorem nostrum dominum Jesum Christum et suam benedictam matrem virginem, rerum omnium prefatarum atque legatarum, tenore presentium heredes constituimus et fecimus iure perpetuo et irrevocabiliter. Imprecantes omnibus et eorum conscientias onerantes, quod huic nostre voluntatis et testamento ausu temerario contraire, aut de hiis quid minuere usurpando vel infringere, vel Christum dominum nostrum et eius matrem benedictam hiis quoquomodo exhereditare presumperint, ac ipsi tales temerarii persumptores respondere coram tribunali eiusdem domini nostri Jesu Christi in die iudicii cogantur, seque noverint iusto Dei iudicio exhereditandos de regno celorum. Quoniam in omnes tales cuiuscunque status, conditionis vel preheminentie extiterint vel existant, qui hanc nostram largitionem, voluntatem, et testamentum infringere studuerint vel operam dederint efficacem, excommunicationis sententiam et anathe-

matis ultionem a Christi vicario, qui quod solvit in terris, solutum est in celis, et quod ligat in terris, ligatum est in celis, per bullas plumbeas, uti expresse in eis litteris patet, procurauimus. Quam largitionem, voluntatem, legationem et testamentum, nostri maioris sigilli roborauimus et firmavimus appositione.

Datum in castro nostro Tersati XII mensis Augusti anno domini MCCCCLXVIII. (Sigillum mag. rubrae cerae impressum).

Ex original. in tabular. convent. fratr. minor. Trsaten. in Croatia.

MCXXXIV. 1468, 28 Decembris, Venetiis.

Christophorus Mauro, Venetiarum dux, Antonio Venerio comiti et Marco Cornario capitaneo Jadrae iubet, ut fratres vicariatus Bosnae, „suspectissimi et statui nostro Dalmatie periculosissimi", qui versantur in locis Dalmatiae, et „presertim fr. Marinus de Corzula et fr. Franciscus Slatarich", ammoveantur et licentientur, nec „ullo pacto revertantur".

Ljubić: Listine X, 420.

MCXXXV. 1469, 15 Januarii, Venetiis.

Respublica veneta medio sui oratoris Romae, Francisci Sanuti, deprecatur summum pontificem, ut succurat populis in confiniis Italiae contra Turcos; nam „immanissimus christiani nominis hostis Turchus post regni Bossine stragem et ruinam, statum ducis Stephani eadem expeditione subvertit et occupavit, postea banatum Citine et universam Croatiam frequentibus incursionibus et predis exinanivit, Corbaviam depopulatus est, in Dalmatiam usque descendit et territoria nostra Jadre et Sibenici ex improviso adortus ingentem illis proximis diebus cladem intulit; postremo in ditionem usque comitum Segne penetravit . ."

Ljubić: Listine, X, 423.

MCXXXVI. 1469, 10 Februarii, Romae.

Pius PP. II. iubet, ut „summa pecuniae", quam „dilectus quondam filius Stephanus dux s. Sabbe in Bosna inter alia in suo testamento ad pias causas reliquisse" dicitur, detur „ad omnem requisitionem et ordinationem" regis Mathiae in subsidium belli contra Turchos.

Gelcich: Diplomatarium p. 629.

MCXXXVII. 1469, 20 Februarii, Venetiis.

Oratoribus ducis s. Savae „Vlatico" respondeatur: committetur capitaneo maris, quod in itinere divertat Ragusium, et ut communitatem hortetur ad restituendum duci depositum; svadetur duci, ut propositiones regis Ferdinandi „de permutandis castellis et locis suis" non acceptet, verum „castra et loca sua, que hereditario nomine possidet", conservet; providebitur ipsius requisitioni quoad „favores pecuniarios pro defensione passus Narente ac ponenda custodia ad os Narente pro impediendo cursu mercatorum raguseorum ac Turchorum; consilium datur duci, ut

Venetias non veniat „sed potius domi stet ac defensioni et conservationi status sui prospiciat".

Ljubić: Listine, X, 431, 433, 454.

MCXXXVIII. 1469, 12 Junii, Bulseni.

Capitulum generale rescribit Joanni comiti Frangepano, quod fratres loca ipsis oblata nullo modo acceptare possint.

Magnifice domine recommendatione premissa. Audito ambasiatore dominationis vestre taliter respondemus: fratres provincie s. Anthonii insimul et fratres provincie Marchie locorum abundantiam et fratrum penuriam habentes nullo modo vestra loca tenere posse testantur. Fratres Dalmatini locum insule tantum, si libenter et absque omni onere, sicut cetera sue provincie loca et totius nostre familie scilicet dare velletis, libenter acceptarent, alias nullo modo; conventum vero nullatenus acceptare volunt et dominatio vestra unum sine reliquo nullo pacto concedere contentatur. Quo fit, ut res ista locum habere non possit, nec nos aliter providere possumus. Valeat dominatio vestra ad secula felix. Data in loco nostro insule Bissentine loci Bulseni 1469 12 die Junii; eiusdem magnifice dominationis vestrae oratores: Fr. Jacobus de Corneto, ordinis minorum totius familie cismontane commissarius apostolicus. Fr. Marcus de Bononia eiusdem familie vicarius generalis novitus electus ceterique diffinitores capituli.

(A tergo): Magnifico domino domino Johanni de Franchapanibus, Segnie, Vegle atque Modrusie comiti dignissimo, singularissimo benefactori nostro.

Tabular. vatican. cod. mss. armar. 2, nr. 23, fol. 97.

MCXXXIX. 1470, 16 Junii.

Gerardus de Collis nuntiat: „Et anno di novo certa novella, che a Modruxa, terra de Schiavonia presso a Signa, sono già congregati più di 20 milla Turchi; et omni die cresce il numero de Zingani, Morlachi, Bosnesi et altre connatione, che fanno una adunata et coluvie de gente per andar a robare; et dicesi, che anno 10.000 guastadori, et non si sa che voglino fare . . ."

Makušev: Ист. споменици јужних Словена II, 166.

MCXL. 1469, 17 Junii.

Vladisav, Bosnae magnus vojvoda, fatetur, se residuum patris sui Stephani depositum a communi ragusino percepisse. Scripsit diac. Vukman.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monum. serbica, p. 407.

MCXLI. 1469, 20 Junii, Venetiis.

Antonius de Marliano refert: „Dapoi s' à abuto, chome le intrado in la Bosina de Turchi 20.000, e ne venuto cercha 14.000 fino suxo quelo de Segna al confin delo imperio, e à menato via aneme asai".

Makušev: Ист. споменици јужних Словена II, 208. Idem fere in litteris 24 Juniii, in quibus dux exercitus nominatur »Sabez, el primo sobasj, abia el S. Turcho«. Ibid.

MCXLII. 1469, 11 Julii, Romae.

Paulus PP. III. monet episcopos aliosque praelatos, curent, ut qui libros, calices, vestes, ornamenta sacra, instrumenta privilegiorum, indulgentiarum aliarumve litterarum, a Turcis cuncta diripientibus emissent, vel penes se deposita quoquomodo haberent, eadem restituenda deferant ad conventus: „Jayza, Jezero, Greben, Varchrioc (Vartchrica), Tinimi (Tinini), Vissbuacz (Visovac), Carini, Corbavie, Bihigy, Othoc, Cethyn, Tersati, Stiniznach (Stiničnjak), Jim . . . in Spalaten. Tinien. Nonen. Corbavien. et Zagrabien. dioecesibus consistentes".

Sacre religionis . . . Dat. Rome . . . MCCCCLXIX. v. id. Julii an. v.

Ex reg. orig. an. V secr. libr. IX, fol. 171. *Theiner*: Monum. Hung. tom. II, p. 409.

MCXLIII. 1470, 26 Julii, Ragusii.

Vlatko, dux s. Sabae et frater eius Stephanus fatentur, se medio oratorum suorum c. Georgii Čemerević, c. Radić Grubković et c. Radivoj Bogdenović percepisse a Ragusinis pecuniam a patre Stephano et Sandal vojevoda sibi relictam. Scripsit diac. Radona.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monum. serbica, p. 507—509.

MCXLIV. 1470, 26 Julii, Ragusii.

Ali beg, filius ducis Ivan Vlahović, fatetur Vlatko et fratrem eius Stephanum pecuniam accepisse, quam eorum pater dux Stephanus olim apud Ragusinos deposuerat. Testis: Emam sclavus Ali-beg. Scripsit diac. Šišman Botik.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monumenta serbica, p. 511.

MCXLV. 1470, 21—30 Julii.

Ali beg et Hamza beg a sultano iussi cognoscunt litteras a Ragusinis datas ad ducem Vlatko.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monum. serbica, p. 513.

MCXLVI. 1471, 9 Novembris, Ragusii.

Michael de Resti Siciliae regi Ferdinando inter caetera refert: „come Arasbeg, governatore del paese, che fò del rè de Bossina, questi dì passati se nè andato in Coracia, et intende descendere in Istria, et ha menato con se circa xx mila Turchi . . ."

Makušev: Ист. споменици јужних Словена II, 93. De »Aiasbeg« vide ibid. p. 97.

MCXLVII. 1471, 10 Novembris, Ragusii.

Rector et consilium ragusinum notum faciunt Siciliae regi Ferdinando: „come la maestà del rè de Hungaria con consenso de tutti prelati et baroni ha creato rè de Bosina lo illustrissimo signor voyvoda Nicolo de Illoch, el quale se expecta, che venga ad Jaiza ad coronarse.

El dicto signore è possente in Hungaria, et etiam la maestà regia gli ha aggionto el priorato de Aorana et tutto lo bannato de Slovigna et de Croatia".

Makušev: Ист. споменици јужних Словена II, 95.

MCXLVIII. 1471, 25 Novembris — 4 Decembris.

Mohammed II sultanus iubet Hamza beg diruere castellum a Ragusinis ad Narentam conditum et cognoscere litteras de pecunia a duce Stephano apud Ragusinos deposita.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monum. serbica, p. 515.

MCXLIX. 1472, 8 Februarii.

Hamza beg testatur Ragusinos reddidisse Vlatko omnem pecuniam a duce Stephano depositam.

Miklošić: Monum. serbic. p. 515.

MCL. 1472, Octobris, Ragusii.

„Duo capitani Turchi di Bossina di continovo sono a chavallo corseggiando in fino a Pola et a Parenzo . . . Questa volta Isabech usci in campo con passati 30.000 persone . . . La gente d'Alibech et di Isabech, che passarono la Sava et andarono in Seremio, fecono gran preda . . . Bossina è sana".

Makušev: Ист. споменици јужних Словена II, 38. Aliis litteris 13 Octobris refertur, Aisabech »capitaneum Bosnae« cum magno exercitu »versus terram germanicam«, Foroiulium, progessum esse. Litteris 23 Octobris nuntiatur, Turcos processisse usque ad Utinum, unde reversos cum magna praeda in Bosnam et Serviam. Ibid. p. 39—41.

MCLI. 1473, 12 Augusti, Tiburc.

Sixtus PP. IV. concedit fratribus vicariae Bosnae facultatem quasdam possessiones, vineas etc. recipiendi et retinendi.

Sixtus episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis Francisco de Ragusio vicario et universis ff. ordin. ff. minorum provinciae Bosnae secundum morem eiusdem ordinis salutem et apostolicam benedictionem. Romanus pontifex Christi vicarius et beati Petri apostoli, cui et eius successoribus idem redemptor pascendas oves commisit, nonnunquam ea, quae circa regularis castimoniae normam et religionum observantiam per eius praedecessores provide instituta fuerunt iuris rigorem temperando casibus fortuitis propter hominum peccata supervenientibus causantibus, ne religiones ipsae ob temporalium defectuum tepescant, mitigat atque modificat et alias disponit, temporum et rerum qualitatibus debite pensatis, prout novit in Domino salubriter expedire. Sane nobis nuper pro parte vestra lachrymabili voce expositum fuit, quod cum vestra fere omnia loca infidelium Turcarum invasione combusta et destructa et illorum locorum partes desolatae existant et saepenumero Christifideles partium illarum vobis et locis vestris possessiones, vineas et bona quaecunque alia recipere et retinere et in eventum, quod vos et singuli vestrum ab aliquibus dominis temporalibus ad divini cultus augmentum

et donationis causam essetis vocati ad eorumdem dominorum terras, oppida, castra et ruralia loca in Croatia et Sclavonia, ultra flumen Savoy, domos et loca eiusdem ordinis aedificare, vel si aedificata fuerint, in illis stare et domino famulare possitis, etiam si eorum dominia vel terrae usque ad flumen Dravoy et alias se extendant, et quod populo per vos converso ecclesiastica sacramenta ministrare ac etiam ob fratrum ordinis predicti diminutionem, per dictos infideles Turcas factam, quousque fratres dicti ordinis in vestris domibus et conventibus ac locis recipere possitis, concedere et alias in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur vobis more pii patris compatientes affectu ac vestris et quorumlibet vestrum calamitatibus indigentiis, molestationibus et periculis, quibus in dies subjicimini, occurrere cupientes, vobis et vestrum quibuslibet, domibus et locis ac conventibus vestris, nulla alia licentia desuper alias obtenta, ut possesiones, vineas et bona alia quaecunque vobis pro tempore largita recipere et retinere; et si vos ab ipsis dominis ad eiusdem divini cultus augmentum devotionis causa vocari contingerit, ad eorumdem dominorum civitates, terras, oppida, castra et loca ruralia in Croatia et Sclavonia predictis ultra hujusmodi flumen Savoy domos et conventus aedificare, vel si aedificata fuerint, illa recipere et in illis stare, etiam si dominorum huiusmodi terrarum fines usque ad flumen Dravoy vel alias se extendant et eisdem locis perpetuo altissimo famulari, nec non populo per vos converso ecclesiastica sacramenta ministrare et de consensu praelatorum fratres dicti ordinis in vestris domibus, conventibus et locis recipere, nec non quandam ecclesiam quam dilectus filius Philippus presbyter aedificavit, cum, ut asseritur, ipse Philippus ordinem ipsum ingredi et eandem ecclesiam etiam cum pertinenciis vobis et ordini vestro praedicto dare paratus existat, recipere et domum circa eandem ecclesiam aedificare, et ex ipsius ecclesiae coemeterio, quod ab huiusmodi domo ultra quindecim passus non distat, pro usu vestro unum hortum facere et quod fructus redditus et proventus ecclesiae santae Mariae de Chersato Corbaueiensis (sic) dioec. per procuratorem vestrum accipere possitis pariter et valeatis, authoritate apostolica tenore praesentium concedimus pariter et indulgemus. Et insuper, quia frequenter, ut subiungitis, evenit, quod partium praedictarum ecclesiarum praedictarum rectores et plebani aliique praesbyteri saeculares Christi fideles ad vos gratia confitendi peccata sua et charitativas eleemosynas vobis dandi accedentes, eosdem Christifideles, ne id faciant, retrahunt et sub excommunicationis poena eisdem inhibent, universis eisdem rectoribus, plebanis et aliis praesbyteris saecularibus, ne Christifideles ipsos ab huiusmodi confessionibus et charitativis eleemosynis quomodolibet directe vel indirecte retrahant seu contrarium svadeant, sub excommunicationis poena districtius inhibemus.

Ceterum concessionem vobis de conventu seu domo Segnien. olim vobis factam nec non illius possessionem per vos adeptam et quaecunque inde secuta dicta auctoritate approbamus, confirmamus et praesentis scriptis patrocinio communimus, supplentes omnes et singulos defectus, si qui intervenerint in eisdem, vobisque concedimus, ut bona, fructus, redditus et proventus eiusdem domus seu conventus Segnien. per procuratorem vestrum praedictum vel alium per vos constituendum percipere et

habere et in vestros usus convertere libere et licite possitis atque valeatis, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis et presertim felicis recordationis Bonifacii Papae VIII. prodecessoris nostri prohibentis, ne fratres mendicantes in civitate, villa, castro seu loco quoque ad habitandum domos, vel loca quaevis de novo recipere praesumant absque sedis apostolicae licentia speciali, faciente plenam et expressam ac de verbo ad verbum de huiusmodi prohibitione mentionem, et quibusvis aliis litteris apostolicis etiam prohibitoriis, ne fratres de observantia dicti ordinis nuncupati domos et conventus fratrum conventualium nuncupatorum dicti ordinis sub excommunicationis et aliis poenis recipere praesumant, nec non eiusdem ordinis etiam juramento confirmatione apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis statutis et consvetudinibus caeterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum etc.

Datum Tibure anno incarnationis dominicae millesimo quadringentesimo septuagesimo tertio, pridie idus Augusti, pontificatus nostri anno secundo.

Haec bullae pontificiae copia desumpta est ab originali in membrana appenso solito sigillo plumbeo confecta, mihi exhibita, eidemque additis verbis „ad flumen“ per omnia correspondet. In quorum fidem me subscripsi et sigillum signaturamque notariatus apposui. Actum Labaci 29 mensis Septembris 1681.

(Sigillum rubrum). Carolus de Georgio u. i. doctor, autoritate apostolica et caesarea notarius publicus.

Apographum servatur apud clariss. virum Radoslav Lopašić, cui quod descriptum huic collectioni illatum est, gratias habeo maximas. Alia exempla longe posteriora adsunt: Budae in advers. P. S. Jakošić libr. III. Vukovarini in archivio conventus.

MCLII. 1473.

Sixtus PP. IV. scribit Mathiae, regi Hungariae, se certo rescivisse, ab eodem rege oratores ad Turcam, Christi hostem, missos esse, nempe: „Antonium Catharensem, ordinis minorum, abbatem certi monasterii . . . et Joannem Hunischi Bosnensis originis . . .“

Pro consvetudine . . . Dat . . .

Wadding: Annal. minor. tom. XIV, p. 69.

MCLIII. 1474, 20 Januarii, Ragusii.

Commune ragusinum regi Mathiae inter caetera scribit: „Fertur insuper, quod hoc anno, si ipsa pax (inter Ussuncassanum et Turcorum imperatorem) sequitur, ipse personaliter sit otio operam daturus; quodque novum Romanie bassam, qui est quidam Bosnensis natione, Suliman begh, eunuchus, ad partes Albanie expediturus . . .“

Gelcich: Diplomatarium p. 631.

MCLIV. 1474, 22 Februarii, in oppido Bakar.

Johannes de Frangepanibus ratihabet omnia ea, quae olim Martinus comes de Frangepanibus, concesserat et donaverat fratribus s. Francisci vicariae Bosnae et ecclesiae beatae Mariae eorum conventui Trsatensi adnexae.

In nomine domini Amen. Nos Hans de Frangepanibus Vegle, Segnie, Modrussie comes, memorie commendamus tenore presencium, quibus

incumbit universis: quod consideratis anime nostre progenitorum et parentum nostrorum salute eciam hiis, quibus tempore vite ipsorum parentes et apatrui nostri tostamento ecclesiis et de bonis eorum pie legarunt, manutenere et adimplere pro posse velle. Proinde ad universorum noticiam harum serie volumus pervenire, quod spectabilis et magnificus dominus Martinus de eadem Frangapan, similiter Vegle, Segnie et Modrussie comes, apatruus noster, existens sanus tam corpore quam mente, pro salute anime sue ad honorem Dei omnipotentis et gloriose eius genitricis Marie et beati Francisci, de bonis et possessionibus sibi a Deo collatis, tam in Vinodolo quam alias dedit, donavit et concessit, ymo dat, donat et perpetuo concedit, auxilium quoque et adiutorium ecclesie beate Marie virginis prope castrum Tersati dictum, super Recham, et fratribus sancti Francisci de observancia vicarie Bosne inibi commorantibus per annuenciam summi pontificis prestitit et fecit, prestatque et in posterum facit, prout plenius continetur in litteris suis autenticis superinde confectis; pro quibus quantum ad ea, que nobis ipse magnificus comes Martinus apatruus noster adhuc tempore vite sue post mortem suam assignavit, sive que eciam post decessum suum ad manus nostras quoquomodo devenire possent et succedere, ubi prenotatus comes Martinus aliquos proventus et reditus sive servicia prefate ecclesie beate Marie virginis et fratribus sancti Francisci testamento et in sua ultima voluntate dimisit, aut in posterum dimittet, affirmamus, concedimus et de omnibus, sicut per ipsum comitem Martiuum, apatruum nostrum, pie legatis contenti sumus, ita quod omnia et singula per iam fatum dominum comitem Martinum predictum ecclesie beate Marie et fratribus sancti Francisci de observantia vicarie Bosne pie, ut premittitur, pro sue et heredum suorum animarum salute, ad honorem Dei et eius gloriosissime matris Marie legata, donata, atque concessa sive in posterum concedenda, tam in pecuniis, vinis, bladis, jobagionibus, villis et possessionibus quam eciam aliis bonis mobilibus, argenteriis, ornamentis et generaliter quibusvis rebus aliis et bonis suis et de suis possessionibus provenientibus manutenere, conservare et preservare, ac ipsam ecclesiam beate Marie virginis et ipsos fratres sancti Francisci de observantia vicarie Bosne ab omnibus impetitoribus toto posse nostro et contra quosvis hanc ultimam donacionem infringere nitentes se sublevare, defendere et protegere volumus; pecunias autem et victualia, quas et que prenotatus dominus comes Martinus apatruus noster pro reformacione predicte ecclesie et sustentatione fratrum ibidem Deo famulancium super Bachar, Bribir et aliis castris suis dimisit et assignavit ac perpetup fundavit et potissime in hiis, que iam ad manus nostras assignata sunt post mortem suam, aut casu quo devenire possent, volumus et promittimus per nostros officiales recoligi et adunari et ad manus ipsorum guardiani et fratrum predictorum, aut ipsorum procuratorum, deponi et assignari annuatim realiter et cum effectu, spondemusque Deo et eius gloriosissime matri Marie et sub anime nostre salute, fide quoque nostra christiana mediante, compromittimus omnia et singula sicut per ipsum magnificum comitem Martinum aut alios apatruos et fratres nostros concessa aut in posterum concedenda prescripte ecclesie beate Marie et fratribus absque subterfugio et occasione adinventa, per nos et nostros observare et tenere;

omnesque heredes et successores nostros petimus propter Deum et eius gloriosissimam matrem, ut hanc fundacionem et donationem toto posse manuteneant, ipsos fratres defendant, et si in contrarium, suggerente maligno spiritu, quod Deus avertat, contraierint aliqui heredum et successorum nostrorum, maledictionem et indignationem Dei, gloriosissime virginis Marie, beatorumque Petri et Pauli apostolorum eius et nostram ac totius celestis curie nec non excommunicationem summi pontificis eo facto incurrant. Datum in Bachar vigesima secunda die mensis Februarii, anno domini millesimo quadringentesimo septuagesimo quarto, sub sigillo nostro impendenti consueto. Stephanus Francigna cancellarius in praemissis ex speciali commissione ipsius magnifici comitis Hans.

(Sigillum parvum rubrae cerae impressum.)

Ex original. in tabular. conventus fratr. minor. Trsaten. in Croatia.

MCLV. 1474, 14 Maii, Ragusii.

Commune ragusinum regi Mathiae nunciat: „Bassa Romanie (Suliman beg, Bosnensis) cum numeroso et valido exercitu dimissus est in loco dicto Nagoricino, distante a Cossovo itinere dierum trium, expectabatur in Schopia, et deinde ad Sithnizam transiturus erat; inde quo se conversurus, ignoramus. Sithniza locus est, ex quo sibi ostenditur iter in Albaniam, in Bosinam et ad Danubii partes. Posset quoque inde ad nos et ad loca nostra recta se via convertere.“

Gelcich: Diplomatarium, p. 631. Litteris 12 Junii referunt, quod fatus bassa Scutarim obsidione cinxerit, sed, uti litteris 14 Augusti nunciatur, reppulsam passus, Sophiam rediit, ubi »quanto maiorem potest congregat exercitum«. Ibid. p. 623—3. *Makušev:* Ист. споменици јужних Словена II, 44—8.

MCLVI. 1474, 17 Decembris, in castro Novi.

Martinus comes de Frangepanibus legat villam Grižane monasterio fratrum minorum, vicariae Bosnae, olim a se aedificato.

I. N. Nos Martinus de Frangapanibus divina miseratione Segnie, Vegle, Modrussieque comes. Ad perpetuam rei memoriam. Per presentes significamus quibus expedit omnibus, quod nos divina gracia existentes in bona sanitate mentis nostre, considerantesque quod mundus iste transit concupiscentia sua, consequenter divino eternorumque tracti amore, pro eorum quibusdam, que bono modo iustoque iure, ut homines, in terris possidemus, celestia mercari cupientes, ut prefertur sana mente, ultima nostra voluntate testamentaliter legamus et legavimus monasterio, quod nos edificauimus pro salute nostra sancte Marie virginis, genitricis Dei, prope castrum nostrum Tersati, villam Grisane, de qua annuatim quoadusque, Deo donante, vivimus, centum libras prefate ecclesie et monasterio beatissime virginis dedimus et damus, postque nostrum ex hac luce decessum dictam villam Grisane totam ac integraliter cum veris terminis et metis eiusdem sine aliqua diminutione cum omnibus serviciis, proventibus et utilitatibus, que de ipsa villa ad nos spectabant. Quam villam, ut magis liberum et tucius ac efficacius hoc testamentum nostrum fieret, emimus a generosa domicella Margareta, sorore quondam magnifici comitis Bartholomei, nepteque nostra, prout in eiusdem litteris

expresse continetur; et quia ipsi fratres vicarie Bosne, cum sint de observantia, habentes scrupulum conscientie nolebant nobis in hoc assentire nec acceptare, nos eam villam et alia quecunque legavimus, ita fecimus, ut dominium sedi apostolice immediate subeat, per eiusdem sedis litteras bullatas; usus vero solum, tum ipsius ville tum monasterii tum aliarum rerum legatarum quarumcunque, ipsis fratribus prefatis etiam per presentes legauimus, dedimus et contulimus. Et quia confidentes de Salvatoris promissione, centena que hiis, qui temporalia ob sui amorem relinquunt, bona pollicitus est, etiam insuper vitam se daturum eternam, ut ipse nos sibi coeredes facere dignaretur, eum ipsum salvatorem nostrum dominum Jesum Christum et suam benedictam virginem matrem ville prefate Grisane tenore presencium heredes constituimus et fecimus iure perpetuo et irrevocabiliter. Imprecantes omnibus et eorum conscientias onerantes, qui huic nostre voluntati et testamento ausu temerario contraire, aut de hiis quid minuere usurpando, vel infringere, vel Christum dominum nostrum et eius matrem benedictam, hiis quoquomodo exhereditare presumpserint, quod ipsi tales temerarii presumptores respondere coram tribunali eiusdem domini nostri Jesu Christi in die iudicii cogantur; seque noverint iusto Dei iudicio exhereditandos de regno celorum.

Quoniam in omnes tales cuiuscunque status, conditionis vel preheminentie extiterint vel existunt, qui hanc nostram largitionem, voluntatem et testamentum infringere studuerint vel operam dederint efficacem, excommunicationis sententiam et anathematis ultionem a Christi vicario, qui quod solvit in terris, solutum est in celis, et quod ligat in terris, ligatum est in celis, per bullas plumbeas, uti expresse in eis litteris patet, procuravimus; quam largitionem, voluntatem, legationem et testamentum nostri maioris sigilli roboravimus et firmavimus appensione.

Datum in castro nostro Noui die XVII mensis Decembris anno Domini MCCCCLXXIV.

(Sigillum maius rubrae cerae impressum sed admodum vitiatum).

(In dorso): „Bulla, qua comes Martinus reliquit fratribus villam Grisane".

Ex original. in tabular. convent. fratr. minor. Tersaten. in Croatia.

MCLVII. 1475, 17 Junii, Budae.

Mathias rex praecipit capitaneis civitatis Segniensis, ut fratres minores conventus Segniensis, vicariae vero Bosnensis, in suis iuribus contra quosvis competitores et turbatores protegant.

Mathias Dei gratia rex Hungarie, Bohemie etc. Fidelibus nostris capitaneis civitatis nostre Segnien. de regno Croatie presentibus et futuris presentium notitiam habituris ipsorumque vicesgerentibus salutem et gratiam. Quia nos tum propter singularem devotionem, quam erga beatum ac seraphicum patrem Franciscum et consequenter venerandam religionem (et) ipsius de observantia a teneris annis nostris gessimus continuo, atque gerimus, tum vero propter iustitiam et equitatem, quarum nos veros fautores et indubitatos esse cognoscimus dispensatores, cupientes eosdem fratres sub felicis nostri ditione regiminis et tutela quantum fas est, ab omni inquietudine fieri immunes, ut eo liberius regi famulari

valeant sempiterno, idcirco fratres pretitulate religionis s. Francisci de observantia, in ipsa civitate nostra Segniensi commorantes, vice maiestatis nostre personis vestris commisimus committimusque per presentes protegendos. Idcirco fidelitati vestre serie presentium firmissime precipimus et mandamus, quatenus amodo in posterum prenominatos fratres, videlicet vicarie Bosne, presentes et futuros ac ipsorum claustrum de Segnia contra quoslibet impetitores et turbatores protegere, tueri ac indemniter manutenere debeatis et teneamini; signanter autem in domibus et censibus earumdem domorum, quas videlicet fratres ipsi in illa civitate nostra ex indulto sanctissimi domini nostri pape tenent et habent, quos census eisdem fratribus solvi debendos nulli omnino hominum turbare aut se ad ipsos quomodocunque ingerere permittatis, nec permiti faciatis, sed integraliter eis administrari procuretis. Si quid autem per quemquam adversus predictos fratres eorumque claustrum occasione domus et censuum huiusmodi contra formam nostri mandati qualitercunque foret aut fieret attentatum, talium damnosam impetitorum licentiam per omnia opportuna gravamina compescatis, auctoritate nostra regia presentibus vobis in hac parte specialiter attributa mediante. Presentes autem, quas secreti sigilli nostri appensione communiri fecimus, post earum lecturam semper reddi volumus et mandamus presentanti. Datum Bude sabbatho proximo post festum beati Barnabae apostoli. Anno domini millesimo quadringentesimo septuagesimo quinto, regnorum nostrorum anno, Hungarie scilicet decimo octavo, Bohemie vero septimo.

Ex original. in tabular, conventus fratr. minor. Trsaten. in Croatia.

MCLVIII. 1475, 26 Junii, Romae.

Sixtus PP. IV. praecipit vicario Bosnae, ut si qua loca generali vel provinciali ministro Dalmatiae subdita receperit, ea intra quindecim dies restituere debeat.

Sixtus PP. IIII. Dilecte fili salutem et apostolicam benedictionem. Post concessionem per nos de recipiendis locis tibi factam per alias nostras in forma brevis litteras declaravimus, mentis nostre nunquam fuisse, quod aliqua loca generali vel provinciali ministro subdita recipere posses aut deberes extra tenorem litterarum fel. rec. Pauli II nostri immediati predecessoris super fratrum concordia editarum. Quocirca volumus et sub excommunicationis latae sententiae poena apostolica auctoritate mandamus, quatenus si qua loca generali aut ministro Dalmacie subdita propter formam litterarum dicti predecessoris recepisti, infra xv dies a receptione presentium computandos, restituere et libere dimittere ipsi ministro penitus debeas omni mora et exceptione cessante concessione prefata et aliis in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum Rome apud s. Petrum sub anulo piscatoris die xxvi Junii mccccLxxv. Pontificatus nostri anno quarto.

Superscriptio: Dilecto filio vicario provincie Bosne ord. minorum de observancia.

Ex exemplari synchrono in tabular. conventus fratr. minor. Trsaten. in Croatia.

MCLIX. 1475, 20 Julii, Modrušiae.

Stephanus de Frangepanibus et eius filius Bernardinus confirmant donationem, quam fecerat Martinus comes de Frangepanibus cedendo possessiones Kotor et Belgrad, in districtu Vinodol sitas, monasterio Tersatensi et Novigradensi, ordinis s. Francisci vicariae Bosnensis.

Nos Stephanus de Frangepanibus et Bernardinus filius eius, Segnie Veglie et Modrussie comites. Memorie commendamus tenore presentium significantes quibus expedit universis. Quia spectabilis et magnificus dominus Martinus de eadem Frangepanibus, similiter Segnie, Veglie, et Modrussie comes, frater noster carnalis ob honorem internerate et glogloriosissime Dei genitricis virginis Marie et ob spem salutis anime sue et progenitorum nostrorum, quasdam possesiones suas, vidilicet Kothor et Belgrad vocatas, in districtu Vinodol existentes et habitas, cum universis et singulis earumdem pertinentiis, proventibus, utilitatibus, metisque et confinibus, ad easdem possessiones ab antiquo et de iure spectantibus, monasterijs ecclesiarum beate Marie Virginis in Tersat et Sub Nouigrad fundatis in perpetuam elemosinam inscripsit et donavit. Quare et nos ipsum pium et saluberimum opus considerantes eidem inscriptioni et donationi nostrum benevolum prebuimus consensum, imo prebemus pariter et assensum, promitentes bona fide nostra christiana, quod nos nullo unquam tempore dicta monasteria in ipsis possessionibus vel ipsarum pertinentijs proventibus, confinibus et metis impediemus et neque heredes nostri impedient; sed pro posse nostro contra ipsorum impetitores defendemus; ubi vero nos dicta monsteria in ipsis possessionibus vel ipsarum pertinentijs, proventibus, confinibus ac metis impediremus, molestaremus vel turbaremus, sive heredes nostri impedirent aut turbarent; ex tunc nos in quinque millibus florenorum auri contra serenissimum dominum regem nostrum, vel suos succesores, reges scilicet Hungarie, ac dicta monasteria et fratres in eisdem pro tempore degentes, convincamur et heredes nostri convinci debeant ipso facto, de quorum quinque millium florenorum auri sua medietate serenissimus dominus rex noster vel sui succesores reges Hungarie immediate solum vigore presentium, sine strepitu alicuius iudicij iuxta probabilia tamen documenta ipsorum fratrum irremissibiliter sue Maiestati sive fisco regio satisfacere, et de altera medietate dictarum pecuniarum eisdem monasterijs ac fratribus ex parte nostri et heredum nostrorum valeant atque possint. In cuius rei robur et testimonium presentes litteras nostras sigilli nostri maioris appensione fecimus communiri. Datum in nostra civitate Modrussia die 20 Julii anno 1475. Praemissa omnia et singula ex genuino originali mihi exhibito descripto in membrana cum appensione sigilli in forma capsulae per modum privilegii aliena fide digna manu extracta cum eodem contuli, et quia de verbo ad verbum concordare inveni me subscripsi in fidem et solito sigillo munivi: Ego Joannes Simon Tudorovic sacra imperiali auctoritate notarius publicus.

Nos iudices et rectores civitatis Fluminis s. Viti fidem facimus et pro rei veritate attestamur, supradictum dominum Joannem Simonem Tudorovich esse talem, qualem se facit, eiusque scripturis publicis his

et similibus subscriptionibus hic plena adhibetur fides et ubique locorum merito adhibendam fore.

In quorum fidem etc. Datum Flumine s. Viti die 19 Julii 1679. Georgius Grohovacz notarius publicus de mandato etc.

Ex exemplo in tabular. conventus fratr. minor. Trsaten. in Croatia.

MCLX. 1476, 31 Aprilis, Romae.

Sixtus PP. IV. confirmat praedecessorum suorum bullas, quoad metas et divisiones inter provinciam ss. Salvatoris Hungariae et vicariam Bosnae.

Sixtus episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Sedis apostolicae gratiosa benignitas piis quarumlibet et presertim sublimium personarum ac aliarum sub regulari castimonia militantium votis libenter annuit et illis, quae ab ea pro huiusmodi religiosis personis processisse comperit, uberioris interdum apostolici numinis vinculum adjicit, ut eo firmius allibata persistat, quo frequentiori suo fuerint praesidio pro tempore stabilita. Dudum siquidem felicis recordationis Nicolaus papa V. praedecessor noster quasdam litteras piae memoriae Eugenii papae IV, etiam praedecessoris nostri, per quas tunc vicario ministri generalis et tribus ordinis minorum vicariae Bosnae secundum morem dicti ordinis, praesentibus et futuris, certa privilegia, facultates, gratiae ac indulta concedebantur, et nonnulla alia privilegia et litterae apostolicae nonnullorum aliorum romanorum pontificum etiam praedecessorum nostrorum innovabuntur et ad vicariam Bosnae extendebantur eisdemque vicariis Bosnae et fratribus quod illis uti possent, concedebantur ad tres dicti ordinis de observantia in regno Hungariae consistentes extendit, ac voluit dictus Nicolaus praedecessor, quod tres Hungariae huiusmodi illis pariformiter et absque ulla differentia uti, et gaudere possent, ac deberent in omnibus, ac per omnia, prout dicti tres Bosnae utebantur et gaudebant, nec vicariam Hungariae a vicaria Bosnae totaliter divisit et separavit, ac inter eos certos limites pro vicaria Hungariae deputavit et nonnulla alia fecit, constituit et ordinavit, prout in litteris dicti Nicolai plenius continetur. Quare pro parte charissimi filii nostri Nicolai regis Bosnae et vicariis fratrum Hungarie, huiusmodi nobis humiliter fuit supplicatum, ut litteras dicti Nicolai praedecessoris quoad metas et divisiones dictorum fratrum Hungariae et Bosnae innovare, confirmare et approbare, ac viribus perpetuo subsistere debere, statuere et decernere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati, litteras dicti Nicolai praedecessoris huiusmodi cum omnibus et singulis in eis continentiis (et) clausulis, quoad metas et divisiones in dictis litteris contentas, auctoritate apostolica et ex certa scientia innovamus, confirmamus et approbamus ac viribus perpetuo subsistere debere decernimus et declaramus, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac omnibus illis, quae dictus Nicolaus praedecessor in suis litteris non obstare voluit, caeterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo omino hominum liceat hanc paginam nostrae innovationis, confirmationis, approbationis, constitutionis et declarationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Dei omnipotentis ac beatorum Petri et Pauli

apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud s. Petrum anno incarnationis dominicae millesimo quadringentesimo septuagesimo sexto, pridie kalendas Maii, pontificatus nostri anno quinto.

Ex original. in tabular. provinc. ss. Salvatoris Gyöngyösien.

MCLXI. 1476, 17 Augusti.

Vlatko, dux s. Sabae fatetur se per suum legatum c. Ralul Paskarić percepisse a Ragusinis tributum anni 1476 pro Konavlje. Scripsit Vukša Vuković.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monum. serbica, p. 517.

MCLXII. 1478, 26 Julii, Budae.

Mathias rex confirmat exemptiones et privilegia, a regibus Ludovico I. et Sigismundo, nec non et Ladislao de Chak, Transilvaniae vojvoda, fratribus ord. s. Francisci vicariae Bosnae concessa.

Nos Mathias Dei gratia rex Hungariae, Bohemiae etc. Memoriae commendamus tenore praesentium significantes, quibus expedit universis, quod pro parte et in personis religiosorum fratrum minorum ordinis b. Francisci confessoris in claustris oppidorum nostrorum Hatsak, Chery, Sebes et Orsova vocatorum constructis degentium exhibitae sint nobis et praesentatae quaedam litterae magnici condam Ladislai de Chak olim wayvodae Transylvaniae et comitis de Zolnok in pergameno patenter confectae sigilloque eiusdem consignatae tenoris quarumdam litterarum felicis memoriae serenissimi principis condam domini Sigismundi, imperatoris Romanorum ac dictorum regnorum Hungariae, Bohemiae regis, super quibusdam annuentia et concessione ac libertatibus et constitutionibus emanatarum transumptum in se continentes tenoris infrascripti, supplicatumque extitit maiestati nostrae in personis praedictorum fratrum humiliter, ut easdem litteras ipsius Ladislai de Chak ratas, gratas et acceptas habere, litterisque nostris privilegialibus verbotenus inseri et transummi facientes pro eisdem fratribus innovando perpetue valituras confirmare dignaremur. Quarum quidem litterarum tenor talis est:

Nos Ladislaus de Chak, waivoda Transylvanie et comes de Zolnok memoriae commendamus tenore praesentium significantes, quibus expedit universis, quod venientes nostram in praesentiam religiosi viri fratres ordinis s. Francisci confessoris minorum de claustro de Hatsak exhibuerunt nobis quasdam litteras serenissimi principis et domini, domini Sigismundi Dei gratia Romanorum regis semper augusti ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. regis, domini nostri naturaliter gratiosissimi patenter emanatas, petentes nos humili precum cum instantia, ut nos tenorem earumdem litterarum dicti domini nostri regis in transcripto litterarum patentium dare dignaremur. Quarum tenor per omnia talis est:

Nos Sigismundus Dei gratia Romanorum rex semper augustus ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae rex etc. Ad cunctorum praesentium pariter et futurorum notitiam cum sempiternae memoriae digna commendatione volumus pervenire etc. (V. nr. DCLXXIX, p. 127.)

Nos igitur iustis et legitimis petitionibus praenominatorum fratrum ordinis s. Francisci confessoris minorum favorabiliter inclinati tenorem praescriptarum litterarum eiusdem domini nostri regis de verbo ad verbum transumi et transcribi facientes eisdem fratribus duximus concedendas iuris ipsorum uberiorem ad cautelam. Datum in oppido Hatsak in vigilia festi b. Petri ad vincula. Anno Domini 1429.

Nos igitur supplicatione praefata maiestati nostrae in personis, quorum supra, porrecta, exaudita clementer et admissa praescriptas litteras antelati Ladislai de Chak non abrasas, non cancellatas, non in aliqua sui parte suspectas, sed omni prorsus vitio et suspicione carentes, praesentibus nostris litteris privilegialibus de verbo ad verbum, sine diminutione et augmento aliquali insertas et transumptas, quoad omnes earum continentias, clausulas et articulos eatenus, quatenus eadem rite et legitime existunt emanatae, viribusque earum veritas suffragatur, acceptamus, approbamus et ratificamus, easque nihilominus ac omnia et singula in eisdem contenta pro eisdem fratribus innovantes perpetue valituras confirmamus praesentis scripti nostri patrocinio mediante. In cuius rei memoriam firmitatemque perpetuam praesentes litteras nostras sigillo nostro impendenti consignatas eisdem fratribus duximus concedendas. Datum Budae in festo b. Annae matris Mariae, anno Domini 1478. regnorum nostrorum Hungariae anno 21, Bohemiae vero decimo.

Ex original. in tabular. provinc. ss. Salvatoris Gyöngyösien.

MCLXIII. 1478, 16 Augusti, in castro Novigrad.

Martinus comes de Frangepanibus monasterio fratrum minorum, vicariae Bosnensis Tersatensi donat totales possessiones Grižane et Kotor, cum cunctis earumdem pertinenciis, terris etc.

Martinus de Frangapanibus Segnie, Veglie Modrusseque comes etc. Omnibus christifidelibus presentibus et futuris, presentium notitiam habituris, salutem in salutis largitore. Licet plasmator omnium, de cuius munere venit, ut sibi a fidelibus digne et laudabiliter serviatur, a iuventutis nostre primiciis illam cordi nostro benigne infuderit gratiam, que ad sui nominis gloriam et honorem cunctas in dominiis nostris constructas ecclesias favoris continuatione duxerimus confovendas, taliter ut ipsius diligentie nostre studio eis provisio fructuosa et salubris condecenter a nobis provenire videatur. Cum igitur videamus progenitores nostros pro remedio animarum suarum in diversis locis comitatuum nostrorum diversa monasteria fundasse et ea possessionibus, libertatibus aliisque bonis dotasse, nos tum eorum exemplis imbuti, tum eciam proprie devocionis voto moti, ad monasterium beate Marie virginis, ordinis beati Francisci fratrum minorum de observantia, in districtu de Vynodol prope castrum, Czerzath vocatum, in honorem intemerate et gloriosissime Dei genitricis virginis Marie, ob spem et devotionem, quam ad eandem gerimus, per nos denuo fundatum et constructum. Ut igitur ipsi fratres in ipso monasterio degentes temporalibus subsidiis sufficienter adiuti liberius Deo vacent, ipsique serviant et ipsius misericordiam in districto examine nobis assiduis eorum oracionibus valeant impetrare, illis pro anime nostre re-

medio et omnium progenitorum nostrorum totales possessiones nostras: Grysane et Kothor vocatas in prefato districtu de Vynodol existentes et habitas simul cum cunctis earundem pertinenciis, terris videlicet arabilibus, cultis et incultis, agris, pratis, pascuis, fenilibus, silvis, nemoribus, vineis, vinearum promontoriis, aquis, aquarum decursibus, molendinis, molendinorumque locis, ac generaliter quarumcunque utilitatum integritatibus, usibus, fructibus, fructuositatibus, proventibus, emolumentis quibuscunque et qualitercunque vocatis, sub earum veris et antiquis metis de iure et ab antiquo ad easdem spectantibus et pertinere debentibus prefato monasterio ecclesie beate Marie virginis prope dictum castrum nostrum Czerzath fundato et fratribus in ipso Deo famulantibus in perpetuam elemosinam dedimus inscripsimus, donavimus et contulimus. Addidimus insuper dicto monasterio quamdam capellam b. Laurentii sub dicto castro nostro Czerzath sitam cum uno orto, una vinea, que volgo Brayda nuncupatur, ac uno fenili ibidem penes vineam existente, nec non unum molendinum et unam stuppam in fluvio Reka decurrentem. Preterea unam planitiem terre, incipiendo extra dictum monasterium et terminando penes hospitale, dedimus, donavimus et contulimus, ymo damus, donamus, in perpetuamque elemosynam inscribimus et conferimus iure perpetuo et irrevocabiliter tenendi, possidendi prout et habendi. Nil iuris nilve proprietatis et dominii in eisdem possessionibus, portionibus ac omnibus supradictis pro nobis, fratribus, fratruelibusque et cognatis nostris reservando, sed totum ius omnemque iuris et dominii proprietatem, quod et quam in eisdem quomodocunque et qualitercunque hactenus habuimus, in prefatum monasterium beate Marie virginis de Czerzath ac fratres ordinis beati Francisci de observantia, in eodem commorantes, transtulimus pleno iure. In cuius rei memoriam firmitatemque perpetuam presentes sigillo nostro maiori et authentico in pendenti communitas memoratis fratribus duximus concedendas. Datum (in) castro nostro Nowygrad, secundo die festi assumptionis virginis gloriose, anno domini 1478.

Comissio propria domini comitis.

(Sigillum maius integrum rubrae cerae impressum).

(In tergo). Donatio comitis Martini fratribus minoribus conventus beate virginis super possessionibus Grysane et Kothor.

Ex original. in tabular. convent. fratr. minor. Trsaten. in Croatia.

MCLXIV. 1478, mense Augusti, Daska.

Vladisav, dux s. Sabae testatur, se accepisse a Ragusinis tributum anni 1479 pro Konavlje.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monum. serbica, p. 519.

MCLXV. 1478, 20 Octobris, Romae.

Catharina „ducis Stephani filia, regina Bosne, nunc in alma urbe, in regione Pinee, in domo sue solite habitationis prope ecclesiam s. Marci de urbe, „nisi Sigismundus et Catharina eius filii, religionem mahometanam professi, ad christianam fidem redierint, ex testamento „romanam ecclesiam, sedem apostolicam ac . . . sanctissimum dominum . . . Sixtum

*

. . . papam III et suos successores, heredes et successores (regni Bosnae) instituit . . . et ordinavit".

In nomine etc. Dat. ut supra.

Ex Cencio camerario fol. 347. *Odoric. Raynaldi:* Annal. eccles. tom. X, p. 594. *Theiner:* Monum. Slavor. meridional. tom. I, p. 509.

MCLXVI. 1480, 9 Januarii, Ragusii.

Rector et consilium regi Siciliae scribunt, gentes regis Ungariae, prout notum reddiderunt prioribus litteris 13 novembris, reipsa in Bosnam ingressas fuisse, et „loca illa nuncupata Verchosavia ferro et igne" devastasse.

Makušev: Ист. споменици јужних Словена II, 94.

MCLXVII. 1480, 11 Martii, Ragusii.

Vladisav, dux s. Sabae, fatetur se a Ragusinis mutuatum esse LX hyperperos.

Dr. *Fr. Miklošić:* Monum. serbica, p. 522.

MCLXVIII. 1480, 14 Junii, Zagrabiae.

Mathias rex cardinali Aragonio scribit, quod non suscepisset bellum contra Turcos, si non fuisset spem subsidii a pontifice nactus; „acceptis enim litteris istis (a papa) protinus transito Sava Bosnam intravimus; deinde usque Verbozaniam et Serbiam ac usque in terras ducis Stephani excursiones fecimus . . . Quum destructum laceratumque maximo labore et magnitudine imbrium exercitum nostrum refecissemus, et iam expectaremus iuxta spem nobis datam promissum saepe ad hoc opus subsidium, cognovimus, frustra nobis spem in aliorum subsidio collocatam . . ."

Katona: Histor. critic. XVI, 283—5.

MCLXIX. 1481, 2 Junii, Ragusii.

Rector et consilium ragusinum regi Sicilie scribunt: „Bosnam Vlatchus dux, Albaniam Nicolaus Ducagynus ingressi sunt. In motu omnia sunt confinia; modicus favor si presto adsit, e Bosna et Albania Turchos exterminare posset, cupientibus populis res novas de eorum naturae, et quia duram tyranidem defuncti diu perpessi sunt, si mora adhibeatur, Vlatchi et Nicolai Ducagini conatus, iudicio nostro, innanes erunt . . ."

Makušev: Ист. споменици јужних Словена II, 101. Litteris 14 Junii Paladinus de Gondola scribit, quod rex Hungariae mittat exercitum in Bosnam. Ibid. p. 103.

MCLXX. 1481, 15 Junii, Ragusii.

Rector et consilium ragusinum regi Siciliae referunt: „Vlaticus dux Bossinam ingressus, nullius auxilio, nullius consilio fretus, nisi Vlachis

[1] a) Fr. Henricus o. Praedic. epistola contra fratr. Andream episcopum »Crainen.« anno 1482 scripta haec adnotavit: »Reginae Bosnae expulsae de suo regno . . ad dies vitae quolibet mense in quinquaginta floren. de camera (Sixto IV) opus erat providere. Cod. mss. Ottobon. 736, fol. 7. b) Joannes »Marnavitius« dissertatione „De coronis Hungaricis« anno 1627 scripta, ait: Denique de regum Bosnensium corona nihil tale suspicandum (videlicet quod Stephanus Bocskay tempore regis Rudolphi illa fuisset incinctus) cum illam a Catharina ultima regina . . . Romam delatam et Sixto IV pontifici consignatam noscamus . . . Cod. mss. vatican. 9026, fol. 2.

eum vocantibus, dum inconsultius res suas gerit, in loco, qui Menesagite (?) dicitur, (ab) Attaut-bassa, qui Verchbosanie preest, profligatus fuit; et vix ipse, perditis omnibus, que secum habebat, manus Turcorum effugit, et in castrum Novum se recepit. Omnia in Bossina novitatibus fervent. Hinc pauci illi Turchi, qui in ea sunt, deserient inde. Bosnenses ipsi alius alteri rapiunt, laniant, trucidantur; sed omnibus est in ore Mathias . . .“

Makušev: Ист. споменици јужних Словена II, 104.

MCLXXI. 1481, Budae.

Mathias rex duci Venetiarum nunciat, se „ne opportunitatem hanc recenti Turcorum obitu oblatam negligeret, constituisse mittere gentes et necessaria ad quaedam castra illa, que illustrissimus princeps Sabae novissime nobis assignavit“. Rogat galeas sibi suppeditari.

Katona: Histor. crit. XVI, 379.

MCLXXII. 1482, 29 Aprilis, Ostervicae.

Ladislaus de Egervara Dalmatiae, Croatiae et Slavonie banus scribit Michaeli Kerhen vicebano, ut prohibeat Petrum Melutinech, ne in possessione Vulača in praesidium fratrum minorum innovationes facere praesumat.

Ladislaus de Egervara, regnorum Dalmacie, Coruacie ac totius Sclavonie banus. Egregie, nobilis, dilecte. Exposuerunt nobis venerabiles et religiosi patres fratres ordinis s. Francisci, quod quedam publica via antiqua et per predecessores n stros banos legitime probata pretendisset de possessione Vulacha ad torrentem inter villas Dobrauicam et Culisich pro adaquatione tam animalium, quam hominum, quam viam quidam Petrus Melutinech cum aliis sequacibus suis quibusdam applantationibus et septuris ipsis precludisset, et in usum suum proprium convertisset, in preiudicium dictorum exponentium satis grande. Unde nos huiusmodi insolenciis assentire nolentes committibus vobis et mandamus, quatenus dum per dictos fratres fueritis requisiti, personaliter ad ipsum locum accedere debeatis et ipsam viam antiquam usque ad dictum torrentem in statum pristinum, in quo tempore predecessorum nostrorum fuit, et in quo statu introducti fuerunt per mandatum regie maiestatis dicti fratres, redigere debeatis. Et eidem Petro et cuiuslibet status et conditionis hominibus sub pena centum florenorum mandamus, ne ipse occasione dicte vie vel aque deinceps aliquid innovare et attemptare presumat. Insuper quod si intellexeritis vobis de predicta via aliquid damni, convocatis ambabus partibus . . . satisfactio fiat. Secus non facturi. Ex Ostervica feria secunda post festum Vitalis martiris, anno domini MCCCCLXXXII. Et perlectis exhibentibus restituatur.

(Sigillum cerae viridi impressum, sed vitiatum, pendet).

(In dorso): „Egregio Michaeli Kerhen vicebano nostro nobis dilecto“ aliena manu saec. 16. „littera pro aqua Vlacha bani“.

Ex originali in tabular. convent. fratr. minor. Tratten. in Croatia.

MCLXXIII. 1484, 29 Februarii, 29 Martii.

Bajazed II sultanus scribit sandžako Hercegovinae Mustafa bego et kadiis de sale Ragusinorum.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monum. serbica, p. 529.

MCLXXIV. 1484, 5 Julii, Segniae.

Tempore fr. Francisci a Ragusio guardiani Segnien. et fr. Ludovici vicarii Bosnensis ex consensu etiam ceterorum conventus fratrum comprobatur venditio vineae cuiusdam, salvis fratrum iuribus in instrumento expressis.

In Christi nomine Amen. Anno nativitatis eiusdem millesimo quadringentesimo octuagesimo quarto, indictione secunda, die quinto mensis Julii, Segne in domo mei notarii et cancellarii infrascripti, presentibus domino presbitero Balasso Juanzolich, canonico Segne, Bartholo Banich, Joanne Tertcich, Joanne Soldatich, Georgio Borovina et Jacobo Ochochlasich prestauo dato in presenti instrumento per nobiles viros Drascum et Donatum hyadren. ad presentiam honorabilis iudicis segnien. testibus ad hoc infrascriptis habitis, vocatis et rogatis. Cum sit, quod dominus frater Franciscus de Raguxio, guardianus conventus s. Francisci Segne, cum voluntate domini fratris Lodouici, vicarii provincie, ac aliorum fratrum dicti conventus, nec non cum scitu et auctoritate iudicis Gregorii Aboh et Georgii Zuancich procuratorum dicti conventus, dederit, cesserit et in perpetuum contulerit magistro Georgio de Drescnico peliparo et eius heredibus unam suam vineam dicti monasterii desolatam et derelictam, positam in vale Besche, in loco dicto Podcoxio super vineam Joannis Tertcich cum omnibus suis iuribus, confinibus et iurisdictionibus ac proprietatibus, ad huiusmodi tenendum, plantandum, donandum, vendendum et alienandum pro anima et corpore iudicandum, cum pactis et convencionibus, quod teneatur plantare dictum terrenum vitibus ac bene et diligenter ligonizare ac laborare et dare dicto conventui s. Francisci Segne septimam partem vini tantum, ut de predictis omnibus constat publico instrumento, rogato per me, notarium infrascriptum sub anno domini millesimo quadringentesimo octuagesimo primo, indictione decima quarta, die decimo sexto mensis Augusti. Nunc voco dictum magistrum Georgium . . . huiusmodi cum voluntate et scitu dicti domini fratris Francisci guardiani ac fratris Antonii et aliorum fratrum, nec non cum licentia dictorum procuratorum per se suosque heredes et successores dedit, cessit, tradidit et vendidit Georgio de Stagno famulo Joannis Tretcich presenti, pro se et suis heredibus et successoribus stipulanti et accipienti dictam vineam cum omnibus suis iuribus, honoribus et pertinenciis ac predictis pactis observandis ad habendum, tenendum, vendendum et donandum, pro anima et corpore iudicandum et quidquid dicto Georgio de Stagno et cum heredibus amodo perpetuo placuerit faciendum sub condicione alicuius persone vel natis dicte partis superius anotate. Et hoc proprio et nomine precii ducatorum novem auri, quos dictus Georgius venditor habuit et recepit manualis in auro a dicto Georgio emptore, presentibus dictis testibus et me notario infrascripto omni exceptioni iuris et facti in predictis et infrascriptis penitus renuncians dictus venditor, qui contra-

dicere posset vel se tueri; promittens insuper dictus Georgius venditor per se suosque heredes et successores ipsi Georgio emptori pro se suisque heredibus et successoribus stipulanti ei vel eius heredibus de dicta vinea litem, questionem vel molestiam ullo tempore non infere nec infere volenti consentire. Sed dictam vineam ei et eius heredibus ab homine, persona, communi, collegio et universitate legitime defendere discalumpniare et discusare et auctorizare in iudicio et extra, et dictam venditionem et omnia et singula suprascripta et infrascripta perpetuo firma et rata habere et tenere et nunquam contrafacere vel venire per se vel alium aliqua racione, causa vel ingenio de iure vel de facto sub pena dupplici stipulacione premissa refeccione omnium dampnorum, expensarum et interesse et sub obligacione omnium suorum bonorum mobilium et immobilium presencium et futurorum . . .

† Ego Joannes Saccus de Laude, imperiali auctoritate publicus notarius ac iudex ordinarius et cancellarius iuratus communis Segnie, omnibus predictis interfui . . . scripsi . . . publicaui signumque meum tabellionatus apposui et me subscripsi.

Ex original. in tabular. convent. fratr. minor. Trsaten. in Croatia.

MCLXXV. 1486, 8 Novembris, Segniae.

Judices regii pro audiendis querimoniis deputati, auditis testibus et visis instrumentis productis, decernunt, ut Petrus capitaneus segniens. fratres monasterii trsatensis in dominium et possessionem Grižane auctoritate regia introducat.

Nos Caspar Bodo de Giurgii, magister ianitorum reginalis maiestatis et comes Tolnen. ac magister Joannes de Korathna, comes Simigien. et protonotarius palatinalis et in regnis Sclavonie, Dalmatie et Croatie pro exaudiendis providendisque, complanandis et distinguendis querimoniis cunctorum incolarum dictorum regnorum per regiam commissionem iudices cum plena auctoritate deputati, memorie commendamus et tenore presencium significamus, quibus expedit universis: Quod nobis sabatho proximo post festum omnium sanctorum in civitate Segniensi ad audiendum et discutiendum querimonias coram nobis querulando sedentibus Martinus Croata de Rachoviza pro religiosis fratribus custodie guardiano ac certis fratribus ordinis s Francisci de observantia in ecclesia seu claustro beate virginis Marie, in districtu Vinodol, prope castrum Tersath vocatum, fundato degentibus, cum procuratoriis litteris eorumdem de medio ceterorum querulantium in iram exurgens contra Hieronymum, Soniko dictum, personaliter comparentem proposuit eo modo, quomodo superioribus temporibus quondam Martinus, similiter Soniko, generalis capitaneus Segniensis Noui et Bribir, ceterorumque castrorum regalium tempore sui capitaneatus, quandam possessionem seu villam predicti claustri beate virginis, Grisane vocatam, in districtu Vinodol habitam, cum suis cunctis utilitatibus et pertinentiis quibuslibet iniuste et indigne pro se ipso occupasset occupatamque, quamdiu supervixisset, illicite tenuisset, tandem vocatione divina ipso e seculo decedente, idem Hieronymus Soniko, frater dicti Martini, sic indebite occupatam teneret et conservaret de presenti in preiudicium et damnum predicti claustri et

fratrum in eodem degentium valde magnum. Quo audito iam fatus Hieronymus Soniko, ut prefertur, personaliter in eandem iram exurgens puram, respondit ex adverso, quod prefatus quondam Martinus Soniko, frater eius, possessionem predictam Grisane iniuste non occupasset, nec ipse Hieronymus eandem indebite observasset de presenti. Nam eadem possessio Grisane simul cum castro Bribir et eiusdem pertinentiis per serenissimum et invictissimum principem dominum Mathiam, Dei gratia Hungariae, Bohemie videlicet regem, dominum nostrum gratiosissimum, pro certa pecunie summa ipsis Marino et Hieronymo Soniko fuerat oppignorata, sicque ipse eandem ex huiusmodi impignoratione regia conservaret et in totali premissa actione et acquisitione dictorum actorum innocens esset et immunis. In contrarium prelibatus Martinus propter dictos fratres in personis eorumdem subiunxit hunc modum: quomodo preattacta possessio predicti claustri beate virginis et fratrum in eodem degentium Grisane appellata per quondam magnificum dominum Martinum de Frangepanibus ob remedium salutis anime eiusdem memorato claustro et fratribus in eodem degentibus ex promissione, bona voluntate et consensu dictam domum regis in perpetuam elemosinam donata et ex eiusdem donatione consensuali per fratres eiusdem claustri per nota tempora pacifice possessa extitisset, et ideo idem dominus noster rex, ex cuius consensu dicta possessio Grisane eidem claustro donata extitit, eandem per fratres Martino et Hieronymo Soniko aut alteri nunquam impignoratam vel aliter quoquo modo donatam videlicet habuit, neque de iure potuit ab eodem claustro alienare. Et ibidem in horum verborum suorum declarationem et verificationem quasdam duas litteras, unam ipsius domini Martini comitis et aliam capituli ecclesie zagrabiensis, ambas privilegialiter emanatas, nostrum produxerunt in conspectum, quarum prima, scilicet dicti Martini comitis, littera privilegialis maiori authentico sigillo eiusdem impendenti communita hunc tenorem continebat: Martinus de Frangepanibus Segnie, Veglie Modrussieque comes omnibus Christi fidelibus etc. Licet plasmatorum omnium etc. Dat. in castro nostro Novigrad, secundo die festi assumptionis virginis gloriose, anno Domini 1478. (Vide idem instrumentum comitis Martini pag. 290.)

Altera vero ipsarum, videlicet dicti capituli zagrabiensis littera similiter privilegialis, quam verbatim servabat continentiam: Nos capitulum ecclesie zagrabiensis notum facimus, tenore presentium significantes quibus expedit universis: quod frater Martinus, guardianus conventus ecclesie beate Marie virginis in Tersath ordinis s. Francisci, in sua et suorum universorum fratrum eiusdem conventus personis nostram personaliter venerit in presentiam, exhibuit et presentavit nobis quasdam litteras pares in pergameno conspectas serenissimi principis donum ac gratiam, Dei gratia regis Hungarie et Bohemie, videlicet domini nostri naturalis gratiosissimi, sigillo eiusdem ab intra impresso, uti prima facie apparebat consignata, tenoris infrascripti, petens nos debita cum instantia, ut tenorem earumdem de verbo ad verbum in transcripto litterarum nostrarum privilegialium similiter patentium eidem dare et concordare dignaremur, iuris sui ad cautelam, quarum tenor talis est:

Nos Mathias, Dei gratia rex Hungarie, Bohemie ... Memorie commendamus per presentes, quod nos consideratis in primis fidelitatibus et

fidelium servitiorum gratuitis meritis fidelis nostri spectabilis et magnifici Martini de Frangepanibus Segnie, Veglie, Modrussie comitis, tum vero gratum habentes responsum ad illam dispositionem, quam nobis cum super devolutione sex castrorum suorum post mortem suam ad nostram maiestatem fieri debentium, vigore litterarum suarum inscriptionalium fecit, quorum pretextu cupientes ipsum comitem Martinum favore nostro prosequi gratioso, ut eius humillime supplicationis instantiam nobis propterea oblate, id ei gratiose duximus annuendo imo annuimus et concedimus praesentium per vigorem, ut temporum in processu, si quid donationis, fassionis vel collationis ipse de bonis et possessionibus suis, que iusto iuris titulo possidet, cuipiam familiarium suorum pro servitiis ipsorum fecerit, vel etiam si aliquid de bonis et possessionibus suis ob refrigerium anime sue in perpetuam elemosinam ecclesiis et altaribus largitus fuerit, demptis solummodo prefatis sex castris, que nobis simul cum omnibus eorum pertinentiis per litteras suas inscripsit et sine praeiudicio iuris nostri regii, libere fateri, donare et conferre valeat atque possit. Cui quidem fassioni, collationi et donationi sive largitioni per dictum comitem iuste atque rationabiliter fiende eximit, et ex tunc sicut eximit, nostrum regium consensum prebuimus, imo prebemus benevolum pariter et assensum, salvis semper iuribus alienis, harum litterarum nostrarum vigore et testimonio mediante. Datum Bude feria secunda proxima post dominicam Quasimodo (13 Aprilis), anno Domini millesimo quadringentesimo septuagesimo septimo; regnorum nostrorum Hungarie anno vigesimo, Bohemie vero octavo.

Nos igitur petitionibus dicti fratris Martini guardiani annuentes, predictas litteras serenissimi domini nostri regis de verbo ad verbum sine diminutione et augmento aliquali transsumi et transcribi, presentibusque litteris nostris privilegialibus inseri fecimus, dicto fratri Martino guardiano ac universis fratribus supradicti conventus duximus concedendo iuris ipsorum ad cautelam. Datum feria quinta proxima post festum beati Mathie apostoli (29 Februarii) anno domini 1481.

Ipsis itaque litteris presentatis tam prefato possessore antelatorum fratrum ordinis predicti eisdem, quam etiam prenominato Hieronymo Soniko, sibi per nos in premissis iudicium et iusticiam preberi postulantibus, cum nos per eundem Soniko litteras regales impignoratitias in facto impignorationis pretacte possessionis Grisane, quam per regiam clementiam sibi et dicto fratri suo impignoratam fore asserebat, si quas pro sui parte haberet emanatas coram nobis exhiberi voluissemus et legitime requisivissemus. Item ad nostram iuridicam requisitionem nullas litteras impignoratitias superinde coram nobis producere et exhiberi posse, sed ipsam impignorationem dicte possessionis Grisane sibi factam fore, solummodo simplici verbo referebat.

Quibus perceptis tenoribusque pretactarum litterarum pro parte et in personis dictorum fratrum modo premisso productarum presentibusque in superioribus verbaliter insertarum tenoribus et continentiis perlectis et sane, videlicet sepe tactam possessionem Grisane, applicamus in dicto districtu Vinodol habitam ex premissa donatione quondam domini Martini comitis consensu regio roborata tanquam merum et sincerum ius pretacti claustri beate virginis et fratrum predictorum claustro in eodem

degentium eisdem cum cunctis suis utilitatibus et pertinentiis quibuslibet, iure eis ex premissis incumbente, adiudicamus et decernimus, reliquimus et commisimus perpetuo ac in sempiternum possidendam, tenendam, pariter et habendam, imo relinquimus et commitimus, ipsosque fratres per dominum Petrum capitaneum Segniensem in dominium et possessionem eiusdem ville introducere et eandem eisdem restituere commisimus, premissa auctoritate regia, nobis in hac parte attributa et iustitia mediante.

Datum in dicta civitate Segniensi, quarto die termini prenotati, anno domini 1486.

Ex exemplo in tabular. conv. fratrum minor. tersaten. in Croatia.

MCLXXVI. **1485, die 19 Julii, conventus s. Angeli apud Cremonam.**

Facta est obedientia fratribus provincie seu vicarie bosnensis in forma (consveta), ut nullo modo obediant fr. Petro, neque alicui prelato vigore cuiusdam obedientie sibi facte, que nulla est, eo quod dolose ad me (Joannem de Sigestro, vicarium generalem) et apportata fuit in ipsa obedientia ista clausula quod si sic erat . . .

Item 1486, die 16 Madii, conventus s. Bernardini apud Claras.

Facta est commissio fratri Francisco de Soimiris in forma consveta, ut accedat visitaturus loca Bosnensium, que scilicet sub directione est infidelium Thurcorum, si commode et sine periculo id poterit, et deferat in scriptis ad capitulum generale, si que invenerit merito deferenda, cum licentia ducendi aliquem ex fratribus illis, ut clarius et melius possint suas dicere necessitates, capitulo generali. Factaque est obedientia veniendi ad capitulum generale, si non esset electus per discretos vicarie Ragusine vel non esset vicarius . . .

Item ex eodem loco misse sunt littere obedientiales accedendi ad generale capitulum vicariis in scripto provinciarum: Dalmatie, Austrie, Bohemie, Polonie, Bosne . . .

Tabular. vatican. cod. mss. armar. 2 nr. 23 fol. 119.

MCLXXVII. **1487, 1 Junii, Assisii.**

Capitulum generale decernit, ut ea pars Bosnae, quae Turcis subest, in custodiam Bosnae erigatur, additis quibusdam iuribus, ita quod eadem a reliqua vicaria Bosnae quodammodo iuridice separata videatur.

In Christo sibi charissimis, venerando patri vicario et fratribus universis vicarie Bosne, frater Johannes de Sigestro, ordinis minorum observantiae, vicarius generalis cum universo capitulo generali, pacem et salutem in Domino sempiternam. Ad pacem servandam et tollendas occasiones dissensionis inter fratres et custodiam Bosne et Crovatie determinamus et volumus: Primo, quod custodia bosnensis sit custodia secundum ordinationem ordinis; item quod patres et eorum discreti dicte custodie teneantur nominare tres patres, quos voluerint de dicta custodia vel de tota vicaria et eos presentare vel per se ipsos vel per scriptum capitulo provinciali. Quod quidem capitulum una cum vicario teneatur eis unum ex tribus predictis dare in custodem cum omnimoda auctoritate super

dictos fratres predicte custodie. Qui custos visitet et faciat omnia in dicta custodia, sicut (et predictus) pater vicarius pariter, excepto quod pater vicarius, si sine periculo potuerit, visitare eos possit sicut reliquos totius vicarie, sed non punire sine consilio et consensu custodis et aliquorum patrum deputandorum ab ipsis patribus dicte custodie. Item quod dictus custos teneatur ire ad capitulum provincie, quando sine periculo poterit accedere et in ipso capitulo facere sicut alii custodes. Item casu quo ad capitulum accedere non possit sine periculo, tunc et eo casu congreget guardianos et discretos totius custodie et cum ipsis vel maiori parte ipsorum faciat guardianos et reliqua disponat sicut in capitulo fieri consuetum est. Qui guardiani nominentur et presententur capitulo provinciali simul cum predictis tribus patribus et eos capitulum teneatur instituere in guardianos nisi, ex aliqua manifesta causa aliquem eorum refutaverint, in quo casu alium instituant loco refutati de consensu custodis predicte custodie et aliquorum patrum.

Item quod non possit pater vicarius provincie aliquem punire de dicta custodia de commissis ante visitationem patris Francisci de Soymiris, commissarii patris vicarii generalis, missi anno domini 1486. Item quod vicarius predictus non possit aliqua bona a dicta custodia auferre sine consilio et consensu predicti custodis et guardianorum cum discretis, vel maiori parte eorum. Item quod non possit extrahere fratres de illa custodia sine consensu custodis et predictorum vel maioris partis eorum. Item quod fratres predicte custodie non possint retinere aliquem fugitivum de dicta vicaria, nec scilicet vicaria fugitivum de dicta custodia, sed teneantur eos remittere ad prelatos suos corrigendos.

Mandatum quoque vobis omnibus tam prelatis quam subditis custodie Crouatie et Bosne, ne recipiatis fratrem Franciscum Slatarich, nisi se subiiciat discipline et correctioni debite pro suis excessibus, nec sic etiam receptus promoveatur ad aliquam prelationem seu officium inter vos, nisi de licentia r. p. vicarii generalis vel capituli generalis.

Item quod nullus tam prelatus quam subditus ex vobis omnibus dirrecte vel indirecte procuret de cetero, quod fiat aliqua divisio in illa vicaria, seu quod custodia Bosnae fiat vicaria pro se; aut quod vicarius illius vicarie non possit ire ad Bosnam, vel quod custos bosnen. non possit ire ad capitulum provinciae.

Quicunque autem aliquid premissorum contrafecerit scienter, ipso facto actibus legitimis se noverit esse privatum.

Tabular. vatican. cod. mss. armar. 2 nr. 23 fol. 121—122.

MCLXXVIII. 1487, 15 Septembris, conventus s. Mariae de Jesu prope Messanam.

Fr. Joannes de Sigestro, vicarius generalis ordinis, fr. Michaelem vicarium Bosnae, quomodo in quibusdam negotiis pertractandis se gerere debeat, instruit.

Littera responsiva fratri Michaeli de Crovatia vicario Bosnae. Recepi a fratre Jacobo, presentium latore, litteras tuas, ex quibus cum relatione ipsius fratris Jacobi plene intellexi, quod fecerit frater Petrus de Wchic, quem, ut asseris, officio illius custodie, cui preerat, privasti iuxta

sanctiones ordinis nostri; iste namque frater Petrus ad me venit completo generali capitulo multa narrans de perplexitate illius vicarie. Cui, verum est, quod dedi etiam litteras, semper tamen mecum referens si sic erat, ut mihi exponebat. Igitur nunc, quod si sic est, ut scribis, volo, quod possis contra eum exercere officium tuum et eum punire, si quid privatione dignum egerit, sitque valida privatio per te contra ipsum facta de predicta custodia, non obstante prefata mea littera eidem tradita. Semper si sic est, ut a te sum informatus.

Attendas nihilominus omnia cum maturitate peragere et si alia privatio propter predicta ei fuerit imponenda, volo quod differas illam usque ad sequens venturum vicariale capitulum, et tunc cum consilio capituli privatur (privetur).

Preterea vigore aliarum tuarum percepi, illum fratrem Franciscum Slatarich apostatam impetrasse quamdam bullam, ut esset vicarius universe provincie Bosne sub Turcis, de quo valde doles; et pro opportuno remedio scribo commissario curie, quod velit tibi et fratribus tuis, Romam propter hoc a te mittendis, omne adiutorium impendere et viriliter satagere, ut obtineatur revocatio ipsius bulle. Ex quo poteris mittere fratres tuos ad eum, qui ipsum ad plenum de hac re informent, ut, domino concedente, compescatur audacia ipsius apostate.

De adventu meo ad vos visitandos nunc est impossibile, tamen altissimo favente, intendo visitare provinciam Dalmatiae tempore suo, et tunc aliquod bonum remedium dabo pro consolatione vestra.

Karissime, vale et ora Deum pro me, quia in presentiarum aliqualiter fui infirmus.

Ex loco nostro s. Marie de Jesu prope Messanam, provincie Sicilie, die 15 Septembris 1487. Fr. Johannes de Sigestro, vicarius generalis.

„Littera recommendationis fratri Jacobo de vicaria Bosne sacerdoti et socio per loca (data est) eadem die ut supra".

Tabular. vatican. cod. mss. armar. 2 nr. 23 fol. 123—124.

MCLXXIX. 1487, 27 Octobris, Ragusii.

Vladisav, dux s. Sabae, fatetur, se medio Ivaniš Ohmučević a Ragusinis provisionem percepisse.

Dr. F. Miklošić: Monum. Serbic. p. 537.

MCLXXX. 1488, 19 Aprilis, Ragusii.

Thomas Elinić testatur se accepisse a comite et nobilibus Ragusii quadraginta hyperperos, provisionem Žarko et Thaddaei Vlatković.

Dr. *Fr. Miklošić:* Monum. serb. p. 538.

MCLXXXI. 1488, 19 Aprilis, Ragusii.

Augustinus Vlatković Chlmensis fatetur, se a Ragusinis provisionem 200 hyperp. percepisse.

Dr. *Fr. Miklošić:* Monum. serbica, p. 537.

MCLXXXII. Circa 1485—89.

Quidam nobiles ducis Vlatko testantur, Georgium Bogišić esse nepotem comitis Brailo Tezalović.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monumenta serbica, p. 544.

MCLXXXIII. 1490, 8 Junii, Pestini.

Proceres Hungariae, Croatiae et Slavoniae „pro electione futuri novi regis" congregati concludunt, „quod si contingeret, quod illustr. d. Johannes dux . . . . . in regem Hungariae non eligeretur, ne regis honore et titulo careat, in regem Bozniae eligatur; et quamprimum alius quicunque in regem Hungariae eligetur et pronunciabitur, statim et incontinenti atque in eodem loco idem d dux in regem Boznae eligi, nominari et pronunciari, atque post illius futuri regis coronationem tertio aut quarto die immediate sequenti infallibiliter et ipse honorifice ac solemniter per eundem futurum regem, ut moris est, coronari debeat". Praeterea dabitur ipsi duci banatus Sclavoniae, Dalmatiae et Croatiae.

Katona: Histor. crit. XVII. 23—25.

MCLXXXIV. 1490, 16 Julii, Segniae.

Capitulum segniense ad preces fr. Martini de Birsacho (Trsato?) guardiani segnen. transumit Sixti IV. bullam „Romanus pontifex" editam Tibure 12 Augusti 1473.

Nos capitulum ecclesie segnien. tenore presentium memorie commendamus significantes universis, quibus expedit, qualiter accedens nostri ad presentiam personaliter venerabilis pater fr. Martinus de Birsacho guardianus conventus s. Francisci de Segna, ordinis minorum de observantia et exhibuit nobis quasdam bullas in pergameno sanctissimi in Christo patris quondam domini nostri Syxti, divina providentia pape quarti, cum bulla plumbea pendenti in cordula syricea, more sacrosancte romane ecclesie, sanas quidem et integras non viciatas, non maculatas . . . . . Quarum quidem tenor talis est: „Sixtus episcopus servus servorum Dei dillectis filiis Francisco de Ragusio vicario et universis fratribus ordinis minorum provincie Bosne secundum ordinem (sic) morem eiusdem ordinis salutem et apostolicam benedictionem. Romanus pontifex Christi vicarius etc. . . Datum Tibure anno incarnationis dominice millesimo quadringentesimo septuagesimo tercio, pridie idus Augusti pontificatus nostri anno secundo." (Vide eandem bullam nr. MCLI pag. 280.)

Harum nostrarum vigore testimonio litterarum mediante, quas cum appensione nostri capitularis sigilli, quo utimur, duximus communiri. Datum Segne in ecclesia nostra cathedrali beate Marie virginis die XVI mensis Julii anno salutis millesimo quatrigentesimo nonagesimo, indictione octava.

† Ego Marinus Maromanus Arbensis, publicus imperiali auctoritate notarius, iudexque ordinarius nec non capituli segnien. cancellarius, hoc presens publicum transumptum ex originali bulla fidedigne transcribo et transumptum describo ad verbum, nil addendo vel minuendo preter vir-

gulam vel punctum . . . In cuius robur me proprio nomine subscripsi et signum tabellionatus officii apposui consvetum.

(Sigillum desideratur, cordula, ex qua pendebat, adest).

Ex exemplo in tabular. convent. fratr. minor. Trsaten. in Croatia.

MCLXXXV. 1490, 1 Septembris, Neapoli.

Orator florentinus Antonius Soderini „octoviris practicae" scribit, Joannem Corvinum, defuncti regis Mathiae filium naturalem, cum regina reconciliatum esse, quae ipsi omnia a patre relicta confirmavit, concessit praeterea regnum Bosnae cum reditu 12.000 duc.

Makušev: Monumenta histor. Slavor. merid. I, 534.

MCLXXXVI. 1491, 10 Maii, Florentiae.

Priores libertatis etc. populi Florentini supplicant Bajezetho sultano, vellet sua auctoritate permovere rempublicam ragusinam, ut brachium s. Joannis Bapt. sinistrum, quod fr. Georgius bosnensis tulerat, eidem civitati Florentinae tradat.

Gloriosissime princeps et excellentissime salutem. Jure forsan quis nunc mirabitur, quod nos a te religiosum munus expectamus, sed erunt nimirum, qui ita mirentur, indocti naturae tuae et magnitudinis animi et religionis. Cur enim nos ad eum principem, qui semper pro religione sua pugnat, dubitabimus beneficium petere, quod ad nos pertinet ad amicitiam nostram; adde consvetudinem tuam gratificandi nobis, quae omnia faciunt, ut in maximo quodam desiderio nostro et Florentie gentis ad tuam operam confugiamus, ut quod iure, nisi nosmet fallimur, petimus, tuo munere consequamur.

Res est huiusmodi: Rediens ab Hyerusalem frater Georgius Draghiscich Ja(i)censis, homo Ungarus, religione divi Francisci clarus, secum afferebat brachium Joannis Baptistae sinistrum, ut ad nos perduceret ac dono daret, quod novisset ita rem etiam nobis gratissimam facturum, Ragusiam cum advenisset, incidit in egritudinem et venit in vite sue dubitationem. Quare brachium apud Nicolaum et Bartholum de Gozziis, raguseos cives, deposuit et quidem ea conditione, ut si mori eum contigisset, ipsi possessionem brachii liberam inirent, sin superviveret, morbo liberaretur, redderent illi depositum, ut, quod animo intenderat, posset perficere atque huc ad nos Joannis Baptistae brachium deferre.

Quod ita esse publicis etiam quibusdam scriptis ad id factis declaratur. Cum deinde convaluisset huc se contulit et cum rem omnem, ut sese habuerat, narravisset, tamen se donare civitatem florentinam eo munere velle asseruit, et adhibitis notariis publicis ea mandari scriptis voluit.

Nos ex ea donatione in ius eius brachii legitimum venimus, egimus vero nostram causam cum Raguseis eosque pro nostra amicitia sumus hortati, ut inducant tandem nos in eius brachii possessionem; sed sunt adhuc in abnuendo pertinaciores, putavimus tua auctoritate, que omnibus in rebus atque in universo orbe maxima est, facile illos commoveri posse. Te igitur maiorem in modum plurimum rogamus, invicte princeps, ut nomen atque auctoritatem tuam cum Raguseis interponas, ut nos s. Joannis

brachium nobis debitum recuperemus. Nos (sic) certe nihil est, quod maius a quoquam petere possimus beneficium; vivit nostra civitas sub numine potissimum Joannis Baptistae et certe is magnus propheta fuit; si effeceris opera tua, nos isto munere perpetuo atque eterno beneficio obligaveris tibi istam urbem, que tamen tot tantaque merita a te iam consecuta est, ut vix addi ad cumulum quidquam possit. Vale. Ex palatio nostro die x Maii 1491. Priores libertatis, vexiliferi justitiae, populi Florentini. Barth. Scala.

Extra: Gloriosissimo principi et excellentissimo domino domino Bayasit Octoman, Constautinopolis totius Asie et Grecie imperatori, domino beneficentissimo.

Videtur autographum. Adest sigillum parvum, locusque apparet maioris sigilli, quod desideratur.

Biblioth. fratrum minor. Ragusii. Cod. mss. nr. 204 (371) pag. 145.

MCLXXXVII. 1491, Zatha, in comitatu de Valko.

Petrus archiepiscopus colocensis regi Vladislao ad ipsius litteras, quibus ei significaverat „de casu et infortunio nonnullorum castrorum in regno Boznae et de periculoso statu castri Jajca, si non communi omnium concursu et succursu illi succurratur . . .“ rescribit.

Katona: Histor. crit. XVII, 275.

MCLXXXVIII. 1493, 31 Maii, prope Florentiam.

Decretum capituli generalis fratrum in controversia inter fratres Dalmatiae et Bosnen. circa quasdam possessiones.

Jesus Maria. Notum sit omnibus praesentes inspecturis, quomodo nos fr. Evangelista de Perusio, familiae cismontanae vicarius generalis immeritus, una cum venerandis patribus definitoribus capituli generalis, visa quadam contentione inter patres Dalmatiae et vicariae Bosnae, de quibusdam quatuor sortibus terrae sive obaglionibus positis in villa vocata Chraschievich et examinatis omnibus hinc inde, declaramus et statuimus: quomodo, ex quo Dalmatini fratres sunt in tenuta dictarum quatuor sortium terrae, ipsas gaudeant (sic) et teneant secundum modum, qui potest nobis fratribus minoribus competere, usquequo aliud non appareat de iure meliori ipsorum fratrum provinciae Bosnae, quibus apparentibus teneantur dicti fratres Dalmatini reddere terras cum fructibus.

Datum in loco nostro sancti Salvatoris iuxta Florentiam, ultima Maii MCCCCLXXXXIII. Fr. Evangelista, qui supra, manu propria.

Ex original. in tabular. provinciae s. Hieronymi Jadren. nr. 26.

MCLXXXIX. 1494, 19 Februarii, Ragusii.

Commune ragusinum regi Ladislao inter caetera refert: „Turcorum imperatorem ad bimestre Sophie constitutum iri ferunt; conceptum virus, expressis totis viribus suis in civitatem Albanander (Belgrad) ad Danubium, aut Jaizam, evomiturum aiunt“.

Gelcich: Diplomatarium p. 653.

MCXC. 1499, 23 Julii, Ragusii.

Gondula comiti Altaville: „Lo sanzacco di Bosna è tornato con preda di 3000 anime et bestiame assai. Lo subassi del loro sanzacco era andato in quello di Sibenico et Spalato; et non fece preda alcuna; brusao casali et frumenti assai . . .“

Makušev: Ист. споменици јужних Словена II, 109.

MCXCI. 1501, 18 Novembris, Budae.

Orator venetus refert: „Questo è vero, per aversi per bocha di questa maiestate, chel duce Zuan Corvin cum parte delle zenti del conte palatin è intrato nella Bossina . . .“

Makušev: Ист. споменици јужних Словена II, 61.

MCXCII. 1510, 8 Novembris, in civitate arbensi.

Antonius Briccius canonicus arbensis et pro controversia inter fratres minores Segniae et quemdam Hieronymum Frančić commissarius apostolicus delegatus, visis videndis declarat: guardianum dicti conventus per prefatum Hieronymum non potuisse ad iudicium vocari aut quoquomodo molestari.

In Christi nomine amen. Nos Antonius Bricius canonicus arbensis ac iudex et commissarius apostolicus in hac parte delegatus. Volentes decidere litem et controversiam . . . inter Jeronimum de Frantiis ex una et venerandos fratres ordinis minor. s. Francisci de observantia conventus s. Francisci extra muros Segnie ex altera, intuentes occasione quorumdam iniuriarum dicto s Jeronimo per prefatos fratres s. Francisci ac quosdam alios, ut dicitur, illatarum prout in rescripto. Visa itaque probatione rescripti nobis per prefatum Jeronimum facta, visa dein rescripti receptione et admissione per nos facta etc. . . visa compositione venerandi fr. Antonii de Hrastovica guardiani segnen . . . et eius nomine spectabilis il. doctoris d. Bartholomaei q . . . ac productione chirographi emanati a reverendo patre domino fratre Petro de Bosna, eiusdem ordinis vicario Bosne, signato vero et non viciato sigillo dicti ordinis s. Francisci . . . .

Nos Antonius Bricius per hanc nostram sententiam dicimus, declaramus ac definimus terminorum supradictorum, Jeronimum de Franciis non potuisse neque posse coram nobis ipsum guardianum et fratres ordinis ac monasterii s. Francisci a Signia molestare aut quoquomodo ad iudicia evocare seu aliter inquietare vigore antelati rescripti.

Acta, lata et promulgata fuit prefata sententia per antelatum reverendum dominum Antonium Bricium canonicum arben. ac commissarium apostolicum in hac parte delegatum pro tribunali sedentem in domo habitationis sue die VIII Novembris MDX indictione XIII.

Ex exemplo in tabular. convent. fratr. minor. trsaten. in Croatia.

MCXCIII. 1511, 23 Januarii, Romae.

Julius PP. II. innovat Sixti PP. IV. bullam „Romanus pontifex", die 12 Augusti an. 1473 Tibure in favorem vicariae Bosnae editam, iniungitque archiepiscopo colocensi, episcopo quinqueecclesiensi et praeposito časmensi, ne dictos fratres in suis iuribus per saeculares molestari permittant.

Julius episcopus servus servorum Dei. Venerabilibus fratribus archiepiscopo Colocensi, episcopo qninqueecclesiensi ac dilecto filio praeposito ecclesiae chasmensis. Hodie emanarunt a nobis litterae tenoris subsequentis: Julius episcopus servus servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Plantatus in militanti ecclesia ordo fratrum minorum et uberes fructus, quos ipsius ordinis professores sub religionis iugo ad regularium institutionum ordinis eiusdem observantiam viventes promerentur, quaeque pro locorum et temporis qualitate et necessitate provida moderatione per sedem apostolicam concessa sunt, firma et inconcusa permaneant pro illorum substantia, favore sedis eiusdem et auctoritate saepius innoventur et approbentur. Dudum siquidem a felicis recordationis Sixto papa IV praedecessore nostro emanarunt litterae tenoris subsequentis:

Sixtus episcopus servus servorum Dei. Dilectis Francisco de Ragusio vicario et universis fratribus ordinis minorum provinciae Bosnae secundum morem eiusdem ordinis salutem et apostol. benedictionem. Romanus pontifex et Christi vicarius . . . Datum Tibure anno incarnationis dominicae millesimo quadringentesimo septuagesimo tertio, pridie idus Augusti, pontificatus nostri anno secundo. (Vide nr. MCLI, pag. 280.)

Et deinde pro parte dilectorum filiorum moderni vicarii et provinciae praedictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut litteris Sixti praedecessoris huiusmodi pro illarum subsistentia firmiori robur nostrae approbationis adiicere ac alias in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur: nos igitur eosdem, modernum vicarium et fratres ac eorum singulos, a quibusvis excommunicationis etc. . . . absolutos fore censentes huiusmodi supplicationibus inclinati, litteras praedictas et in eis contenta ac inde sequuta quaecunque apostolica auctoritate tenore praesentium approbamus et innovamus ac praesentis scripti patrocinio communimus, illas inviolabiliter observari debere decernimus atque mandamus. Et nihilominus praemissa omnia et singula, prout eisdem vicario et fratribus per dictum Sixtum praedecessorem concessa sunt, auctoritative et tenore (praesentium) de novo concedimus et indulgemus, ac universis rectoribus, plebanis et aliis presbiteris saecularibus parochiarum partium illarum, ne Christifideles praefatos a confessionibus et charitativis eleemosinis eisdem fratribus faciendis quomodolibet directe vel indirecte retrahant, seu contrarium svadeant, etiam sub excommunicationis sententiae poena districtius, ut prefertur, inhibemus, decernentes irritum vel inane quidquid secus super his a quocunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac dicti ordinis iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate roboratis statutis et consuetudinibus, nec non omnibus illis, quae dictus Sixtus praedecessor praeinsertis litteris voluit non obstantibus ceterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo etc. Si quis autem attentare etc. Datum Romae apud s. Petrum anno incarnationis

dominicae millesimo quingentesimo undecimo, decimo kalendas Februarii, pontificatus nostri anno nono. Quo circa discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel duo, vel unus vestrum, per vos vel alium seu alios singulos etiam per scriptas litteras praedictas, ubi vel quando opus fuerit,ac quoties pro parte vicarii et fratrum praedictorum seu alicuius eorum fueritis desuper requisiti, et solemniter publicantes eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes faciatis eos concessione, indultu, inhibitione, approbatione, innovatione, communitione, decreti mandato et aliis praesidiis in eisdem litteris contentis pacifice gaudere, non permittentes eos desuper per quoscunque contra litterarum earum tenorem quomodolibet molestari seu perturbari, contradictores quoslibet et rebelles censuris ecclesiasticis et aliis iuris remediis, appelatione postposita, compescendi, invocato et ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis, non obstantibus omnibus supradictis; et si aliquibus communiter vel divisim ab apostolica sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indultu huiusmodi mentionem. Datum Romae apud s. Petrum anno incarnationis dominicae millesimo, quingentesimo undecimo, decimo kalend. Februarii, pontificatus nostri anno nono.

Ex exemplo in tabular. convent. fratr. minor. trsaten. in Croatia.

MCXCIV. 1511, 30 Januarii, Romae.

Julius PP. II, archidiacono, archipresbytero ac primicerio ecclesiae Modrusiensis praecipit, ut in causam inter fratres conventus Segniensis et Hieronymum Frančić vertentem inquirant et fratribus praedictis satisfactionem procurent.

Julius episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis archidiacono etc. archipresbitero ac primicerio ecclesie Modrusiensis salutem et apostolicam benedictionem. Sua nobis dilecti filii guardianus et fratres domus s. Francisci extra muros segnien. ordinis fratrum minorum de observantia nuncupatorum petitione monstrarunt, quod licet alias, postquam ipsi super quadam domo in civitate Segniensi consistente domui dictorum guardiani et fratrum per certam mulierem pie relicta coram certis iudicibus in partibus illis ordinaria seu etiam apostolica auctoritate deputatis, contra Jeronimum de Franci, laicum civitatis seu dioecesis Segniensis litigando, tres successive pro se et contra dictum Jeronimum eiusdem domus relicte adiudicatorias sententias reportaverant et illarum vigore professionem domus huiusmodi relicte assecuti fuerant, illamque per triennium vel circa possederant, dictus Jeronimus super domo huiusmodi quasdam apostolicas, nulla tamen in eis de sententiis huiusmodi mentione facta, ad certum iudicem in dioecesi Arbensi sub certa forma surrepticie litteras impetravit; et cum ultimus iudex litteris predictis, sibi forsan presentatis, earum pretextu in causa huiusmodi procedere recusasset, dictus Jeronimus falso pretendens, exinde inter alia indebite se gravari, ad sedem apostolicam, ut dicitur, appellavit, sed quia appellationem, legitimo cessante impedimento, prosequi non curavit, appellatio huiusmodi deserta

remansit. Quare pro parte dictorum guardiani et fratrum nobis humiliter supplicatum (fuit), ut sententias huiusmodi robur faceremus firmitatis debitum obtinere, aliasque eis super hiis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Quocirca cum, ut dicti guardianus et fratres asserunt, in dicta civitate et dioecesi Segnien. aliquis iudex competens, cui causa huiusmodi committi possit, non resideat, de presenti discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus, si vocatis dicto Jeronimo et aliis, qui fuerint evocandi, de tribus sententiis huiusmodi vobis legitime constiterit, sententias ipsas, sicuti rite prolate sunt, faciatis auctoritate nostra, appellatione remota, firmiter observari; ac expensas, in quibus dictus Jeronimus condemnatus fuit, si taxate non fuerint, provida moderatione previa taxare curetis, et si taxationem ipsam per nos fieri contigerit, faciatis eisdem guardiano et fratribus per censuram ecclesiasticam, appellatione cessante, de expensis ipsis debitam satisfactionem impendi. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse, duo aut unus vestrum ea nihilominus exequatur. Datum Romae apud s. Petrum anno incarnationis dominice millesimo quingentesimo undecimo, tertio kalendas Februarii, pontificatus nostri anno nono.

(Plumbeum sigillum ex cordula canabina dependens).

Ex original. in tabular. conventus fratr. minor. trsaten. in Croatia.

MCXCV. 1514, 29 Junii, Assisii.

Vicaria Bosnae dividitur in provinciam Bosnae (Croatiae) et Bosnae Argentinae.

Notum sit universis, qualiter ego fr. Christophorus de Forlivio, vicarius generalis qu(a)d fratres observantiae cismontanos, una cum definitoribus et patribus: venerando Bernardino de Senis, Francisco Licheto de Brixia, Jacobo de Porcavia, in capitulo generali in S. Maria de Angelis apud Assisium anno domini 1514 die 29 Junii conclusimus: patres (erigendae) provinciae Bosnae retinere sigillum et titulum Bosnae, eo quod omnia loca, excepto uno, in Croatia habent. Et patres Bosnae (Turcis subiectae) possent eligere vicarium provinciae, et quod deinceps dicatur provincia distincta, et habeat sigillum distinctum a provincia Bosnae; similiter et titulum, qui sit titulus videlicet: provinciae argentinae Bosnae, titulus cum hac conditione, quod si casus evenerit, quod sui domini revertantur, de facto sit una provincia, et provincia Argentinae Bosnae colligatur sub provincia Bosnae. Ego fr. Christophorus, qui supra, manu propria, subscriptione et sigillo minoris vicariatus impressione omnium supradictorum indubiam fidem facio.

P. *Franc. Glavinić:* L' origine della provincia di Bosna Croazia mss. quod servatur in tabulario conventus trsatensis fratr. minor. — Adest exemplum et apud clariss. virum Radoslavum Lopašić.

MCXCVI. 1514, 4 Octobris, in claustro Bribirensi.

Nicolaus comes Zrinii ceterique nobiles de genere Šubić declarant: se fuisse et in futurum quoque velle permanere patronos, procuratores et conservatores omnium monasteriorum, quae antenati eorum aedificarunt fratribus vicariae Bosnae.

Nos Nicolaus comes Zrinii, Georgius Kriwchich, Cristoforus Kriwchich, Stephanus Vgrinouych, Petrus Obradich, Georgius Ztoysich ceterique nobiles de genere Subiich. Memorie commendamus tenore presentium significantes, quibus expedit universis: Qualiter ab eo tempore, quo predecessores nostri et nos in tenutis et possessionibus nostris monasteria fecissemus edificari, fuimus et extitimus semper procuratores et conservatores fratrum in eisdem monasteriis nostris degentium et domino famulantium. Et posteaquam fratres dictos de observantia vicarie Bosne ad ipsa monasteria per nos, ut prefertur, constructa et edificata, introduximus et intromisavimus, nunquam ipsi fratres de quibusvis proventibus per nos (et) per predecessores nostros ipsis monasteriis donatis et administratis deputatos se intromittebant; verum solum ea, que per nos seu nostros substitutos per modum elemosine eisdem fratribus offerebantur et administrabantur, humiliter (percipiebant et percepisse) noscuntur usque in hodiernum diem. Quare per presentes fatemur et recognoscimus, nos et quemlibet nostrum dictorum nostrorumque monasteriorum in praefatis possessionibus et tenutis nostris edificatorum ac bonorum eisdem monasteriis pie donatorum veros legitimos et immediatos patronos, procuratores et conservatores existere, paratos quoque fore omnibus et singulis cuiusvis status et conditionis hominibus praefatis monasteriis ac fratribus in eisdem degentibus gravamina quicunque inferentes seu inferre volentibus respondere et bona, eisdem monasteriis per nos et predecessoros nostros donata et quomodolibet attributa, tanquam nostra propria manutenere, tueri, protegere et defensare. In quorum fidem et testimonium has presentes litteras nostras nostris sigillis consignatas duximus exarare. Datum in claustro nostro Breberii in die s. Francisci anno dominii 1514.

(Quatuor sigilla parva cerae impressa.)

Ex originali in tabular. convent. fratrum minor. Trsaten. in Croatia.

MCXCVII. 1515, 1 Octobris, Romae.

Leo PP. X. omnia privilegia, indulta etc. olim concessa vicariae Bosnen. extendit etiam ad provinciam Bosnae Croatiae, quae ex conventibus olim vicariae Bosnen. nunc coaluit.

Leo episcopus servus servorum Dei. Dilecto filio vicario provinciae Bosnae et Croatiae vicariae nuncupatae, ordinis fratrum minorum de observantia nuncupatorum, secundum morem eiusdem ordinis salutem et benedictionem. Cum a nobis petitur, quod iustum est et honestum, tam vigor aequitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur affectum. Eapropter, dilecte in Christo fili, tuis iustis postulationibus grato concurrentes assensu, omnes libertates et immunitates a felicis recordationis Nicolao IV.

et Nicolao V., Urbano etiam V., Urbano VI., Martino V., Joanne XXII., Eugenio IV. et aliis praedecessoribus nostris romanis pontificibus sive per privilegia, indulgentias vel alia indulta ordini fratrum minorum de observantia nuncupatorum quoad domos et fratres eiusdem ordinis in provincia Bosnae et Croatiae vicaria nuncupata, tibi commissa et concessa degentes, nec non libertates, exemtiones secularium exactionum, a regibus et principibus ac aliis Christifidelibus dicto ordini, quoad in eadem provincia, vicaria nuncupata, domos et fratres rationabiliter indultas, sicuti ea omnia iuste et pacifice possides, tibi et per te dicto ordini quoad domos et fratres provinciae huiusmodi vicariae nuncupatae auctoritate apostolica confirmamus et praesentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo etc. Si quis autem etc. Datum Romae apud s. Petrum anno incarnationis dominicae millesimo quingentesimo quinto decimo, kalendis Octobris, pontificatus nostri anno tertio. Joannes de Radicibus.

Ex exemplo tabular. convent. fratr. minor. Tersaten. in Croatia.

MCXCVIII. 1518, 11 Julii, Budae.

Ludovicus II. rex Hungariae pontificem rogat, ut „Benedictum lectorem et canonicum ecclesiae Bachiensis“ episcopo Bosnensi in „episcopum suffraganeum“ et coadiutorem daret.

Ex originali. *Theiner*: Monum. Slavor. meridional. tom. I, p. 568.

MCXCIX. 1526, 8 Aprilis, Romae.

Clemens PP. VII. concedit gratiam iubilaei fidelibus „oppidi Clisse“ . . . precipueque in Poglize et Bossine „provinciis“ commorantibus.

Pastoris eterni . . . Dat. Romae VIII Aprilis MDXXVI . . an. III.

Ex originali. *Theiner*: Monum. Slavor. meridional. tom. I, p. 592.

MCC. 1533, 10 Martii, Bononiae.

Clemens PP. VII. „Bernardo Gentili electo Boznensi“ indulget, ut munus consecrationis a quocunque catholico episcopo recipere valeat.

Cum nos . . . Dat. Bononiae . . . X. Martii MDXXXIII. an. X.

Reg. an. X. Brev. tom. 53, p. 472. *Theiner*: Monum. Slavor. meridional. tom. I, p. 620.

MCCI. 1544, 30 Maii, Romae.

Clemens PP. VII. confirmat concessum fratribus Bosnensibus privilegium suscipiendi ordines sacros unica die solemni.

Dudum felicis . . . Dat. Romae MDXLIV die XXX Maii, an. X.

Annal. minor. tom. XVIII, p. 381.

MCCII. 1544, 4 Junii, Romae.

Clemens PP. VII. fratrem Blasium Fabritium (Kovačić) de Cressevo praeficit in pastorem et episcopum ecclesiae Samandriensis.

Apostolatus . . . Dat. Romae . . . MDXLIV pridie nonas Junii.

Aonal. minor. tom. XVIII, p. 382.

MCCIII. 1551, 27 Aprilis, Romae.

Julius PP. II. fr. Thomam „Scoroevo" praeficit ecclesiae Samandriensi, „cui bonae memoriae Blasius Fabriaris (Kovačić) Cressevus episcopus Samadrien. dum viveret, praesidebat".

Apostolatus . . Dat. Romae apud s. Petrum MDLI, XXVII Aprilis . . an. II.

Annal. minor. tom. XVIII, p. 500.

MCCIV. 1551, 11 Decembris, Romae.

Julius PP. II. fr. Danielem Rocensem ord. minor. praeficit ecclesiae Duvnensi.

Apostolatus . . . Dat. Romae MDLI, XI Decembris.

Annal. minor. tom. XVIII, p. 510.

MCCV. 1565, VII kal. Novembris, Romae.

Pius PP. V. fr. Nicolaum Ugrinović ord. minor. provinciae Bosnae Argentinae praeficit ecclesiae „Samandriensi . . . . . cui bonae memoriae Thomas . . . dum viveret, praesidebat.

Apostolatus officium . . . Dat. Romae . . . VII kal. Novembris, an. VI.

Annal. minor. tom. XX, p. 421.

MCCVI. 1566, 18 Junii, Sučava.

Alexander, Moldaviae vojevoda, Ragusinos orat, ut pronepotibus et proneptibus ducis Stephani, nimirum fratribus Georgio, Paulo et Stephano, item sororibus Catharinae et Mariae, solitam eleemosynam per legatum eorum Lazarum Šebišanin mittant.

Dr. *Fr. Miklošić*: Monum. serbic. p. 556.

MCCVII. 1571, 25 Januarii, Romae.

Pius PP. V. fratrem Bonifacium Drakolica episcopum Stonensem in provinciam Bosnae Argentinae fratrum minorum ire. et ea, quae ibi reformatione indigere cognoverit, corrigere et reformare, controversias tollere, capitulum celebrare etc. iubet.

Cum sicut . . . Dat. Romae . . . XXV Januarii an. VI.

Annal. minor. tom. XX, p. 516.

MCCVIII. 1573, 27 Martii, Romae.

Gregorius PP. XIII. laudat diligentiam fr. Bonifacii Stephani circa correctionem fratrum minorum adhibitam, et commendat sedulitatem in reducendis populis circa Savum et Danubium locatam.

Multum rever(ende) domine tanquam frater. Gratum valde et iucundum fuit summo pontifici ex litteris d(ominationis) tuae die ultima novembris datis ea cognoscere, quae mandato sanctae me. Pii papae quinti super reformatione et correctione fratrum egisse te scribis, piumque laborem et diligentiam tuam summopere commendavit. Quod vero ad eos populos, ipsorumque errores attinet, qui ultra fluvios Danubium et Savam habitant, intellexit s. s(ancti)tas ex illustrissimo cardinali Cribello ea, quae ad eum scripsisti. Sed cum ii populi Turcarum tyrannidi subiecti sint, hoc tempore illorum infirmitati (nil) adhiberi posse constat, nisi id, quod tu fe-

cisti, in quo ut diligenter perseveres et quantum potes ex eorum animis errorum tenebras expellere, illosque ad lucem veritatis reducere coneris, eiusdem sanctitatis nomine te vehementer hortor. Haec sunt quae s. sanctitas tuis litteris rescribenda mandavit. Quod reliquum est dominatio tua bene valere opto atque ei me ex animo commendo. Romae die XXVII Martii MDLXXIII.

Tabular. secret. vatican. Gregorii XIII. et Sixti V. Brevia epist. XXXXIV., p. 474.

MCCIX. 1573, 14 Augusti, Ragusii.

Fr. Bonifacius Stephanus Stivanić, episcopus Stonensis, catholicos Bulgariae Gregorio PP. XIII. commendat, rogatque fratrem Bernardum de Ragusio, ord. s. Dominici, ipsis in episcopum dari.

Beatissimo patri et domino domino nostro Gregorio XIII Bonifacius Stephanus Stagni episcopus et olim terrae s. gubernator. Dum his elapsis annis Traciae regionem pertransirem et Sardicam civitatem nunc Sophia dictam, pervenirem, ille catholicus et copiosissimus populus, supplex ad me venit in templo et humillime postulabat pastorem animarum suarum, ne eo privatus ab eo, qui eum gratia adoptavit filium et haeredem regni constituit, discederet vel propter infidelium immanitatem vel haereticorum falsam persuasionem, quae omnia plena charitate felicis recordationis papae Pio V suae sanctitatis praedecessori manifestavi; qui mihi iniunxit, ut nomina idoneorum fratrum harum regionum et idiomatis ad munus episcopale ad suam beatitudinem transmitterem; quibus libenter parui, inter quos nominavi vita probum, exemplo religiosum, doctrina clarum praedicatorem catholicum et eximium patrem fratrem Bernardum de Ragusio, ordinis praedicatorum, aetate annorum quinque et triginta, legitime honestisque parentibus natum. Rogo ergo sanctitatem tuam, ut hunc tam pium religiosum catholicum et doctum patrem illi catholico et copiosissimo populo pastorem et episcopum preficiat, qui eum confirmabit, consolidabit in fide catholica ad laudem Dei et augmentum regni Christi et tui. Vale diu felix, pater sancte, et Bonifacii, cultoris tui, memor sis. Datum Ragusii sub die XIII Augusti, anno Christi MDLXXIII.

Tabular. vatican. Vescovi vol. 2 fol. 3.

MCCX. 1573, 26 Augusti, Romae.

Consultatio in consistorio secreto super episcopatu bosnensi.

Die 26 Augusti, feria 4. 1573 fuit consistorium secretum . . (in quo) . . . Deinde cardinalis Moronus proposuit ecclesiam Bosnae Argentinae provinciae et omnes probarunt, exceptis cardinali M. Alciano, qui dixit rem esse novam creari episcopum provinciae et non certae civitatis et ecclesiae et plura ad haec; et sanctissimus dominus noster (s. Pius V.) dixit: fuisse civitatem Bosnam in illa provincia et ecclesiam, ut in provinciali romano, sed nunc esse destructam et ideo posse ita apellari; et ita Moronus; et alii dixerunt: non referre, quia alias fuit ecclesia. Cardinalis s. Severinae cum tunc audivisset in privato colloquio quod a cardinali de Montalto (postea Sixtus V), quod alias sibi dicebatur Venetiis,

se audivisse, quendam episcopum Bosnensem pueros christianos Turcis venditasse, ita dixit: consultius agetur, beatissime pater, si hoc necessitas sacramentorum per episcopum praestandorum urget, providere illis populis de viciniori aliquo episcopo, qui ea agere et exercere valeat; nec constituamus episcopum, ut proponitur, sine redditibus, sine certa ecclesia, sine certa civitate, sine propria sede, qui et mendicare cogetur, vel suum ministerium venale habere, aut gravia alia admittere, prout circumlatum alias esse audivi de quodam episcopo Bosnensi .... Cardinalis de Montalto, qui dixit, ne incerta sede vagetur, videri sibi, ut unum ex illis quindecim monasteriis erigatur in cathedralem, ubi posset residere. Dixerunt autem aliqui, quod Turcae non patientur, sed tantum illos fratres, qui pauperes sunt et medicant, in partibus illis commorari. Unde sanctitas sua expedivit cum potestate etiam ministrandi sacramenta et pontificalia non solum in provincia Bosnae, sed etiam in omnibus locis infidelium in illis partibus existentibus, in quibus proprii episcopi non habentur et gratis[1].

Biblioth. Barberini cod. mss. XXXVI, 20, fol. 48.

MCCXI. 1575, 9 Maii, Romae.

Fr. Daniel, episcopus Dulmensis, transfertur ad ecclesiam Muranam in regno Neapolitano.

Die IX. Maii feria 2. 1575. Fuit consistorium secretum in quo .... Tum cardinalis Ursinus proposuit translationem Julii Ricci, episcopi Murani ad ecclesiam Gravinen. iam vacantem et fuit expedita. Sanctissimus dominus noster proposuit translationem fr. Danielis Minoritae Dalmatae episcopi appellati Dalmatien. ad ecclesiam Muranam, sic per translationem illius episcopi ad Gravinen. vacantem, de quo est informatus, quod a tempore Julii III. missus Neapolim in libertatem asseruit multos captivos Dalmatas seu Sclavonos Morlaccos christianos usque ad 500, et quod a Turcis est multa mala passus, et ab ecclesia pulsus, et quod accessit ad Philippum regem, per cuius nominationem obtinuit monasterium quoddam in regno Neapolitano, omnes annuerunt, sed et cardinalis Sirletus et de Monte Alto gratias egerunt. Cardinalis autem s. Severinae, qui noverat eum, dixit animadvertendum esse, quod ecclesia, cui praeerat, et a qua diutius abfuit, habebat populos christianos et curam ac latam dioecesim usque in Bosnam et Serviam, ut ab eo audivit etc. et fuit expedita.

Cod. mss. biblioth. principum Barberini Romae, XXXVI, 5 fol. 193.

MCCXII. 1576, 7 Januarii, Romae.

Gregorius PP. XIII per cardinalem Ptolomeum Novocomensem fecit scribi ministro et ceteris Bosnae fratribus, ne moleste ferant, quod minister generalis ordinis visitatorem miserit, id enim exigit officium eius.

Reverendis in Christo Simoni a Ponte ministro et aliis fratribus ordinis minorum de observantia in loco s. Catharinae Cressevi degentibus

[1] »1573. 26. Aug. providit ecclesiae Bosnae argentinae ... de persona religiosi viri fratris Antonii Poli de Matthaeis ord. s. Franc.« apud Pray-um Specim. hierarch. Hungar. P. II, p. 422.

provinciae Bosnae Argentinae. Reverendi in Christo patres. Quod sanctissimo D. N. litteris vestris duodecimo calen. Novembris datis significastis de pace et concordia, quae hoc tempore inter vos servatur, controversiisque compositis et scandalis sublatis a visitatore olim episcopo stagnensi, id sanctitas eius libenter admodum intellexit, et cupit esse ita ut scribitis. Sed tamen nullam causam videt, cur adeo moleste feratis, a superiore vestro missum esse ad vos novum visitatorem. Nam cumprimis generalis vester creatur, ex officii sui debito tenetur, vel praesens ipse loca omnia sui ordinis perlustrare, vel alios, qui vice sua fungantur, mittere. Et ideo si ad vos visitatorem misit, recte atque ordine fecit, nec ad id cuiusquam detractionibus contra vos sanctitas sua, ut quam caeteri ordinis vestri obedientiam prompto animo praestant, vos quoque ei exhibeatis, visitatore benigne recepto. Qui si res vestras eo, quo scribitis, loco esse inveniet, magna vestra cum laude, et non minore ipsius laetitia istinc discedet; si vero quidquam, ut est vitium humanae naturae, correctione dignum repererit, aequum erit, vos alacri et libenti animo salubribus ipsius monitis et consiliis parere, ut famulatus vester Deo, et hominibus gratior et probatior sit, gravisque iugi liberatione facilius vobis impetret. Valete in domino. Romae die VII Januarii 1576.

Tabular. vatican. secret. Gregorii XIII et Sixti V Brevia vol. 28.

MCCXIII. 1580, 15 Decembris, curia Bani (Sutjeska).

Fr. Bonifacius Stephani a Ragusio, episcopus Stonensis et visitator apostolicus, significat summo pontifici Bosnam et Hercegovinam iam visitatas esse, commendat episcopum Semendriensem.

Beatissimo padre co' ogni termin' di humilta prostrato in terra domando la sua santa benediczion. Trovandom' per ordin' et mandato di vostra beatitudine in quest regni et provincie visitator' et delegato suo, usque in hanc diem non fuit satan neque malus occursus, ma sono le cose Iddio in gratia sua ha prosperato; di gia ho visitato il regno di Bosna et duquato di Santo Sabba detto Hercegovina, del che l' apportator della presente, reverendissimo vescovo di Samandria, li dara pieno raguaglio. Iddio signor nostro in sun' le altre cose secondera gli pii santi e catholici desiderii vostri. Et dico in verbo et verita, che se queste parti non agiutate, in tutto sera obliterato il nome santo et la salvifica croce; et prosiquo meggio sera alevar delli giovani di questi regni et provincie nelli collegii et rimandarli in qua in ministerio evangelico; l' sudetto reverendissimo di Samandria di questo potra esser ottimo mediator, quia vir potens est in sermone et opere, (e) sera, quando sua beatitudine li concedera (che) sia amministrator di un certo vescovato di Scardona, il quale da molti anni non ha vescovo, cosi sera sublevato ne la poverta sua et molti beni seguitar potranno nella chiesa di Dio. Samandria e citta nobile, ma possessa dalli imperiali, in essa non vi sono altro che sette case delli catholici, ne in essa puo viver un vescovo; con qualche agiuto, che li sera dato, et la sudetta Scardona, potra tradur miseramente la sua vita. Questo reverendissimo al tempo di guerra moltissime città isole, provincie et communità ha persvaso, che non siano depredate co' ogni danno de christiani; merita che sia abbraciato e favo-

rito com' meritera del dritto et del onore che facio, et a vostra beatitudine chino et prostrato in terra chiedendo la sua santa benediction. Da curia Bani il di 15 Dicembre 158(0). Di V. B. Humile servo Bonifacio Stephano vescovo di Stagno et visitator in queste parti di vostra beatitudine.

Tabular. vatican. secret. mss. Lettere di Vescovi e prelati vol. 10 fol. 27.

MCCXIV. 1581, 2 Maii, Sarajevi.

Mercatores catholici Sarajevenses intimas agunt gratias Gregorio PP. XIII, quod eos per fr. Bonifacium a Ragusio visitando in fide confortaverit et in spiritu consolatus fuerit, orantque insuper ut Alexandrum Komulović sibi procuratorem det, pro negotiis ecclesiasticis Romae tractandis.

Присвети и свиетли ѡчче, векарѕ Исѕкрста сина бѡжи(е)га) и Петра апоштола гниегова наслиедниче, наш (гѡсподине) поздравиение и пѡнижено ногѕ глиѕбление. Сада ѡстасмо ѕ дѕшах нашиех и ѕ виери пѡкриеплени, веле кѡнтеньти ѕ сл(ѕ)жбах и ѕ риечи бѡжиех, кѡием насъ пѡкриепи пѡчтѡвани гѡспѡдинь бискѕпь стѡнски, бѕдѣи пѡслань за пѡхѡдителиа светигние твѡие, кѡи се међѕ нами ѕкава (sic), и пѡнесе какѡнѡ дрѕги анђеѡ бѡжи, за кѡиѕ стварь хвалѕ ѕздавамо гѡспѡдинѕ бѡгѕ нашемѕ и захвалѕиемѡ смиернѡ и пѡнизнѡ светигни твѡиѡи, кѡиа се ие спѡменѕла пѡхѡдити насъ и ѕтиешити насъ ѕ дѕшах нашиех. и мѡлимѡ светигниѕ твѡиѕ, да насъ незабѡравлате честѡкрат насъ тиешити и пѡхѡдити, пастир (sic) свете царкве бѡжие и дѕша нашиех. Недрѕгѡ прѡстарвши се пред светигнѡмь твѡиѡмь глиѕбимѡ блажене нѡге твѡие сви ми карстиани бѡсаньски и таргѡвци сараиевски, и питамѡ благѡсѡва и прѡштениа ѡд светигние твѡие, мѡлеђи да намь дѡпѕстишь за наше пѡтребе царкѡвне и дѕхѡвне за прѡкоратѕра гѡспѡдина Александра Кѵмѕлѡвића Далматина, кѡи стѡи ѕ кѡлеђиѕ ђерманикѕ; ере ћемо гниемѕ честѡкрать писават, да ѡнь бѕде за наше пѡтребе ѡправлати при светигни твѡиѡиь. и за веће виерѡвание писма ѡвѡга пѡдпи(с)ѕиемѡ се ѡд здала нашиема рѕками и мѡлеђи гѡспѡдина бѡга, да вась ѕздаржи ѕ мнѡгѕ живѡтѕ и ѕ здравиѕ пристѡлиа светѡга. писана ѕ Сараиевѕ на 24 Мачча (sic) 1581 нашега спасителa.

Слѕге и синѡви светине (sic) твѡие:

Ego Antonius de Matheis indignus episcopus Bosnae Argentine devotissimus servus. Io Baldasau Ciganti mercante in Sarglio di Bosna. Io Giovanni di Busni da V(enezi)a mercante di Bossina. Io Jac(omo) de Natal mercante in Sarajevo et Bosna. Иа Шимѕнь Матѡвићь трьговаць ѡд Сараева ѡд Босне. Иа Гашпарь Нурсвићь (sic) трьговаць ѡд Сараиева ѡд Босне. Иа Петар Накобовићь трговаць Сараиева Босне. Иа Матиа Марковићь трговаць од Босне Сараева. Иа Марко Ђѕрђевић трговац од Сараева. Io Nicolo di Piero mercante in Saraievo di Bosna. Иа Милошь Марковићь тарговац од Сараева. Io Piero di Marco mercante in Saraio di Bosina. Io Nico di Iaco mercante di Bosna. Иа Марьтинь Ђѕрьђевићь тарговаць Босне. Иа Никола

(C)тѣдовићь трговаць од Босне Сарајева. Fr. Antonius Matheus episcopus Bosnie.

„Adest et versio latina interprete d. Simeone canonico Jadrensi".

Tabular. vatican. secret. Armar. VII. capsa VII, nr. 9.

MCCXV. 1581, 11 Junii[1], in loco Olovo in Bosna.

Fr. Antonius Matković episcopus Bosnen., fr. Gregorius Masnović, minister provinciae cum patribus definitoribus ceterisque fratribus religiosis et christianis habitantibus in regno Bosnae, Hercegovina, in parte Croatiae, in Serbia et in partibus Danubio adiacentibus, pro misso visitatore summo pontifici Gregorio XIII gratos animi sensus remonstrant, seque sanctae sedi devotissimos praebent; veniam impetrant ab eodem summo pontifice, ut Alexandrum Komulović apud se ipsorum procuratorem confirmet.

Присвиетли и свети ѡче и господине и главо ѡдь свие цркава, поклоѣнение теби како намиестникѕ Исѯкарьстовѕ и светога Петра апоштола и пастирѕ свиехь дѧша нашиехь; понижено и приклоно ѡдь нась синова правоверпиехь карстиана старе виере римьске правехь бискѯпь босаньскихь и министарь теѣерь провиньције с осталиеми ѡтьци дифинитормихь, и са свиеми фратри и карьстиани прибиваиѯѣими ѕ кралевьствѕ босаньскомѕ и ѕ Ерьцеговини и ѕ диелѕ ѡдь Хрвата и сарбьске земьхле и Подѯнавиа. а потомѕ хвалѕ ѯьдаиемо господинѕ богѕ нашемѕ и смиерьно захвалѯиѯѣи ѯьмножитои светиѣни твои (sic), коиа се достоиала послати намь овога пощованога походиоца и легата господина Бонифациа бискѯпахь стоньскога ѕ дрѯжиномь, кои нась ие смиернохь и ѯтиешио ѕ ствари дѯховьне, кои се подьнио меѣѕ нами како дрѯги аньѣео божи приповиедаиѯѣи и покриепьлѯѣи риечиѕ божиомь све правовиерьне ѯгарь речениехь, за коиѕ стварь вѣче смо дарьжани ѕ напиедакь молити господина бога за пријесто светиѣне твоие. Да иѕ бѯдехь достоиатисе продѯжити господин богь ѕ дѯгѕ животѕ и ѕ владанијѕ миера светиехь царькава исѯкрьстовиехь и твоиехь, и коие ниесѕ подь крижомь светиемь твоиемь; да бѯдѯѣи позьнавьши исьтинѕ и свиетьлосгь небеськѕ (sic) Исѯса сина божиега, свиетьлость ѡдь свиетлости, богь ѡдь бога истинога, и молеѣи светихѕ твоиѕ понизьно, да нась незаборавьла(шь), него благосивьлашь и ѯтешениемь дѯховьниемь тиешишь, како старе и послѯшьнике синове светиѣне твоие и царквехь католичаньске и апощоске (sic). Иошь молимо понизьно и ѯмилено светиѣнѕ твоиѕ, како смо молили и походиоца нашега господина Бонифациа бискѯпа, кои намь ие допѯстио Алекьсаньдра Кѯмѯловиѣа Дальматина, кои стои ѕ колеѣиѕ ѣерьманикѕ, за нашега прокаратѯра, да намь га благосовишь и потвардишь, нека наше ствари провиђа и опра(в)ла при светиѣни твоиои. А сада свиколици простарьшисе на земьлѯ кланамо се пристолиѕ светога Петра, и ноге глѯбимо светиѣне твоие, како намиесьника Исѯкрьста сина божиега. Амен.

---

[1] Datum est notatum secundum Theiner Annal. ecclesiast. tom. 3 pag. 272.

8 манастиер8 црькве свете го(с)поие, 8 миесьт8 Олову писана годища ч҃. ф҃. п҃. а҃.

Ми виерьни и понизьни послѹшьни синови и слѹге светиѣне твоие данне ѡдь све провиньцие подьписѹиемо се: Ego Antonius episcopus Bosne Argentine confirmo supra scripta. Ego fra Gregorius Masnovich minister provincie Bosno-Argentine confirmo ut supra. Иа фра Ивань Крижѡниѣь ѡтац и ѡд прѡвиенцие пѡтврѣѹиемь писмѡ гѡрне. Иа ѡтац Никѡла Пѡпѡвманин ѡтаць ѡд прѡвиенцие пѡтварѣѹием горне писмо. Et ego Barth. Sfondratus Societatis Jesu praesens fui etc. confirmo ut supra.

(Sigillum minus episcopi) (Sigillum maius provinciae.)

Иа фра Гашпарь Кнезовиѣь дрѹг ѡца министра по заповиеди ѡца министра и све провинцие ѹписа и сиѣила сиѣиломь ѡдь провиньциехь.

Tabular. vatican. secret. armar. VII. capsa VII. nr. 8.

MCCXVI. 1581, 18 Augusti, Quinqueecclesiis.

Michael parochus quinqueecclesiensis civitatis et duo vicini describunt tristem statum ecclesiae in dicta civitate et dioecesi Quinqueecclesiensis. Gratias agunt summo pontifici, quod eos per fr. Bonifacium legatum visitando consolatus erat, rogantque ut et deinceps per episcopum bosnensem se spiritualiter visitari et in fide confortari procuret; addunt insuper, ut dicto parocho quinqueecclesiensi conferat ordinem episcopalem, quo ipse alios ad sacros ordines promovere posset.

Verum Turca, skelegia dictus, morari (non) fecit equites et equos cum sarcinis, sed acceptis munusculis omnes dimisit liberos; quare hora diei 22. die septima ulterius progressi sunt ad planitiem adiacentem sylvae, a cuius arboribus contra aquilonares auras frigidiores protecti consederunt, congregataque magna congerie et aridorum et viridium lignorum excitarunt maximum ignem. Ab . . . parte caenula peracta omnes equites substratis ramis viridibus suppositisque sibi quisque stragulis atque pro cervicali ephippio capiti supposito, longius ab igne, pedibus tamen in ipsum ignem obiectis, ut possent non nihil calefieri, non aduri, convenienter vestimentis aliis cooperti, singuli procubuerunt; ex altera vero parte rogi accensi, quo ventus lenior vapores calidos deferebat, erant equi omnes calefaciendi apposita singulis sua foeni parte ad comedendum et ad cubandum aliquantulum distantius ab igne, ne foenum calorem conciperet ignemque. Ergo ita rebus undequaque dispositis custodibusque vigilantibus et inambulantibus per circuitum, ne quid detrimenti paterentur dormientes. ceteri omnes dormitaverunt dormieruntque pacifice septima nocte itinerationis usque ad auroram, qua excitati omnes sumpta aquavita, propter frigidiores auras, epiphiatis frenatisque equis regio itinere equitarunt usque ad meridiem diei octavi. Tunc vero una hora quieverunt, sumptoque cibo atque equis pabulo hordeoque confirmatis progressi sunt ad montem dictum Korrin (Korjen), qui disterminat ducatum magnum Herzegovinae a regno Bosnensi dicto. Vere enim Dalmaticum regnum erat ab

ipso Noe Dalmatae suo abnepoti consignatum in divisione orbis terrarum, postquam omnipotens Deus divisit unam linguam in aedificatione Babilonicae turris in linguas septuaginta duas, de quo alias dicendum erit, favente Deo Optimo Maximo, nunc satis est dicere, hoc enim modo ab ipso Noe Dalmatici regni terminos ex parte orientali fecisse a Boyane lacu, uti imminet in altiori colle urbs Scuttaris, quasi nidus aquilae, unde ducta linea recta ad Istrum seu Danubium dividitur ab Illyrico regno, ex parte vero occidentali habet Jaderam cum insulis adiacentibus quamplurimis maioribus et minoribus in mari Adriatico, a quo ducta linea recta ad Istrum versus polum arcticum discriminabatur a regno Liburniae. Atque hoc fuit regnum Dalmaticum Dalmatae suisque Dalmatis a Noe abavo circumscriptum, quod saepius a barbaris fuit gentibus dilaceratum, atque a quatuor fere annorum millibus conculcatum usque ad dies hodiernos.

Ingressi ergo domini mercatores Ragusini in dicti regni Bosniae partem orientalem quatuor dierum itinere in ipso equitarunt, quod vocatur Bosna Argentina ob fodinas argenti.

Primo igitur die conscenso monte Korrino prope limpidissimum fontem aliquantulum dato potu equis, ipsi quoque omnes de fonte biberunt, sumptoque ex vini pleno cyatho pane madefacto refecti aliquantulum descenderunt de monte ad pontem Proeciae (Prača), fluvii parvi, quo pertransito hora meridiana pervenerunt ad celebre (čelebi) Pazarum, ubi equis dato pabulo, ipsi quoque frigidulo cibo servato pridie, vesperi confortati sunt, et propterea equitatione ante vesperam ad Carvasariam, die secundo Pocepyem (Podžeplje) dictam perstiterunt illa nocte, misereque ut fere semper dormitaverunt. Crastino die 3 mane illucescente in Coldermae petrosae collem gelu concretum ascenderunt, de vertice vero lubrico vix incolumes evaserunt in viam lapidosam silvamque desertam. Circa meridiem una hora quieti concessa, ciboque frigido accepto properarunt ad monasterium fratrum s. Francisci, quod situm est ad radicem collis, in quo arx Argentina ab argenti fodinis ibidem antiquitus effossis. Praeterfluit propius fluvius Jadro nominatus, cui adiacet Carvasaria, in qua nocte illa, more solito, depositis sarcinis, equisque compositis quieverunt post caenationem.

Die autem quarto mane ad ecclesiam religiosorum profecti P. Cassius sacrosanctum sacrificium Deo O. M. cum gratiarum actione pro accepta usque ad illum diem servataque incolumitate totius comitatus. Atque statim leviori esca potuque corroborati omnes conscensis equis plana meliorique via iterum ad Drinae fluvium, inibi latiore Tyberi Romano, pervenerunt. Igitur in amplum latumque lintrem impositis equis onustis simulque omnibus equitibus exceptis, ex altiore parte ripae transversissimo per fluvium ad alteram ripam multo inferius adnatarunt uno tantum remigante, altero dirigente, non clavo sed alio remo in puppi contra impetum aquarum defluentium fortiter obnitente non recta linea in aliam ripam sed multo inferius evaserunt.

Relicto regno Bosnensi in Sangiakatum Smederovensem eodem die abierunt in villam Boborram, ubi illa nocte in tugurio domierunt quicunque. Unde die crastino abeuntes inciderunt in parvum fluvium per

quem duodeties equites ad equorum genua toties transvaderunt in locis diversis quinque aut sex milliaribus distantibus. Tandem ante vesperam ingressi sunt in Carvasariam, sitam iuxta Vaglievum, terram seu villam populosam. Emptis de more rebus necessariis omnibus, illa nocte ibidem manserunt.

Mane conscensis equis iter per planitiem ad transvadandam vice decima tertia Colubarram aliquanto profundiorem, atque multo ampliorem latioremque. Equi itaque ventre contingebant aquam fluviis defluentis velociter, ita ut monitore opus fuerit ductoreque praeeunte, ne oculis aquam intuentibus capitis vertigo contingeret, aut ab aquis profundioribus equi cum equitibus abriperentur, quod tamen contigit Janiciaro, qui non sequebatur ceteros, equo eminentiore confisus, quo natante alteram in ripam vix madidus evadit, vino antea epoto intus madidior. Ergo esca sub meridiem sumpta, comitatus equitum ad collem Sfete Petkae dictum ante vesperam perveneruut, prope quem in loco planiore in villam desolatam Beroscicam sese receperunt omnes casamque ingressi (tecto quidem paleario protectam, parietibus tamen ligneis non bene undique materiatis et constipatis ventoque perviis) sese composuerunt atque omni meliori modo protexerunt se a borea, itaque tota nocte post caenam dormitaverunt.

Mane conscensis equis usque ad meridiem equitarunt, sumptoque cibo frigido aridoque devenerunt in silvam praedonibus obnoxiam, laxatisque habenis, cursu festino manu dextra elatis sclopetis, sinistra moderantes currentium equorum frena velociter pertransierunt pavidi, ne a praedonibus contineri possent, viso singulorum equitum sclopeto. Tandem ante solis occasum sub arboribus prope villam quamdam, procuratis equis pabulo, illa nocte quieverunt, custodibus vigilantibus, nivibusque de caelo levius decedentibus, magnoque rogo accenso circumquaque armis ad caput adpositis ad repellendos praedones, si forte necessum. Mane die illucescente omnes equos conscendunt, armis bene muniti, atque ita circa meridiem de more cibo refecti equisque pabulatis paulatim procedentes, post solis occasum ad suburbium Biogradensem sexta feria, illa prorsus hora, qua Turcae in suos Mecettos ad orandum se se recipiunt, equites sine molestia in suam . . . sua domicilia ingressi sunt in suburbano trium civitatum, quae vero gentis nomine Biograd Alba urbs vocitatur, non Alba Graeca, in qua nunquam Graeci sed Serbilii dominati sunt; ut alienigenarum scriptores antumant, Taurunum enim apud latinos antiquitus nominabatur.

Est autem Biograd, in collis vertice munitissima muris atque turribus urbs altis circumdata, ex una parte habens amplam planitiem, ex altera vero parte arcem etiam munitissimam atque inexpugnabilem propter suam eminentiam atque imminentem prospectum versus defluentem fluvium Savum in Danubium, cum quo ita permiscetur sub inferioris tertiae urbis moenibus turribusque, ut non amplius Savus sed Ister Danubiusque vocitetur, qui paulo inferius tantum Savi aquarum copia dilatatur, ut fere quatuor millia passuum naviculae superare debeant, quo possint ad alteram boreae ripam non sine periculo vento turonoto (buronoto?) flante evadere remiges.

Mercatorum porro domicilia atque artificum dictis tribus urbibus adiacentia sunt in suburbano, cuius longitudo et latitudo in planitie dilatatur ad quatuor millia passuum per circuitum. In hoc suburbio excepti sunt humanissime a Marko Burkio in suam domum ut hospites: duo patres P. Stephanus Szini et P. Bartholomaeus Cassius religiosi societatis Jesu atque missi summi pontificis Pauli V felicis memoriae iussu in dominium Turcicum per Europam ad universos christifideles praecipue catholicos in fidei dogmatibus confirmandos atque ab haeresibus schismateque graeco protegendos atque etiam ad catholicam fidem revocandos, si qui forte aberassent. Magna igitur cum libertate proximo die dominico in capella dominorum mercatorum Ragusinorum ac Bosnensium catholicorum coram duobus capellanis religiosis s. Francisci de observantia inter missae celebrationem P. Cassius protulit in omnium conspectu diploma summi pontificis, quo conspecto magna cum devotione ac pietate attente auscultaverunt praecipua, quae in ipso continebantur, de fine missionis patrum in illas provincias cum commendatione eorumdem eandem omnibus approbantibus. Deinde jubilaei amplissimi declarationem cum facultate absolvendi ab omnibus casibus quomodocunque reservatis, etiam in bulla caenae contentis, atque a quibuscunque ordinariis, exceptis tamen Italis a fide catholica apostatis, maxima cum laetitia animique alacritate atque applausu exaudierunt. Postremo brevem semihorae concionem de sacramentis poenitentiae atque eucharistiae dalmatico idiomate, auditoribus utriusque sexus notissimo, libentissime, attentisque auribus exceperunt. Publicato iubilaeo omnes per octo dies ad poenitentiae sacramentum accedebant, dominicoque die sacratissimo Christi domini corpore refecti sunt fere octingenti, amplissimamque indulgentiam consequuti sunt, quod sacram eucharistiam susceperunt digne recteque praeparati, ut pie credendum est.

Manserunt autem patres ibidem cum catholicis per duas fere hebdomadas, semper benignissime de more mane et vesperi a dominis mercatoribus ad mensam ipsorum cum capellanis invitabantur, uno quidem die ab uno, altero vero ab aliis, suo cuique die praescripto a communi omnium consilio, quod ipsi columnam vocitant. Moderato quidem apparatu varietateque ciborum trium quatuorque ferculorum optime recteque praeparatorum, tractabantur cum quatuor aut aliquando commensalibus sex familiaribus, variis autem colloquiis moralibus, indifferentibus, spiritualibus condiebantur ciborum varietates; nonnunquam a patribus ad parsimoniam omissis lautioribus hortabantur.

Cap. III. P. Bartholomaei Kasić per Sirmium et Slavoniam iter atque labores apostolici.

Praeparatis porro omnibus necessariis ad itinerationem versus Sirmium directore hortatoreque domino Simone Joannis nonnullisque mercatoribus ultra Savam. Primam profectionem in Pannoniam inferiorem patres aggressi sunt in nomine Domini tempore summi frigoris Sirmii planitie universa nivibus contecta atque concreta.

Devenerunt igitur a quatuor equis tracti in sobanna (saone) seu traha ad quasdam habitationes subterraneas, quarum tecta parum supra terram elevata, a propius accedentibus videbantur fumum evaporantia et in aërem

effundentia. Erat autem descensus ad caminum ignis accensi quasi quidam gradus, prope vero ignem in circuitu quasi murus ad calefaciendum se egrediebatur tota familia a caveis subterraneis excavatis in solidiore terra, quasi lapidea, cubiculis, in quibus omnes et dormiebant et diu noctuque morabantur cum matribus infantes ceterique domestici atque viatores hospitio suscepti, ubi patribus cum comitibus quiescendum fuit.

Erant autem christiani Serblii in ritu schismatico graeco educati ab infantia, nihil tamen scientes se tales esse, neque quidnam sit schisma, neque quaenam sint rudimenta fidei christianae aut articuli fidei, aut decalogi praecepta, aut orandi formula dominica, neque sacramentorum poenitentiae et eucharistiae frequentia, quam sub utraque specie vix semel annis singulis sumunt. Sacerdotes autem in quudragesima audita confessione poenitentem tunc non absolvunt, sed imposita poenitentia post aliquot dies hebdomadasque, illa adimpleta, paulo ante eucharistiae sumptionem stantem poenitentem ipsi stantes imposito supra caput rituali libro, in quo lectis verbis absolutionis, dimittunt absolutum. Perfecta tali ceremonia accessit ad absolventem parochum P. Cassius modeste illum rogans, ut sibi diceret, quid nam dixerit ex libro capiti imposito? Respondit, se dixisse legisseque, quae ibi erant scripta. Sed instat pater: quid nam significant illa, quae legerat? Ille vero nihil aliud respondit praeter praedictum. Ostendit se legisse verba, quorum significationem, et fortasse neque ipsam lectionem sciebat, sicut oportet. Jam vero quid fecerint patres ad ignem sese calefacientes cum domesticis utriusque sexus illuc e suis caveis congregatis? P. Cassius cepit omnibus prima fidei rudimenta proponere a sacro crucis signo inchoando. Intelligebant omnes et pueri et iuvenes et senes, quae suo idiomate docebantur et magna omnium admiratione aiebant: Quid est quod audimus? nunquam talia a nostris popis audivimus; dicunt enim nobis, si nos istiusmodi addisceremus, ipsos popos nihili penderemus aut contemneremus. Itaque ostendunt nihil scire sese, nisi se esse christianos, quam inscitiam ubique P. Cassius apud huiuscemodi rusticanos animadvertit et experimento cognovit. Colloquio completo sumptaque caenula cum comitibus pater, supposito foeno aut palea, apud ignem decubuit illaque nocte dormitavit.

Die illucescente inde discedentes Sirmium seu Mitrovizam, sic enim Sirmienses aiunt, mutato nomine, dictam a S. Demetrio martyre, pervenerunt in hospitium catholicum mercatores, ubi escis refecti sub meridiem ad casas rurales catholicorum a via regia patrem Cassium dominus Simon Joannis deduxit. Domi suae excepti sunt a quodam sene magnae familiae patre catholico. Hic habebat plures filios cum coniugibus et liberis ipsorum, quemlibet in suis casis per circuitum in vicinia simul habitantes more antiquo patriarcharum cum suis suibus, capris, bobus, ceterisque armentis, equis, iumentis, asinis, volatilibus vero omnium generum, gallorum, gallinarum, pullorum, anserum, palumborum, columbarum et si quae sunt alia. Sunt autem omnes casae paleares liberorum quasi muro sepibus arboribusque bene fortiterque compactae atque corroboratae, ita ut furibus latronibusque nullus additus sine magno labore per spineta patere possit; ergo quasi in urbe moenibus cincta pacifice sine molestia dominis suis Turcis solvendo tributum, sub uno camino senior pater nomine Gregorius cum suis liberis eorumque familiis habitant atque romano

catholico sub ritu vitam usque ad senium traducunt; quam vivendi habitandique rationem cum familiis fere omnes catholici separati a Turcis, in castris munitioribus habitantibus, atque etiam disiuncti a schismaticis inter flumina Savum et Danubium non longe ab ecclesiis, quae aut intactae servantur aut dirutae reficiuntur.

Apud hunc pium optimumque Gregorium diebus aliquot commorati sunt p. Cassius et dominus Simon, auditisque ferme omnium confessionibus post solis ortum ad (coemeterium) profecti sunt, hoc ad sepulchra fidelium (arboribus consita, ad capita singulorum defunctorum plantatis ipsomet die depositionis ex antiqua consuetudine) sub una ex arboribus in campo delatis ad extruendum altare, omnibusque necessariis ad celebrandum uterque sacerdos fecit sacrum pro animabus fidelium ibidem sepultorum. Enimvero sine ulla equitum turcarum illac non longius transeuntium prospectantiumque molestia sacra perficiebant magna cum admiratione libertateque fidelium. Dictis autem cum cantu ordinario catholicis responsoriis suos ad hospites redierunt.

Post meridiem profecti sunt ad templum beatissimae Deiparae assumptae dicatum prope Morouichium (Morovic[1]) a Turcis munitum inhabitatumque contra invasiones praedonum, ex Bosnia vicina adventantium per (Savum) fluvium. Habet hoc templum porticum parvum duasque turres, aliquantulum altiores ipso templi tecto concamerato, supraque porticum extructas. Expurgato altari unico toto intus pavimento die sequenti redierunt ad sacrum faciendum comportatis omnibus necessariis pro divino sacrificio, quae omnia semper secum deferebant, quotiescunque alicubi esset celebrandum, praecipue diebus festis praemonitis per vicinias ruralibus catholicis, qui plurimi ad locum indictum concurrebant piissime laetissimeque utriusque sexus, quorumdam autem pro temporis opportunitate confessiones excipiebantur, aliorumque confessiones in alium diem aliamque ecclesiam differebantur invitatorum atque rogantium.

Altera die iverunt in ecclesiam sitam ad Savi ripam, quae longius aberat ruralibus integram quidem, intactisque muris, in quam tunc sunt ingressi sacerdotes, praepararuntque in alia nuperrime restaurata ligneis tecto et parietibus, ubi antiquitus fuerat lapidea, in qua etiam altare erat lapidibus constructum aptumque ad celebrandum sacrum, in eaque celebratum est ea die mane. Huius autem restauratio fieri non potuit sine iudicis (Cadiae dicti) libello, in quo declarabatur ab ipso superioribus saeculis ibidem fuisse christianorum templum, posseque de novo instaurari. Verum multa pecunia collecta a vicinis christianis fuit soluta pro iuridico isto libello iudici.

Inde prope Illacium rus pertransierunt versus Marincium in media silva positam habitationem, in qua cibo sumpto sub vesperam parochum adierunt apud oppidum Nimtium dictum, apud quem illa nocte dormitum est. Hic monuit rurales parochiae fideles, ut die dominico ex proximis ruribus convenirent ad ecclesiam ex lignis asperibus constructam in ampla planitie, ubi antiquitus fuerat lateritia lapideaque satis opportuna pro circumvicinis quatuordecim ruribus seu villis catholicorum. Die igitur dominico p. Cassius concionem habuit publicavitque populo indulgentiam

[1] Chronic. Bosnen. p 46.

iubilaei pontificii pro illis, qui illis octo diebus recte et sicut oportet sua peccata confessi fuerint, sacramque Christi corporis eucharistiam pie susceperint. Celebrato sacro nonnullorum confessiones excepit monuitque ceteros, ut accederent ad confitendum singulis tribus diebus illius hebdomadae quicunque commode possent. Octavo autem die post offertorium missae concio fit, ac sumpto sacramento a sacerdote, ad eucharistiam sumendam, qui parati erant accesserunt, deinde celebrante altero ac tertio sacerdote p. Cassius audiebat reconciliationes eorum, qui missae ipsius non interfuerant omnesque communicati accepta benedictione discedebant.

His peractis Nimtii, inde profecti sunt Glubam parochiam, unius diei itinere distantem, ubi erat pius sacerdos Georgius curam gerens ecclesiae s. Catharinae, virginis et martyris[1], ad quam fideles catholici concurrebant festis diebus. Verum necesse fuit instante vespera ea nocte declinare ad casam cuiusdam schismatici, ibique miserrime caenitare ac somnum super foenum cubando capere prope focum. Non fuit tamen inutilis toti illi familiae patris ibidem nocturna illa commoratio. Convenerunt ad ignem omnes utriusque sexus, quibus rudimenta prima nostrae fidei ignaris omnino proposita declarataque sunt breviter a patre admirantibus omnibus dicentibusque, se nunquam a suis sacerdotibus talia audivisse. Dalmatica autem lingua, auditis simbolo fidei, oratione dominica, salutatione angelica ac decem decalogi praeceptis, maximas agebant gratias, omnia enim bene intelligebant, quae utinam memoriae retinere potuissent.

Summo mane properaverunt ad ecclesiam, ut possent a parocho congregari fideles ad sacrum et ad concionem confessionesque pro indulgentia iubilaei consequenda. Itaque post ortum solis hora circiter secunda convenerunt, dato signo, ad sacrum fideles in ecclesia s. Catharinae, virginis et martyris, quo celebrato, multi confessi sunt, non tamen illo die sed sequenti, ad eucharistiae sacramentum de more sub una panis specie sumpserunt, latino ritu semper utentes, ut omnes Dalmatae assolent, abhorrent enim a rito graeco Serblianorum.

Triduo ibidem dominus Simon cum patre manserunt sacramenta concurrentibus administrando, gratiasque Deo agentes de ipsorum sacerdotum adventu in illa loca remota Sirmiensibus catholicis inter rura schismaticorum, quos catholicae fidei praeceptis dominus Georgius parochus erudiebat, atque ab schismaticis haereticisque Luteranis defendebat[2].

Igitur rebus catholicae (fidei) rite recteque peractis in sacramentorum administratione ac verbi Dei praedicatione profecti sunt die festo, praemonitis catholicis ad ecclesiam perantiquam beatissimae Deiparae, lapideis parietibus extructam intactamque in planitie campi sine vicinis accolis bene tamen clausam obseratamque, qua a parocho clavigero aperta super altari lapideo coram frequentissimo populo fideli celebrarunt omnes sacer-

[1] Chronic. Bosnen. p. 46.

[2] Sepultus est in ecclesia s. Catharinae hodie parochiali oppidi Sot, ubi visitur epitaphium, in quo leguntur verba: Georgius Dubica... Ita nuper Vukovarini mihi narrabat A. R. D. Mathaeus Marinković, vicearhidiaconus et parochus in Sot vigilantissimus.

dotes, habitaque concione a p. Cassio, publicatoque iubilaeo, multi confessi sunt, invitatique sunt ad aliam ecclesiam alioque die ad summendam eucharistiam, in qua tutiori, commodiori, frequentiorique ruralium vicinorum concursu, solemnior sacramentorum celebratio et apparatus futurus erat, admonitis fidelibus de certo die. Itaque auditis nonnullorum utriusque sexus confessionibus, loco modoque satis incommodo inde discesserunt.

Die porro indicto profecti sunt ad casam ruralem parochi, ibique praeparatis rebus necessariis pro die festo auditisque multorum confessionibus, illo aliquot dierum interstitio in vicinam ecclesiam multitudo ruralium convenit, in qua multis sacramento poenitentiae expiatis, factaque a patre concione de more intra missae celebrationem, quotquot recte parati erant sacro eucharistiae sacramento refecti (laetificatique?) sunt.

Porro abeuntibus omnibus ad sua ruralia domicilia dominus Simon cum patre Cassio bene defessi ad parochi casam se se receperunt, ibique diebus aliquot defaticati quieti operam dantes permanserunt; quotidie ad divinum sacrificium vicinos convocabant. Postmodum circuierunt visitaruntque plurimas ecclesias ruraque iisdem proximiora concionando ceteraque sacra de more administrando, uti superius narratum est, cum fructu non mediocri gaudioque fidelium animarum ad audiendum sacrum concurrentium.

Transactis autem non paucis diebus visum est domino Simoni deducere patrem Cassium versus Vukovarium, ubi in colle est arx turcica nunc non contemnenda prope viam regiam, et ad radicem arcis est regia Carvasaria, ad quam libere omnes iter agentes se se recipiunt ibique et diu et noctu morantur. Ad sagittae iactum inde proiectae Ister seu Danubius aut dictus illirice Dunav seu Dunavi, latus et profundus satis praeterfluit, in quem parvus fluviolus nomine Vukka a sinistro arcis latere sub ponte non parvo ligneo descendit e collibus, influitque per planitiem; in qua quasi greges pecorum plurimi anseres cum suo custode visuntur, volitantque in Istrum, natantque per ipsum et forte piscibus ipsius deliciantur.

Jam vero dominus Simon ultra pontem Vukke patrem Cassium deduxit peditem ad quosdam heremitas dictos s. Eliae, qui more turcico vivunt vestibusque laneis albis cum palliolo utuntur variis superstitionibus auguriisque super areola in horto medio constructa oblectabantur. Dominus Simon cum quodam seniore ipsorum turcice et illirice locutus est, ipso ad omnia perhumaniter respondente, narranteque sibi mirabilia de nescio qua lapillorum numeratione et auguratione facta per quandam rotulae rotationem; de modo vivendi inter ipsos heremitas nihil dictum est neque quaesitum; inde exeuntes in silvam parvam profecti sunt ad contemplandum e colle Istrum ipsisque prospicientibus versus pontem vident turbam deferentem in capsa Turcam mortuum ad silvam illam sub aliqua arbore de more suo sepeliendum. Unde statim ipsimet sacerdotes recesserunt in viam regiam, ne forte ipsis praesentibus circa cadavera malum Turcis augurium contingeret, contraque sacerdotes christianos daemone instigante excandescerent, aliquodque incommodum inferrent. Itaque Turcis in silvam abeuntibus sacerdotes pertransito ponte in Carvasariam sese abdiderunt. Sepulto cadavere universa turba ad sua domi-

cilia reversa est. Liberum itaque fuit domino Simoni cum comitibus, impositis supra currum sarcinis, iter suum prosequi per pontem viamque regiam Esekium seu Ossikum versus; haec autem dieta non sine alicuius periculi metu propter praedones fuit; saepe enim contigit, ut quibusdam in locis a ruribus dissitis occursus et depraedationes fiant Kessegiarum, qui si forte viatores inermes prope aliquam silvam invenerint, spoliantes eos illorum sarcinis mercibusque, quas ad Panaiurum seu mercatum deferre assolent, atque cum praeda in silva profugiunt. Quod si forte quis audeat se suasque merces defendere ipsum gravius vulnerant et nonnunquam etiam interficiunt illa in solitudine, longiusque inde profugiunt, ne prodantur a ruralibus accolis a vulneratis et expoliatis. Viatores porro nostri sine ullo malo occursu Ossicum ingressi atque incolumes suscepti sunt in domicilia, catholicis Ragusinis mercatoribus inibi commorantibus.

Jam vero erat proximus dies festus sancti Georgii martyris, quem magno cum honore ac veneratione colunt in illis partibus catholici omnes et novum calendarium atque vetus observantes, haeretici quoque schismatici et Turcae iuxta veteris formam viventes non (cum) oblatis diebus decem die Inventae sanctae Crucis, nobis sacro, secundo mensis Maii nostro catholico more descripti, celebrant, qui dies ipsis est vigesimus tertius Aprilis. Hac igitur die incipiunt dies mercatus, quem ipsi nominant Panaiur octo dierum spatio sine ullo gravamine. Verum tamen singulis annis in isto mercatu Ossikienses Turcae adhibent ad propulsandas praedonum rapinas et furta armatorum cohortes equitesque, ut tutiores sint eo tempore mercatores in comportandis mercimoniis variarum rerum magno etiam praetio aestimabilium. Construunt autem isti sive christiani sive Turcae domunculas bene munitas tabulatis, retro et ante habentes calles pervios plurimos, quare efformant quasi novam urbem extra moenia Ossiki in planitie; igitur emptores quicumque possunt accedere pacifice ad coemendas cuiuscumque generis merces sive palam expositas sive in capsulis conclusas, comparantur venales vestes sericeae, laneae, lineae variorum colorum, imo vero omnis generis pannos omniaque genera utensilium atque instrumentorum, quae sunt necessaria artificibus sive viris sive feminis eferendas suarum artium factiones. Tandem uno verbo dicam omnia rerum omnium genera, quibus in civitate cives utuntur, in mercatum undique comportantur, consarcinantur, convehuntur in equis, in curruculis, in iumentis, asellis, pro cuiusque habitudine et potentia. Sacerdotes autem cum catholicis in domibus honesto decentique loco sacrum faciebant atque ad consequendum iubilaeum eucharistiam optime paratis praebebant, brevi verbi Dei praedicatione praemissa. Postmodum exibant bini aut terni extra portas Ossikii in planitie mercatus, ut si quos catholicos invenissent invitarent ad susceptionem sacramentorum iubilaeique consecutionem, ut sese sequenti die ad assignatam domum convenientes praepararent, sicut oportebat. Praeterea monebantur, ut sibi notos fideles secum ad sacramenta, quocumque die libuisset, advocarent cauteque deducerent, uti fecerunt non pauci.

Ad rurales autem suas casas revertentes praemonebantur, ut suis domiciliis vicinos fideles commonefacerent, in quam parochialem ecclesiam summo mane absoluto mercatu festo die dominico, aut alio quocunque festo die, ad divinum sacramentum et divinum sacrum rite praeparati

utriusque sexus convenire debeant, ut verbo Dei paneque vitae aeternae digne reficerentur.

Mirum profecto erat conspicere per omnes semitas, quae ducebant ad designatam ecclesiam virorum ac feminarum ruralium concursum, quasi formicarum ad colligenda grana tritici aliaque victui suo pernecessaria eundo et redeundo ad suas fossulas subterraneas. Igitur absoluto mercatu rebusque Ossikii confectis profecti sunt sacerdotes die dominico in parochiam Krizevciam seu sanctae Crucis ecclesiam, in qua concurrentes rurales undique expectabantur, et eorum, qui iam advenerant, confessiones sacramentales auricularesque excipiebant sacerdotes sedendo super lapides aut lapidum maceriam ad latus genuflexorum poenitentium satis incommode. Erat autem ecclesia in campo, in cuius circuitu plurima sepulcra fidelium visebantur, quae cadaveribus in terra altius defossis, ne a lupis canibusque effoderentur, ab incolis ubique vocabantur Grobija. Imponunt vero supra singula aut gravissimum arboris truncum aut graviorem saxorum congeriem quantumcunque possent. At mulieres praecipue panes, poma aliosque fructus super sepulcra suorum defunctorum imponunt pro pauperum esca non animarum (more ethnicorum), sed ut cibo refectis corporibus vivorum pauperum fundant ad Deum preces pro defunctis fidelibus pauperes vivi. Congregata autem multitudine ruralium multisque confessis p. Cassius celebrabat divinum officium, concionem ad populum faciebat breviter, ac postmodum rite recteque dispositos sacrosancta eucharistia sub una panis specie corporis et sanguinis domini reficiebat sacramento, cum publicatione plenariae iubilaei indulgentiae; atque ita refecti lacti et alacres benedicentes laudantesque dominum cum gratiarum actione ad suas rusticales casas revertebantur. Sacerdotes autem ad casam parochi cibo reficiendi proficiscebantur non mediocriter defatigati atque defessi, illaque nocte ibidem quieverunt.

Summo vero mane vale dicto hospiti ad parochum Cusmiciensem abierunt. Hic monitis fidelibus de adventu sacerdotum invitavit omnes ad suam ecclesiam dedicatam ss. martyribus Cosmae et Damiano, illam quidem lateritiam intactamque ab infidelibus in sua antiqua integritate extantem, minime vero paratam intus, altaribus sine mappis omnino denudatis propter fures et latrones, qui si aspicerent altaria de more mappis ceterisque necessariis ad celebrandum ornata, confringerent fores omniaque abriperent et auferrent. Circum enim ecclesiam nec parochi habetur casa, nec domicilium rurale in vicinia conspicitur. Enim vero prope viam regiam extructa est, a qua remotius sunt rurales in silvis domunculae casaeque fidelium, ne viatores praetereuntes gratiarent illosque quotidie molestiusque hospitando, victualia continue a pauperculis extorquere possent, aut aliquid deterius contra domesticam familiam factitarent homines improbi vagique.

Crastino die iterum versus Ossekum reversuri ibidem duobus forte diebus commoraturi iis domunculis catholicorum atque praestolaturi e Quinqueecclesiis reverendum senem Hungarum patrem Gregorium Vasarellum missionarium in illis partibus ultra fluvium Dravum ad Quinqueecclesias ..... advenit tandem bonus senex ad Dravi fluminis pontem, colloquio igitur cum p. Cassio habito de variis missionis suae difficultatibus, sed praecipue de sui socii discordi secum animo, Peciuvium rever-

sus est. Porro sibi acciderant et quotidie contingebant disputationes cum Arianis, Calvinianis etc. — — — — — — — — — — — — — — — — Essechii seu Ossichi porro cum catholicis paucis rebus spiritualibus . . . peractis visum est opportunum tempus redeundi Taurunum Biogradiumve. Biduum in reditu consumptum est, prima dieta non sine periculo in locis silvestribus a ruribus remotis tum ante meridiem usque Vukovarum, tum etiam post usque Sirmium seu Mitrovicam propter Kesegios seu sicarios, qui saepe simulate secum quasi comites iter aggrediuntur, aliquando relicto te in Karvasaris noctu discedunt et per silvam semitamque vagantes mane illucescente die occurrunt viatoribus, nihil tale opinantibus, ignoti quidem sed in equis bene armati scimitaraque ad latus siniferum accincti, dextrum tibi per speciem honoris callide concedunt, ut si forte comitando solus cum solo in loco se ab hominum aspectu remoto solitarioque habere opportune potuerit, inopinata et exagitata scimitara, te percutiat, unoque ictu obtruncato capite ex equo deiciat, et equum ceteraque omnia rapiat, nudumque abreptis vestibus derelinquat, seseque cum spoliis rapinaque per silvae invia a via regia longius recedendo ac in loco tutiori constitutus impositis sarcinis super trucidati equum absedendo, aliaque remotiori via quocunque libuerit evadendo, ne propaletur tanquam sicarius nefarius ac hominum pessimus trucidator, innoxium declaret.

Verum enim vero p. Cassio comitibusque suis nihil illo biduo mali contigit, nullusque malus occursus, protegente se Deo optimo maximo, ac bono Dei angelo, in vitae discrimen adduxit. Atque ita salvi et incolumes quotquot erant comites Sirmium ingressi sunt, in quo pernoctarunt apud christianum hospitem amicum benevolumque.

Sirmium autem illa perantiqua urbs, altera Roma, Romaeque aemula, imperatorum sedes amplissima, olim ad Savi fluminis ripam constructa, nunc autem tota diruta, moenibus urbis solo coaequatis, cuius fundamentorum moenıumque lateres conspiciuntur sanguinei coloris, illi inquam lateres satis (duri), ne temporis edacis iniuria minime consumpti, ferme inconsumptibiles apparent. O Dei aeterni iudicia inscrutabilia! Urbs amplissima, laetissima atque ditissima, imperatorum sedes olim universa, nunc diruta, destructa ac fere in nihilum redacta a Slavis, ab Hunnis, atque postremo a Turcis, sub quorum dominio extincta gemit, solis vestigiis tantae urbis extantibus, in quibus ne una quidem christianorum ecclesia extans conspicitur. Quare necessum fuit pro fidelium consolatione sacerdoti catholico in domo privata hospitis christiani sacrosanctum missae sacrificium omnipotenti Deo non sine lacrymis offere, quo absoluto Biogradium versus profecti sunt sacerdotes pacifice incolumes.

Cap. IV. De negotiis p. Bartholomaei Kasić cum summo pontifice Paulo V et cardinalibus ab ipso deputatis Romae.

P. Claudius (Aquaviva praepositus generalis societatis Jesu) . . . . . deduxit ad pontificis pedes osculandos dominum Simonem ac p. Cassium missionarios . . . Deputati porro fuerunt a sua sanctitate duo cardinales, Mellinus et Serra, cum quibus pater Cassius magno studio ac labore saepius adeundo illorum palatia deferendoque memorialia, in quibus praecipue postulabatur episcopus creandus Sirmii, Illocii, Taurunii, aut seu

Semendriae. Postulatus fuit dominus Simon sacerdos propugnator acerrimus catholicorum, honestate morum notissimus omnibus fidelibus et infidelibus, ferventissimus zelator fidei catholicae, sacrarumque ecclesiarum destructarum restaurator, atque ex haereticorum manibus eripiendarum propugnator in tribunalibus turcicis, turcico idiomate satis dissertus, contra cuius dicendi libertatem haeretici coram Turcis non audebant hiscere (?). Constantinopolim profectus obtinuerat a principe Turcarum magna privilegia pro catholicis christianis illarum partium. Quare p. Cassius proponebat illum dominis cardinalibus conscriptis variis memorialibus pro informatione, ut a pontifice promoveretur ad aliquem episcopatum in illis provinciis, in quibus fortiter feliciterque propugnaverat pro catholicis, sed obtinere nihil potuit.

Fratres enim Bosnenses absoluto capitulo apud Aram Caeli reliquerunt acerbissimum memoriale suo cuidam procuratori contra dominum Simonem, offerendum summo pontifici, si forte ageretur de illo promovendo ad episcopatum, in quo quinque infamatoria capita gravissima descripta erant a fratribus inimicissimus domini Simonis. Ergo delatum oblatumque memoriale summo pontifici transmissum fuit dominis cardinalibus, cum quibus p. Cassius agebat pro domino Simone. Porro domini cardinales p. Cassio nihil dicebant de oblato perlectoque memoriali, sed benigne cum patre agentes, varias difficultates obiiciebant de non promovendo domino Simone, quas pater oretenus et novis memorialibus respondendo repellere adnitebatur, nihilque proficiebat, curisque angebatur, quid sibi agendum esset in tam implicato obscuroque negotio. Tandem itaque ad patris aures pervenit de pessimo memoriali, in quo quinque capita infamatoria continebantur. Oderant enim dominum Simonem fratres Bosnenses eo, quod ipse adversaretur quorumdam pravis moribus ac factis atque praecipue illis exosus erat, quia a summo pontifice impetraverat missionem pontificiam patrum societatis Jesu, qui missi visitarent in dominio turcico Christi fideles catholicos, illorumque spirituales necessitates inspicerent ac iuvarent verbo et exemplo moribusque bonis, caute autem intra infidelium statum politicum.

Verum prosequamur acta cum dominis cardinalibus de domino Simone, qui clare dixerunt ipsum non esse idoneum ad episcopatum, cum sit illiteratus et propter varias informationes de ipso habitas aliunde. Hinc p. Cassio novae molestiae a domino Simone, ac si ipse esset, qui nollet promoveri eum a summo pontifice, quod omnino erat falsum, uti pallam facere possent omnia, multaque memorialia oblata et summo pontifici et dominis cardinalibus pro illius promotione, ad quam faciendam iam omnia parabantur, sed pessimum memoriale supradictum a procuratore Bosnensium totum negotium domini Simonis pessumdatum est.

Praeterea p. Cassius obnixe pro re tanti momenti obsecraverat dominum cardinalem Bellarminum, ut dominum Simonem commendare dignaretur summo pontifici et cardinalibus, neque renuit, sed magno zelo commotus se facturum verba cum ipsis spopondit, quod ingenue fecit, sed responsum accepit non iudicari idoneum ad episcopalem dignitatem dominum Simonem, imo vero potius cogitasse summum pontificem et ipsosmet cardinales de promovendo p. Cassio. Quo verbo audito p. Cassius conturbatus dixit, se non esse aptum ad ferendum tantum onus et velle

se in societate mori. Subiunxit humilis cardinalis Bellarminus, se etiam esse societatis professum, nec egressum sed extractum a summo pontifice.

Tum p. Cassius: „in me, inquit, non sunt tantae causae virtutum et merita". Ad haec verba rubore fere subfusus ac capite demisso secessit intra cubiculum; p. Cassius autem cum accepto responso minime sibi grato domum adiit magna cum moestitia .... quare gravissimis verbis rogavit patrem (procuratorem generalem), ut pontificem ab hac voluntate removeret ..... quod ille (procurator) efficassime confecit liberavitque omnino p. Cassium.

Coeptum igitur est tractari pro domino Simeone, ut facerent commissarium aut vicarium illic apostolicum ipsumet in illis partibus, quousque a summo pontifice idoneus et litterat episcopus eligeretur. Verumtamen multis oblatis memorialibus nihil confectum est. Quare dominus Simon valde conturbatus dies protrahebat et adversus p. Cassium et quorumdam malevolorum suggestionibus agitabatur suspitionibus et quotidie variis quaerimoniis cum ipso lamentabatur, sibique suggesta contra patrem ipsimet obiiciebat magnaque molestia afficiebat. His molestiis pater agitatus magna cum patientia volebat atque revolvebat animo quid tandem illi honorificum posset impetrare a summo pontifice, ut quietus ex urbe discederet; erat enim prae iracundia impotentior et in suis negotiis sibi pro voluntate non coniungentibus vehementer angebatur acerbioribusque quaerimoniis lamentabatur contra quoscunque mentem ipsius occurrentes.

Ergo postremum consolationis levamen et ipsimet et ipsi p. Cassio venit in mentem, ut ipse mitteretur impetraturus cum domino Petro Cakhio, archipresbitero Montis Rotundi Sibenicensi Dalmata, novum privilegium a principe Turcarum Constantinopoli (adiutus favore et potentia cuiusdam eunuchi sui consanguinei apud principem potentissimi). Summa autem privilegii esset, ut ipse cum eligendo episcopo atque cum patribus societatis Jesu possent omnes libere vivere christiano more atque omnia ministeria christianorum sine ulla molestia Turcarum exercere. P. Cassius ergo tale memoriale obtulit summo pontifici, ut hi duo muniti bono viatico Constantinopolim proficiscerentur et duo saltem tunc patres abirent societatis Tauricum (sic, pro Taurunum) ac Sirmium pro iuvandis illarum partium catholicis. Beatissimus pater annuit animo lubentissimo quidquid in memoriali postulabatur. Itaque profecturis duobus Constantinopolim dati sunt pro viatico aurei ducenti, duobus vero patribus ituris Sirmium versus aurei centum. Laetior ergo dominus Simon cum domino Petro suo comite ad iter agendum rebus suis bene compositis sese accinxerunt.

Cap. V. De secunda missione p. Bartholomaei Kašić in dominium turcicum.

P. Cassius acceptis litteris a p. Mutio, praeposito generali societatis opportuna navigatione Laureto Anconam proficiscitur, ubi expectabatur a duobus patribus comitibus p. Marino de Bonis et p. Marino Drago Ragusium navigaturis.

Anno igitur 1618 die 26 Martii post festum diem ab Angelo Virginis Annunciatae vesperi ex portu Anconitano in altum navi educta hora noctis secunda secundis auris vela tria expanderunt nautae feliciter illa nocte

dieque sequenti semper eodem flante favonio, ita ut ad conspectum Ragusinae insulae Meledae pervenerint.

Ragusium patres ingressi — — — — — — — — — — — —

Et quoniam in dominium turcicum proficisci sine Ragusinorum mercatorum comitatu atque fido Janiciaro patribus sine periculo non licebat, expectandus fuit comitatus usque ad diem 20 Sextilis, quo die conscensis equis mercatorio habitu et armis instructi patres Ragusio discesserunt Taurunum, Sirmium, Temisvarium. In itineratione dierum fere octodecim multas molestias, caeli pluvii inclementias, solares interdiu ardores, sub dio nocturnas super paleas aut foenum (si haberi poterant) cubationes ac dormitiones alacriter omnes perferebant patres cum amicis comitibus. Tandem Taurunum omnes incolumes divino beneficio pervenerunt atque in suburbana sua domicilia singuli ex comitibus sese receperunt. Patres vero in domunculam (paucis ante annis sibi coemptam a quodam amico mercatore taleris septingentis maiori ex parte acceptis ab illustrissimo domino Gratiano gratis et amore) patres . . . ingressi sunt . . .

P. Cassius rogatus a quibusdam christianis catholicis et haereticis, qui apud Pasciam Caracassium suas quaerimonias contra suos spahias, a quibus gravabantur in multis, deposuerant et obtinuerunt postulata, ne in posterum novis gravaminibus onerarentur. Itaque cum his obsecrantibus et ad suas casas revertentibus profectus est pater (Cassius) Sirmium, Oseckium, Valpovum ac demum Viglevum commoraturus in tugurio cuiusdam catholici, secum clericum quemdam Ragusinum deduxit, qui celebranti inserviret et iuvaret se in victu pauperrimo praeparando. Ergo in comitatu quatuor carularum conscendit in illam, quae erat catholicorum . . . Descendens de carucula collectaque nive oris gutturisque ardorem (a salsedine carnis productum) refrigeravit . . . . . tegumento coopertam nulloque sedili aptatam nisi parva casula cum libris nonnullis conclusis ad sedendum compositam habuit, ceteri supra suas sarcinulas sedebant. Hoc modo ieiuni omnes Sirmium in carvarsariam vespertina hora pervenerunt.

Quisque cibum sibi quaerendum abivit. Re cognita a quibusdam catholicis mercatoribus patrem sibi bene notum sedere ieiunum in Carvasaria amice parata caena cum oriza bene cocto et amphora vino plena ad illum cum panibus accurrerunt. Egerat enim paulo ante gratias invitatus ab illis in domicilium ipsorum cum non posset ipse suos derelinquere, cum quibus post mediam noctem discessurus erat ad prosequendum iter suum.

Contigit autem post inde discessionem nocte illa magna aberratio a via regia usque ad auroram aurigis minime expertis viarum sirmiensium, cum ipsi essent Valpovienses, sed illucescente die laboriose cognito errore ad viam regiam per invia vix post aliquot horas pervenerunt rectaque ad Carvasariam, Tovarrucam (Tovarnik?) circa meridiem ad quiescendum equisque pabulum praebendum pertingere potuerunt. Captaque quiete ciboque refecti properarunt Vucovum (Vukovarum?) in Carvasariam usque ad vesperam, in qua cibo somnoque confirmati non nocturno itinere sed post aurorae lucem inde discedentes Esechium ante meridiem conspexerunt, in quo nonnulli ingressi ad negotia et ad coemenda victui necessaria, diu patrem extra moenia prope ripam Dravi fluminis expectantem fere ieiunum in carrucula repererunt, satis mora molestissima nonnihil

contristatum, eo quod ipse causam morae diuturnae nesciret. Condixerant autem invicem ipsi diutius ibidem immorari, ne ante duas horas occasus solis per pontem Valpovium transire cogerentur inciderentque in suos dominos spahias, contra quos causam egerant Biogradii apud Pasciam Caracasium. Quamobrem recte illis contigit serius quam volebant illuc pertransire pontem, secumque in carrucula habere patrem, quem Turcae, qui sedebant ante Valpovi portam, in ipso ponte putantes illum esse chiaussum a Pascia missum. Consurrexerunt omnes manuque supra pectus more turcico imposita sibi ipsis salutarunt patrem, quasi chiaussum, pater quoque eodem modo assurgens manuque supra pectus posita civili more consalutatis ultra pontem pacifice quatuor caruculae pertransierunt, nullaque molestia affecti ad villam Tiburiantiam .... villa porro Tiburiantia ab ecclesia s. Tiburtii nomen acceperat, in quam cum comitibus pater delatus in domo cuiusdam Austriaci senis divitis illa nocte quievit; qui quidem dicebatur catholicus, habebat autem filium Petrum nomine Lutheranum Praedicantem uxoratum, quem in scholis Lutheranorum erudiendum in grammaticis litteris miserat pater nonagenarius, non advertens veneno haeretico imbutum iri, atque ita pessime in haeresim seductum praedicantem fecerant diabolici magistri in s. Tiburtii parochia, in qua partim erant catholici, partim Lutherani ... Ad galli cantus sub auroram comites experrecti omnes vale dicto Petro hospiti ceterisque eius domesticis ad villam Viglievo prope ecclesiam s. Andreae apostoli constitutam profecti sunt in domicilium viri catholici ac pii ab ipsius fratre ad hospitandum, a quo humanissime acceptus semper ad quatuordecim villas eundo et redeundo p. Cassius morabatur circa duos menses...

P. Cassius expurgato templo s. Andreae, aptato altari, aqua benedicta sacrum celebravit, sub quo post offertorium ad contionem dixit.

„Multaque dixit contra haeretica dogmata designando praedicantes ministros, qui pervertebant circumvicinos populos et cantilenis ad haeres seducebant persuadebantque multis, „qui (Lutherani) persuadebant multis carnes feriis soxtis praecipue concedendas in contemptum catholicorum, „qui illa die ex antiqua consuetudine seu voto in Panoniis abstinent a carnibus et catholico more ieiuniant", ne ova quidem aut lacticinia degustando in memoriam dominicae passionis. Diebus vero sabbatis in honorem virginis Deiparae eodem prorsus modo ieiunium pientissime observabant.

Absoluta autem concione sacrum canonem usque ad finem sacrificii prosequebatur pater, non pauci vero utriusque sexus libera et spontanea voluntate de more antiquo multos triticeos panes super altare imponebant (nemine petente) aereosque obolos proiiciebant per modum eleemosynae. Collecti porro panes in saccum tot erant, ut tota septimana et patri et clerico et domesticis domus satis superque ad victum essent oportuni. Hospes enim domi dolia vini nulla habebat, cuius familia sitim aqua frigidula extinguere satagebat aceto diluta ...

In omnibus quatuordecim villis, quas invisere potuit (p. Cassius) non invenit in vicinia nisi duo templa profanata, unum s. Andreae superius iam descriptum, cum tecto, alterum sine illo discopertum cum suis altaribus lateritiis lapideisve sed dirutis, in quibus satis incomode ara poterat apparari. Saionusa (?) autem hic locus ab accolis appellatur, atque

non longe ab templo hoc profluebat fons aquae potabilis, descendebatque aqua sensim planitiem atque sic fluvium nomine Carascizam conficiebat, atque circumdabat arcem Valpovam circumquaque aquis non altioribus bino cubito limpidissimis. Jam vero in aliis ruribus necessitas cogebat patrem congregare utriusque sexus catholicos in domum aliquam paulo ceteris ampliorem . . .

Crastino die (Lunae) ad Gregoriantium rus, ad domum amici cuiusdam Ragusini (profectus est p, Cassius ex S. Andrea).

In Gregoriantio rure ante domum amici Vincencii . . . . e currucula (descendit p. cum clerico) . . . Amicus autem Vincentius coniugatus mere laicus domi prae caena praeparata patrem ut cibum sumeret invitavit . . . Caenantibus autem ipsis multas pater interrogationes hospitis proposuit: praecipue vero de statu s. Gregorii parochiae, in qua ipsemet (Vincentius) quasi parochus morabatur et catholica dogmata praedicabat (excepto novo errore ab ipso invento, ut a Lutheranis praedicantibus ab audiendis abstraheret illius parochiae christianos rusticos et idiotas, quorum benevolentiam praedicando consecutus erat, nullumque Lutheranum ad ipsos publice accedere patiebatur).

Ergo ipse novo illos errore imbuerat, ut azimum panem ab ipso praeparatum in paschale sumerent ac si eucharisticus corporis domini panis esset. Exhorruit pater ad idololatricum errorem coarguitque hominem alioquim amicum gravissimis verbis manifestavitque erroris pravitatem, populique deceptionem ab ipso patratam. Porro ipse nulla ostensa pertinacia verborum confessus est, se errasse, atque eo fine, ut populum ab haereticis ministris avocaret, errore huiusmodi lapsum esse neque unquam tale quidquam facturus accusans suam crassam ignorantiam. Quare illa nocte diligenti examine suae conscientiae facto, postridie sacramentalem confessionem apud patrem integerrime contritus confecit . . .

Porro illucescente die dominico hospes Vincentius ad s. Gregorii templum invitat patrem cum suo clerico, ad quod frequens populi concursus advenerat. Mixti erant semicatholici cum haeretica labe infectis, nihilominus concionem audire non detrectabant, ad sacrum vero sacrificium accedere renuebant. Audita concione silentes a longe steterunt mirabundi de sacro ritu nunquam antea viso. Illorum uxoratus parochus Vincentius suo more decantavit cantilenas quasdam pietatem redolentes non errore aliquo haerotico infectas.

P. Cassius revertitur Essekum inde petit Biogradum et transit ad P. Jacobum Tugolinum Temesvarium.

Solus enim bonus pater Jacobus (Tugolinus) laborabat inibi cum catholicis illyricis et hungaris . . . Nullus enim parochus cum illis pauperrimis christianis neque religiosus neque sacerdos saecularis voluit sine lucro ac competenti proventu ibi commorari . . .[a]

Pater vero (Cassius), cum commoratus esset integro mense solus Themesvarii, villas visitante p. Jacobo accepit litteras a p. Marino de Bonis ex domuncula Biogradensi et aurigam cum carrucula, in quibus scribebat advenisse ex Austria reverendissimum dominum Petrum Cathium episcopum Biogradiensem et Prisrinensem cum illustrissimo Gratiano, qui fuerat turcicus apoclissarius (sic) apud imperatorem christianum Viennae. Quare

p. Cassius compositis rebus domesticis, clausa ecclesia atque domuncula traditisque clavibus Patri Jacobo conservandis amico mercatori in carrucula conscendit . . . discessitque Themesuario (Belgradum).

Cap. VI. Petrus Katić, episcopus Prizrenensis et Belgradensis comitibus domino Simone Matković, sacerdote saeculari et Bartholomae Cassio S. I. catholicos per Sirmium dispersos visitat, consolatur et in fide confirmat.

Igitur cum constituto tempore advenisset dominus Simon cum alio parocho reverendissimus episcopus Petrus ducto secum p. Cassio versus Sirmium profectus est cum his comitibus. In hac sua prima ingressione Morovicienses in primis antea de suo adventu admonitos invisit eodem modo, quo usus erat P. Casius, quando aliquot annos vice prima fuerat missus a summo pontifice in turcicum dominium, hospitioque optimi catholici Gregorii exceptus fuerat prope oppidum Morovicium, in quo bene munito moenibusque septo soli turcae habitatores dominabantur in omnes christianos rurales, qui in silvis, proximis alicui ecclesiae territoriisque sua domicilia incolunt. Proxima autem isthic erat ecclesia B. Deiparae virginis assumptae, in quam ad missae sacrificium circumvicini catholici conveniunt. In hac ergo ecclesia dominus episcopus cum comitibus sacerdotibus sacrum divinumque sacrificium obtulit, quae erat Sirmiensis dioecesis.

Postridie invisit duas sitas ad ripam Savi, tertiamque Illaciensem tunc solummodo a longe pertransiit, ut ante occasum solis posset pervenire in Marincium rus ad hospitem Georgium. Saepe enim e Bosnia latrunculi aggredientes Savo fluvio in naviculis pertransito spoliant illac pertranseuntes; quod ne accideret sacerdotibus etiam armatis praepropera festinatione carruculae auriga concitatis equis accersit non sine pavore.

Georgius autem praestolabatur hospites sacros ad portam atrii, a suo domicilio suorumque domesticorum casulis non longe positam, atrio domiciliisque, sepibus sepimentoque fortiter connexum, condensatumque compagine, ita ut nonnisi per portam pateret accessus ad domicilia. Ergo paterfamilias bonus catholicus Georgius maxima cum laetitia admissos hospites in suum domicilium deduxit sole occidente. Sacerdotibus considentibus divinum officium singulatim singulis persolventibus, mulieres domesticae pro sua tenuitate opiparam (eduliorum varietate condimentoque) non rurali sed civili profecto caenam apparatu confecerunt mira admodum celeritate alacritateque benevola ut Martham sororem Lazari imitari . . . viderentur. Cum autem omnes consedissent ad mensam, invitarunt quoque ad consessum sodalitiumque dominum ipsius domus, hospitem suum, qui modeste excusatione facta: meum, inquit, est sacerdotibus meis domesticis ut fiant gratiosa. Brevi igitur benedictione a reverendissimo episcopo facta, caenaque alacriter confecta, gratiarum actione Deo persoluta ad quiescendum supra pavimentum foeno paleisque congestis, non in aliquo alio lecto, quisque sibi prope reverendissimi decubitum omni meliori modo stratum composuit.

Ad orandum divinumque officium persolvendum confessionesque excipiendas multorum fidelium sacerdotes surrexerunt.

Interim altare ante parietem domus sub dio satis frigido et terra nivibus cohoperta undequaque, a vento tamen ara protecta, sacram hostiam

Deo optimo maximo primus p. Cassius comptento aëre gelido placide patienterque spectante per circuitum populo genuflexo utriusque sexus supra iniectas nivibus paleas, perferentibus frigoris algorem non mediocrem omnibus usque ad sacrosanctae eucharistiae sumptionem missaeque totius absolutionem. Ergo feliciter omnibus confectis populoque dimisso, praemissa cohortatione, ut unusquisque suos rurales ad Nimptium in ecclesia pro proximo die dominico invitarent; inibi enim reverendissimus episcopus et divinum sacrificium facturus erat et accedentibus collaturus sacramentum chrismatis ad confirmandos in fide catholicos, qui post baptisma non dum confirmati erant, nullus enim episcopus a multis annis sacramentum administraverat. Sacerdotes igitur domum ingressi, paratoque ientaculo refecti aliquantulum quieverunt, donec equi ad carruculam colligati ab auriga ad iter capessendum Nimptium sese composuerunt.

Conscendente itaque reverendissimo ceterisque comitibus auriga loris laxatis equisque flagello percussis percurrerunt celerrime in viam regiam et paucis horis post discessum per pontem Nimptium pacate ad parochi domunculam pervenerunt, quae constructa erat prope fluvioli Bossuti ripam, cuius aquae ex Savo fluvio excrescente influunt in alveum et decrescente Savo in ipsum iterum defluunt. Ingresso ergo reverendissimo cum comitibus in parochi Vincentii Marinascii Ragusini domicilium post aliquantulam quietem, ut pranderent ad mensam paratam omnes accesserunt more Ragusino, facta prius benedictione; sumpto autem cibo et potu ad vespertinum officium dicendum unusquisque se recepit, atque illo die ac nocte conquieverunt. Mane autem illucescente postridie in beatissimae Deiparae ecclesiam reverendissimus cum sacerdotibus ad populum undique confluentem profecti sunt, ut confessiones volentium in primis audirent, sacrumque altare cum aliquali apparatu exornarent, ceteraque omnia ad celebrandum necessaria componerent. Completa vero gente ecclesia p. Cassius surgens e sedili accessit ad altare, ut sacrum faceret et concionem ad populum ... Concione ac sacro sacrificio expletis ..... reverendissimus episcopus indutus episcopalibus indumentis mitratus cum sacerdotibus ministris solemne sacrum decantavit, sacerdotibus cantantibus ad ipsos spectantia Gregoriano cantu.

Igitur sacris omnibus expletis (tam adultis quam pueris confirmatis) reverendissimus laetantem populum gaudio maximo (propter sacra episcopalia ministeria antehac nunquam aspecta) denuo benedixit atque ad sua domicilia dimisit pacifice atque placide sine ullo malo occursu turcico ex Nimptio proximo castello; nonnunquam enim solet aliquis aut insolens aut ebrius aut improbus praedo christianos conventus conturbare imprudenter ut pecuniae aliquid (extorqueret) praecipue a sacerdotibus.

Ad parochi ergo domicilium sacerdotes cum reverendissimo humaniter ad prandendum invitati sunt, in quo domicilio etiam dominus Sefer Begus amicus hora prandii ad bibendum interfuit et ter aut quater parvo cibo contentus, sed potu copiosiore stomaco impleto, domum suam bene ebrius a suis servis adductus fuit alacrior sine rumore. Post prandium gratiis Deo actis et domino reverendissimo vale dicto ad rurales amicos, redituri crastina die, abierunt sacerdotes.

Convenerant enim omnes aliam invisere beatissimae Deiparae virginis ecclesiam natalitiam, quae ab antiquis temporibus exaedificata erat in ampla planitie multum distans a villis christianorum, quae ferme ubique sunt sive in silvis, arboribusque silvestribus circumquaque circumdatae, munitae septaeque ita, ut ad illas per parvas strictasque semitas difficilis equitibus pateat accessus (et propter spineta senticetaque et propter arborum ramos praecisos per semitam transversim), per quas tantum rurales undique utriusque sexus summo mane festini ad sacrum in ecclesia quasi formicae concurrebant; monebantur autem ubi sacrum futurum esset quocunque die festo .....

In ecclesia altari praeparato concederunt omni meliori modo sacerdotes, primum quidem ad praebendas aures confitentibus spatio horae unius, donec plurimi concurrerent ut et sacrum et concionem p. Cassii frequentes audirent. Reverendissimus enim episcopus postmodum celebraturus et chrisma collaturus frequentissimo coram populo sacrosanctam hostiam Deo offerebat, ceteraque sacra perficiebat, uti superius dictum est in aliis ecclesiis factitatum .....

Reverendissimus autem cum sacerdotibus invitatus ab amico rurali sumpto prandio post aliquantulam quietem ad proximi castelli Cadiam properarunt, ut principis Zarri diploma in suum codicem transcriberet, de more autentico, quo si forte illud excideret alicubi possent sacerdotes a Cadia descriptum denuo autenticum recipere, atque ut a se repelleret ipsemet Cadia, si qui ad ipsum contra sacerdotes accederent, qualescunque calumniatores vana aliqua concinnata fictaque.

Negotio autem cum Cadia confecto feliciter talaroque illi oblato pro transumpto in codicemque descripto ad villam proximam ecclesiae s. Catharinae virginis et martyris in domicilium amici catholici ante solis occasum admissi sunt benevolentissime ab ipsomet villae spahia, qui tunc aderat in domicilio et comparaverat se ad discedendum. Factoque cum sacerdotibus brevi colloquio humanius civiliusque quam putaverant vale dicto discessit, illosque domino domus commendavit.

Absoluto porro officio divino caenaque non mediocriter praeparata, hospes invitavit ad mensam quotquot aderent. Excusationem praemisit si forte cibi atque edulia minus grata, minus recte condita fuerint: in locis silvestribus sumus, mulieres nostrae domesticae de more suo, ut norunt, praeparant. Profecto excusatio non petita non fuit accusatio manifesta. Verum enim vero omnia fuerunt et edulia et condimenta civico modo et pergrato condita non sylvestri et gratissima convivis. Confecta caena Deo gratiis actis quisque supra stratum suum in solo paleis foenoque congestis sub stragulo seu decubuit vestitus, consopitusque usque ad auroram dormivit suavius quam in lecto intra linteamina et pulvinaria dormitare solent milites delicatuli et religiosi tenelluli.

Reverendissimo domino ceterisque experrectis ad s. Catharinae templum omnes ad sua celebranda profecti sunt, quibus peractis sumptoque ientaculo ad Asam Saniakum Sirmiensem Illokum cum munusculis rusticanis ipsimet Asamo offerendis concitata quadriga properarunt, ut ipsum domi, hoc est in palatio olim episcopali, invenire possent, quod quidem contigit opportune adventu sacerdotum ipso tunc ibi commorante quiescenteque. Post meridiem dominus Simon Matkovich peritus in agendo

cum Turcis dominis advocato uno ex famulis interrogatoque dominus Asam esset ne domi? ipse respondit: domi quiescit; tunc admonitus Chiehaya, domini secretarius, advenisse episcopum cum sacerdotibus cupientibus colloqui cum domino Asamo munusculaque ipsi offerre benevole atque ab ipso postulare nonnullas gratias, ut sacerdotes liberius agere possent cum cbristianis, qui sunt in suo (sandžacatu) et dominio. Secretarius ergo negotio bene intellecto conspectisque munusculis domino Asamo narravit rei totius tractatum.

Dominus autem Asam cum libentissime adventum sacerdotum audisset, praecipit secretario, ut ipse ad suum conspectum deduceret cum honore non vulgari.

Igitur introducti in cubiculum audientiae invenerunt dominum sedentem supra strato tapete insidentem pulvello purpureo more turcico, et parum a tergo dextrorsum sedit secretarius et scriba prope capsellam scriptoriam in specie pulcherrimam. Dominus autem erat honorifice purpuratus et in capite gestabat magnum candidumque turbantium in vertice purpuratum. Tabulatum vero elatius altiusque erat semihominis statura ultra mediocritatem proceri. Conspectis igitur sacerdotibus veste mercatoria vestitis ac tecto capite, manu tacto sibi pectore benevolentissime salutavit, praecepitque sederent supra scamnum oblongum pro omnibus praeparatum e regione domini in parte inferiori prope parietem. Turcico sermone nonulla verba dominus elocutus est, quorum sensus secretarius sic est interpretatus: magna dominus voluptate propter adventum vestrum affectus est, tum quia diligit christianos vestros, suos colonos, tum (quia) videt vos esse homines ingenuos sine fastu et pacificos in vultus vestri specie. Tum ipsemet dominus dalmatica lingua (erat enim natus in illa Dalmatiae parte, quae a Turcis ante centum annos occupata fuerat): scitote, inquit, boni viri, a me reductos in eum (hunc) ducatum seu sanciacatum omnes vestros christianos Sirmienses, qui annis superioribus, tempore belli Pannonici, profugerant quoque versus, in silvestria et montium loca tutiora propter tartaricas praedationes. Tartari enim nemini parcebant, neque ipsis colonis nostris, Zar autem noster princeps finito bello, propter res a me gestas bellica virtute fortiter liberum dominum huius sanciacati, militemque emeritum constituit. Ego itaque, quotquot sunt christiani in his coloniis, qui erant dispersi ac profugi, illos benevolentissime revocavi atque reduxi, ut liberrime christiano more sine ulla molestia vivere possent. Quod quidem vos videbitis et experiemini illos visitantes; et quoniam scio optare vos a me vobis liberam facultatem concedi ut in lege christiana illos instituere possitis, enim vero concedo amplissimam libertatem et facultatem. Hortor autem vos, ac si essem omnium pater, ne in aliquod vitae periculum incidatis, ut semper iter agatis via regia, quantum fieri poterit; praeterea cavete vobis a Janicerorum nostrorum familiaritate, nolite cum ipsis cibum potumque sumere, nisi necessitate cogente, ne vos molestiis rixisque contensiosis gravent et affligant post potationes alacriores amplioresque; ebrii enim multa mala faciunt etiam amicis. Memores estote huius mei consilii et non vos poenitebit.

Hic auditis maximas gratias illi egerunt dalmatico sermone sacerdotes pro tanta ipsius humanitate et benevolentia, tacto pectore et civili capitis

inclinatione discesserunt. Senex profecto septuagenarius prolixa barba, canitie venerando atque decoro dignus imperio, venustissima faciei specie spectabilis, colloquio suavissimus erat. Verum deerat illi vitae christianae professio atque confessio fidei, quam parvulus a parentibus in sacro baptismatae susceperat.

Porro prope episcopale olim palatium Illociense viderunt, magna cum moestudine ac contristatione templum satis amplum pro equis foeno repletum, in quo tectum fulciebatur columnis non minus crassis quam sunt columnae exteriores in portico vaticano principis apostolorum sancti Petri. Situs autem oppidi Illocei non multum a ripa Danubii visebatur in loco eminentiori.

Ascendentibus, negotio optime cum domino Asamo confecto, in quadrigam sacerdotibus cum reverendissimo episcopo, auriga percussis equis suo flagello, concitato cursu, reversi sunt ad parochum Nimtiensem salvi, illaque nocte in suo domicilio dormientes a domino amico Sefer bego suum currum impetrarunt, in quo possent proficisci Biogradum . . . Sirmio pertransito Zemunum, Belgradumque concitata festinatione ante noctem pervenerunt.

Hunc itaque finem habuit prima excursio seu visitatio sirmiensium christianorum a reverendissimo episcopo facta cum p. Cassio, domino Simone ceterisque sacerdotibus, quam in suo libro descripsit reverendissimus atque in ea omnia in dies gesta consignavit singillatim, quae tamen in meas manus non pervenit.

Ex autobiographia mss. quae sub numero 325 in bibliotheca fratrum minorum Ragusii custoditur.

MCCXXXIII. 1616, 31 Augusti, Romae.

Paulus PP. V litteris suis, paternae charitatis refertis „catholicis in civitatibus Buda, Quinqueecclesiis, Posega, Albagraeca (Belgrad), Sirmio, Tamisvar ac in omnibus aliis locis sub ditione Turcarum in Europa degentibus", indulgentiam plenariam elargitur.

Tabularium vatic. secret. Brevia Pauli V. tom. III p. 37.

MCCXXXIV. 1618, 11 Aprilis, Romae.

Quaedam circa nominationem parochorum in Bosna decernuntur.

Ad instanza del vescovo di Bosna. Primo: Che non possano i provinciali dei frati minori osservanti della detta provincia conferire parochie a frate alcuno senza il consenso et approvazione del vescovo, e quando occorre di rivocarli sotto pretesto delle loro congregazioni et altra causa non possono farlo, se però non vi sarrà sostituito altro sacerdote idoneo col consenso del vescovo.

Sacra congregatio probavit et mandavit omnino servari 11 Aprilis 1618 nr. 17. Bibl. casanat. Romae cod. X, 3 fol. 92.

MCCXXXV. 1618, 26 Maii, Romae.

Thomas electus Bosnen. episcopo et capitulo Jaurinensi commendatur.

Venerabili fratri episcopo Jaurinensi Paulus PP. V. Venerabilis frater salutem et apostolicam benedictionem. Cum dilecto filio Thomae electo

Bosnensi istius ecclesiae custodi et canonico, paternae charitatis officia impendere nostri muneris esse intelligamus, fraternitatem tuam hortamur, ut quem in Domino habere te non dubitamus, eum nostra etiam causa complectaris ac quacunque re poteris iuves; nam praeterquam quod tuae pietatis opus feceris, nobis pergratum erit; nostram vero in fraternitatem tuam voluntatem tuis meritis parem, ubicunque cum Domino licebit, ut agnoscere possis praestabimus. Interim nostram apostolicam benedictionem tibi peramanter impartimur. Datum Romae apud s. Mariam maiorem sub annulo piscatoris die XXVI Maii MDCXVIII. pontificatus nostri anno XIII. S. card. sanctae Susanae.

Dilectis filiis capitulo et canonicis ecclesiae Jaurinensis Paulus PP. V. Dilecti filii salutem et apostolicam benedictionem. Et si non ambigimus, quin vos dilecto filio Thomae electo Bosnen. collegae vestro fraternam charitatem impendatis, ita ut quibuscunque rebus in domino vobis conceditur iuvare, sponte vestra parati sitis, tamen pro nostra in eum paterna voluntate eum vobis libenter commendamus sperantes in domino, nostra huiusmodi illud Thomam consecuturum, ut vestra in se officia, qua estis in nos et hanc sanctam sedem devotione multo promptiora experiatur, quod nobis pergratum futurum pro comperto habeatis. Datum Romae apud s. Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die XXVI Maii MDCXVIII. pontificatus nostri anno XIII. S. card. sanctae Susannae.

Tabular. vatican. secret. Pauli PP. V. epistolae ad principes viros, ad hunc. ann fol. 328.

MCCXXXVI. 1622, Romae.

Simeon Joannis Matchovich Bosnensis et in partibus Serbiae, Slavoniae et Hungariae australis, Turcae subiectis, missionarius rogat, concedi sibi parochiam Bunjevci, archidioecesis Colocensis, cum antiquis facultatibus; item adiuvari ut quaedam privilegia, a Turcis concessa, pro bono ecclesiarum recuperare possit.

Idem petit recommendari legato Galliarum Constantinopoli residenti et episcopo Zagrabiensi, ut possit obtinere testimoniales, quae apud episcopum Pristinensem novissime mortuum servabantur.

In tabul. vat. vol. memoriali 382, fol. 93 et 114.

MCCXXXVII. 1622, 19 Novembris, Romae.

Fr. Antonius episcopus Scardonensis deputatur in administratorem ecclesiae Bosnensis.

Georgius PP. XV. Venerabilis frater etc. Cum, sicut accepimus, venerabilis frater Joannes episcopus Bosnen. a suis civitate et dioecesi Bosnen. certis de causis praepeditus absit: nos ne propterea dicta ecclesia Bosnen. aliqua in spiritualibus et temporalibus detrimenta patiatur, pro nostri pastoralis officii debito munere, quantum cum domino possumus, providere volentes ac de tua fide, prudentia, doctrina et religionis zelo plurimum in Domino confisi, tibi qui ecclesiae Scardonen. praeesse dignosceris, ut ad triennium proximum dumtaxat Joanne episcopo praedicto absente et interim donec alius episcopus ad infrascripta ab eodem Joanne

episcopo deputatus fuerit, munus et officium episcopale perinde ac episcopus in sua dioecesi potest ac debet, exercere libere et licite possis et valeas, apostolica auctoritate tenore praesentium facultatem concedimus et impartimur. Mandantes propterea dilectis filiis clero et populo civitatis et dioecesis Bosnen. ceterisque ad quos spectat, ut tibi in praemissis et quae eis in Domino mandanda duxeris pareant, obediant et assistant alioquin sententiam sive poenam, quam rite tuleris seu statueris in rebelles, ratam habebimus et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Non obstantibus apostolicis ac in universalibus, provincialibus et sinodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus ac dictae ecclesiae Bosnen. etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis eorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris hac vice duntaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscunque. Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die XVIII Decembris MDXXII pontificatus nostri anno secundo. S. card. s. Susannae.

A tergo: Venerabili fratri Antonio episcopo Scardonen. et administratori Bosnen.

Tabular. s. congregationis Brevium. 1624 volum. mensis Augusti fol. 352.

MCCXXXVIII. 1623.

Fr. Paulus Papić a Sarajevo annunciat beatam mortem fr. Petri Salini episcopi Sophiensis contigisse die 4 Aprilis anni 1623.

Beatissimo Padre. Fra Paolo Papich, del ordine di s. Francesco de minori osservanti della provincia di Bosna Argentina nella Turchia, espone a pie della Santità Vostra, come alli 4 d'Aprile passò a meglior vita l'anima del Padre fra Pietro della medesima provincia vescovo di santissima vita, come si puo argomentare dalle innumerosissime buone operationi sue e conversioni di tante e tante anime già smarite in quelle parti medesime della Turchia, ove prima non si nominava il santissimo nome di Gesù, però essendosi ridotta colla delle predicationi e con essemplarità di detto padre e santo vescovo la gloriosa pianta della santa fede; si supplica la S. V. che voglia provedere di nuovo pastore per il medesimo luogo d'un frate della medesima nostra religione non essendoci colà altri religiosi che amministrino gli sacramenti, acciò non si dissechino quelli pretiosi frutti dell' anime convertite, ma s' augmenti sempre più per gloria d' Iddio e della santa chiesa, il che ricevendo à singolar favore vi verà perpetuo oratore per la conservatione della S. V. Quam Deus . . .

Fr. Paulus Papich et fr. Georgius Bosnensis, ex alma urbe in patriam reversuri rogant aliquod subsidium sibi dari „poiche per le grand' angarie che quotidianamente gli sono dal' istesso Turco imposte non pos-

sono quasi più supplire et resistere senza qualche aiuto particulare, come già gli è stato esposto più diffusamente in un altro memoriale . . .

(In dorso): Die 24 Octobris 1623. Sacra congregatio ad relationem cardinalis decrevit litteras quaesturias ad principes pro patribus Bosnensibus, easque mandavit expediri.

Tabularium s. Congregationis de propaganda fide. Vol. 384 fol. 74.

MCCXXXIX. 1623.

Fr. Elias Marinić significat s. sedi, fr. Petrum Salinum Bosnensem episcopum Sophiensem, Bulgariae apostolum, mortem oppetiisse sanctissimam; describit statum ordinis franciscani in Bulgaria, indicat privilegia ab aula Constantinopolitana in favorem ecclesiae catholicae obtenta et nonnullos favores orat.

Illustrissimi e reverendissimi S. S. Sendosi compiaciuta la Benignità del Padre delle misericordie di suegliare piante della religione cattolica nel grande regno di Bulgaria, ottocento anni sono indurato nello scisma et heresie, oltra le particolari delli Paoliniani, antichissima peste di quel regno, ecciò per apostolica opera di frate Pietro, vescovo Sardicense, primo prelato cattolico alli tempi di Clemente VIII; et essendo detto prelato passato al felice godimento delle sue cattoliche fatiche[1]) e perciò rimasovi quel grege non solo privo del suo prelato ordinario, ma li quattro conventi et nove case parochiali, nelli quali egli vi ha lasciato 30 sacerdoti et 20 chierici del suo ordine di frati minori osservanti, senza alcun superiore che li rega, vesta et accetti al habito, come egli faceva con autorità apostolica: Fr. Elia Marini, Bulgaro del medemo ordine et paese, mandato al fonte della pietà romana dalli cattolici et religiosi di quel regno, sottoposto totalmente al Turco, a nome delli suoi paesani et come quello che non solo dal principe della vicina Valachia è stato ricercato a voler pigliar la cura di 3 conventi occupati dalli heretici per mantenimento di frati, ma personalmente trasferitosi l' anno passato a Constantinopoli ha ottenuto da quella corte privilegio amplissimo per chiese, religiosi e predicatori cattolici nella Bulgaria e Valachia, unite insieme, siano erette in una provincia della religione dei minori osservanti di s. Francesco con quelli privilegii et ordini, che godono altre provincie della medema religione, dovendo ciò risultare a gloria del signor Iddio et propagatione della santissima religione christiana. Che della gratia etc.

Tabular. congreg. de propag. fide, vol. 384 fol. 263.

MCCXL. 1624, 27 Februarii.

Minister provincialis orat summum pontificem, ut oratorium s. Petri Belgradii, quod ab immemorabili sub iurisdictione episcopi Bosnensis erat, tanquam dicto episcopo subiectum confirmet.

Beatissime Padre! Il provinciale de frati minori osservanti della provincia dì Bosna espone humilmente alla Santità Vostra, come in detta

[1] Die 4 Aprilis Salinis in Bosna.

provincia vi è l'oratorio di s. Pietro vel alterius in Belgrado, nel quale si radunano i mercanti et altri fedeli per ricevere li ss. sacramenti della santa chiessa; e da che l'imperio de Turchi s' impadroni di detta provincia è stato sempre sottoposto detto oratorio al vescovo di Bosna, nel quale anche esercitava la giurisditione et pontificalia per spatio di cento anni con quiete et pace di quel popolo; ma da cinque anni in quà ha preteso dello oratorio il vescovo di Samandria con dire d'haver un breve della sede apostolica, et perchè una volta detto vescovo volse venir a prender il possesso et far li atti giurisditionali, messe sotto sopra tutto quel popolo christiano con pericolo di perder molte anime et di far pagar grandissima quantità di denari ai Turchi, essendo forastiero di natione et lingua diversa et sospetto ai Turchi non essendo sotto la loro giurisditione.

Però l' oratore in nome di questa christianità supplica humilmente a V. Santità a degnarsi confermare la consvetudine immemorabile unendo detto oratorio al vescovato di Bosna, cosi si quieteranno le anime, si augmentarà il culto divino, saran tolti i scandali et sospetti. Et per tal gratia etc.

(In dorso): Die 27 Februar 1624 S. congregatio iussit in huiusmodi negotio supersederi usque ad adventum Petri Masarechi, visitatoris apostolici Bosnae; et ad relationem ementissimi card. Valerii die 12 Martii 1624 episcopo Bosnensi et eius successoribus, ut continuent suam possessionem, donec aliud a sanctitate sua aut s. congregatione de propaganda fide determinatur.

Tabular. congreg. de propag. fide vol. 384 fol. 204.

MCCXLI. 1624, 27 Februarii, Romae.

Fr. Paulus Papić, ut capella Belgradiensis maneat sub iurisdictione episcopi Scardonensis.

Illustrissimi et reverendissimi signori. Nella città di Belgrado in Turchia vi è una capella delli mercandanti Ragusei e Bosnesi sotto la diocesi di Samandria, il quale sta in Vngaria sotto l' imperio di christiani, et non si cura ne meno di questa capella essendo in Turchia, la quale da cento anni in qua è stata sempre offitiata dalli frati minori osservanti del ordine di s. Francesco, et suffragata dal vescovo di Scardona dell' istesso ordine con quiete et pace senza scandalo alcuno.

Poi da sei anni in quà venne il vescovo di Prisdreno con dire di haver un breve apostolico sopra quella capella, il quale per pigliare ivi il possesso fece grandissimi rumori e scandali, ma da un anno in quà è morto et spirato il suo breve, però si desidera, che detta capella resti come è stata per il passato sotto il governo del sopradetto vescovo di Scardona, il quale è hora il Padre fra Antonio Bosnese. Che il tutto.

Fr. Joannes Bapt. de monte Corvino, procurator generalis ordinis, testatur: quod fr. Paulus Bosnensis sit a populis illarum partium Romam missus, ut negotium capellae Belgradensis pertractet. In Araceli il 27 Febraio 1624.

Tabular. congreg. de propag. fide vol. 384 f. 203, 205.

MCCXLII. 1624, 31 Maii, Romae.

Antonius, episcopus Scardonensis et episcopatus Bosnensis administrator, rogat quasdam facultates pro fidelium bono innovari.

Beatissimo Padre! Il vescovo di Scardona supplica humilmente V. S. a degnarsi far li gratia dell' infrascritti capi per poter proveder alli bisogni e necessità de fedeli posti fra tante nationi infedeli schismatiche et heretiche in cosi lontani paesi.

1. Che si confermi la determinatione de confini della sua diocesi già stabiliti da Gregorio XIII. e Sixto V in persona del suo antecessore.

2. Che si confermi l'amministrazione di Bosna e d'altri luoghi sotto il Turco concessa li da Gregorio XV. ad triennium, e questo donec episcopus Bosnensis Joannes nuncupatus absens fuerit.

3. Che si confermi il Breve concessoli dal Papa Gregorio XV. ad biennium continente varie facoltà circa gli ordini, parrochie, irregularità, matrimonii, assoluzioni da casi reservati et altre, e questo ad decennium, stante che li paesi sono lontani senza corrieri ordinarii e con pericolo de Turchi.

4. Che possa elegere per sua residenza qual monastero de frati osservanti di Bosna parerà al oratore.

5. Che detti frati in materia delle parochie et administrationi de sacramento siano sudditi al vescovo conforme al s. concilio di Trento, e la Bolla di Gregorio XV. de regularibus.

6. Che il guardiano di s. Spirito di Huogoniza (Hvojnica) non possa elegere da detti fratti senza haver il Placet del vescovo, e questo per maggior sua quiete.

7. Che possa conferir tutti li ordini sacri uno die per il pericolo che corrono gli ordinandi, che vengono da luoghi lontani.

8. Che possa far l'olii santi e la cresima in aliquo festo infra annum con 6 o 5 sacerdoti per la penuria d'essi.

9. Che dicendo l'officio de regolari con li frati di Bosna in choro satisfaccia.

Die 31. Maii 1624. Sanctissimus in congregatione de propaganda fide iussit pro praedictis omnibus adiri reverendissimum Vulpium, qui de iis aget cum Sanctitate Sua. Octav. card. Bandinus. Franciscus Ingolus a secretis.

Tabular. s. congregationis Brevium, an. 1624 volum. mens. Augusti fol. 344.

MCCXLIII. 1624, 23 Julii, Romae.

Vincentius a Kobaš rogat: vellet sacrum cardinalium collegium aliquem locum Romae eidem assignare, ubi litteris studere posset.

Vincenzo di quondam Francesco di Cobas in Turchia, di rito latino catholico et parenti medemamente catholici, delli quali da paniculo essendo restato privo, fù da Turchi in diversi modi etiam con minacie tentato a rinegare la fede di Christo, nella quale egli stando constante, per sfugire le diaboliche persuasioni et minacia di detti Turchi, lasciò la patria, et quanto havea ritirando si nelle Bossina, dove havendo dimorato alquanto tempo occulto in un convento et sotto la disciplina di

*

Padri di s. Francesco, in detto tempo non mancò di imparare lettere, nelle quali si trova alquanto instrutto; finalmente per opera di detti padri essendo stato inviato secretamente alla volta di Traù in Dalmatia, di dove poi col aiuto di quel vescovo, del quale anco tiene fede di quanto ha narrato di sopra, si ha transferito qui a Bosna; sapendo dunque quanto le signorie loro illustrissime sono facilmente inclinate di aiutare li poverelli et massime li christiani, che stanno sotto la tirannide turchesca, le supplica in visceribus Jesu Christi, che si degnino provederlo di loco et trattenimento, dove possa studiare et mettere in essecutione il suo buon pensiero, che è di diventar sacerdote, che resterà obligato di pregare il S. Dio per la felice conservatione et essaltatione delle signorie loro illustrissime.

In dorso: Die 23 Julii 1624. S. congregtio iussit commendari oratorem cardinali Borghesio pro loco in collegio Clementino. Vincent. Romae existens libellum supplicem, ut supra, porrexit.

Tabular. congreg. de propag. fide vol. 384 fol. 410.

MCCXLIV. 1624, 30 Julii, Romae.

Fratri Antonio, episcopo Scardonensi, prorogatur facultas administrandi ecclesiam Bosnensem, data etiam potestate seligendi sibi pro habitatione unum e conventibus fratrum ordinis s. Francisci provinciae Bosnensis etc.

Urbanus PP. VIII. Venerabilis frater salutem et apostolicam benedictionem. Cum, sicut accepimus, venerabilis frater Joannes episcopus Bosnen. a suis civitate et dioecesi certis de causis praepeditus absit, nos ne propterea dicta ecclesia Bosnensis aliqua in spiritualibus et temporalibus detrimenta patiatur, pro nostri pastoralis officii debito munere, quantum cum Domino possumus providere volentes, ac de tua fide, prudentia, doctrina et religionis zelo plurimum in Domino confisi, tibi, qui ecclesiae Scardonensi praeesse dignosceris, ut ad triennium proximum duntaxat, Joanne episcopo praedicto absente, et interim donec alius episcopus ad infrascripta ab eodem Joanne episcopo deputatus fuerit, munus et officium episcopale, perinde ac episcopus in sua dioecesi potest ac debet exercere; nec non pro tua habitatione quamcumque regularem domum ordinis fratrum minorum s. Francisci de observantia nuncupatorum inibi existentium tibi bene visam eligere, libere et licite possis et valeas, apostolica auctoritate tenore praesentium facultatem concedimus; quod divinum (officium), horas videlicet canonicas, cum eisdem fratribus recitare, sicque recitando obligationi idem officium recitandi in omnibus et per omnia satisfacias, auctoritate et tenore praesentium concedimus et indulgemus. Mandantes propterea etc. (ut in Brevi Gregorii PP. XV. Cum sicut. Dat. Romae die XVIII. Decembr. MDCXXII.) Datum Romae apud s. Mariam maiorem die XXX Julii MDCXXIV pontificatus nostri ann. I. V. Theatinus.

(A tergo): Venerabili fratri Antonio episcopo Scardonensi et administratori Bosnensi.

Tabular. s. congregationis Brevium 1624. vol. mens. Augusti fol. 351.

MCCXLV. 1624, 30 Julii, Romae.

Fr. Antonio episcopo Scardonensi et administratori Bosnensi conceditur facultas specialis sacra olea conficiendi.

Venerabili fratri Antonio episcopo Scardonensi. Urbanus PP. VIII. Venerabilis frater salutem et apostolicam benedictionem. Cum, sicut nuper exponi fecisti, in provincia seu regno Bosnae et finitimis regionibus Turcarum tyrannidi subiectis, ubi commorari consuevisti, pauci admodum sacerdotes pro sacro chrismate et oleo catechumenorum et infirmorum benedicendo reperiantur et periculosum sit admodum chrisma et oleum huiusmodi de uno ad alium locum propter illorum distantiam transferre, nobis propterea humiliter supplicari fecisti, ut tibi de opportuna licentia sacra olea conficiendi providere de benignitate apostolica dignaremur: Nos igitur te specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis etc. . . . censentes, tuis hac in parte supplicationibus inclinati, tibi, ut, quamdiu in illis partibus fueris, chrisma et oleum cum numero quinque in die Caenae Domini, servatis in reliquis servandis, consecrare et benedicere libere et licite valeas, apostolica auctoritate tenore praesentium licentiam concedimus et impartimur. Non obstantibus apostolicis et in universalibus provincialibusque et sinodalibus conciliis editis generalibus constitutionibus et ordinationibus ceterisque contrariis quibuscunque. Datum Romae apud s. Mariam maiorem die 30 Julii 1624, pontificatus nostri an. I. V. Theatinus.

Tabular. s. congregationis Brevium 1624 volum. mensis Augusti fol. 392.

MCCXLVI. 1624, 9 Novembris, Romae.

Urbanus PP. VIII. non obstantibus impedimentis vult, ut collegium Illyricum in oppido Loretto erigatur.

L' ambasciatore Contarini hier mattina prese a dire tanto per impedir la deliberatione fatta della congregatione de propaganda fide di rimetter a Loretto il collegio illirico, che N. S. fù necessitato a dirgli, che assolutamente voleva, che cosi si facessi; e passando d'una cosa in un' altra S. Santità si dolse ancora dell' haver fatto venir costà l' inquisitor de Ceneda, a segno che replicando il veneto, esser solita la republica di cosi fare per buon governo, S. Santità fini con dire, che: sapientia huius mundi stultitia est apud Deum.

Bibl. vatic. Ottobon. cod. msc. 3221 fol. 59.

MCCXLVII. 1625, 17 Martii, Romae.

Petro Mesarrecchio, archiepiscopo Antibarensi, conceduntur facultates pro administranda ecclesia in partibus Serbiae et vicinis, Turco subiectis.

Decretum s. congregationis de propaganda fide habitae die 17 Decembris 1624. Sacra congregatio, annuente sanctissimo domino nostro, censuit dicto Petro Mesarechio, archiepiscopo Antibarensi, concedendas esse facultates, quae concessae fuerunt fr. Eliae, episcopo Sophiensi et episcopo Bosnae Argentinae. Octav. cardin. Bandinus. Franciscus Ingolus a Secretis.

Urbanus PP. VIII Brevi „Cum sicut" edito Romae die 17 Martii anni 1625 rogatas facultates concessit.

Tabular. s. congregationis brevium. An. 1625. vol. mens. Martii fol. 210.

MCCXLVIII. 1625, 1 Junii, Romae.

Decreta quaedam s. congregationis ad preces episcopi Semendriensis.

Nota delli negotii spediti in congreg. de propag. fide li 23 Maggio 1625 per haver il placet di N. S. 1. . . . . 2. S' è decretato, che il vescovo di Samandria possa haver dal Generale de minori osservanti frati di lingua illirica per assegnarli le cure dell' anime nelle diocesi d' Ungaria sotto il Turco a lui assegnate stante la penuria de sacerdoti. 3. Il medesimo decreto s' è fatto per il vescovo di Catharo, per un frate dello stesso ordine e lingua, da metter alla cura d' alcune parochie della detta diocesi per vi esser sacerdoti.

S. D. N. Praefata decreta s. congregationis de fide propaganda probavit die 1. Junii 1625. Octav. card. Bandinus.

Supplicat, ut supra, episcopus Samandriensis, cuius supplex libellus lectus fuit in s. cogreg. 23 Maii 1625.

Tabular. congreg. de propag. fide vol. 305, fol. 111—117.

MCCXLIX. 1625, 12 Junii, Romae.

Urbanus PP. VIII. fr. Alberto Rengjić, episcopo Samandriensi, committit curam fidelium „inter flumina Dravi, Savi, Danubii, Tibischi, ac in specie Bačke usque ad Temisvar regni Hungariae."

Tabularium congregationis Brevium a. 1625, vol. mensis Julii, fol. 532.

MCCL. 1625, 22 Augusti, Romae.

Ut episcopus Samandriensis Belgradi residere possit.

Decretum s. congregationis de propaganda fide coram sanctissimo habitae die 22 Augusti 1625. Sacra congregatio iussit, ut in Brevi facultatum concessarum fratri Alberto, episcopo Samandriensi, addatur clausula, quod ipse possit suam ordinariam residentiam facere in oppido Belgradi, vel expediatur novum Breve continens huiusmodi facultatem.

(L. S.) Card. Ludovisius praefectus. Francisc. Ingolus a Secretis.

Summus autem pontifex Brevi: Christifidelium inter flumina Dravi etc. edito Romae apud s. Mariam maiorem die 23 Septembris 1625 an. 2. praefatum decretum apostolica auctoritate confirmavit.

Tabular. s. congregationis Brevium an. 1625 vol. mens. Septembris fol. 595.

MCCLI. 1625, 5 Septembris, Romae.

Fr. Benignus a Genua, commissarius generalis, proponit s. sedi ad dignitatem episcopalem in Bosna eligendos.

Beatissime Pater! Havendo mi dato ordine la s. congregatione de propaganda fede, che dovessi significare a V. Santità alcuni religiosi della provincia di Bosna Argentina . . . idonei per esser promossi al vescovato Bosnese, notifico a V. Santità, che quivi si trovano molti Padri, buoni religiosi e sufficienti, però in particulare vi è: 1. Il fra Tomaso Hivckovich al presente ministro di detta provincia (Bosna Arg.), d' età di anni 52, di religione 32, buon predicatore; ha studiato teologia in Brescia, nella religione have havuto molti officii e dignità, cioè: diffini-

tore, custode, capellano otto anni à (Banjaluka) ove risiede il bassa, e due volte ministro provinciale, quali officii ha lodevolmente esercitato con buon essempio e dottrina. 2. Vi è il Pre fra Nicolo Braicovich, d' età anni 50, di religione 30, predicatore, ha studiato teologia in Ferara, nella religione è stato guardiano e definitore. 3. Vi si trova il Pre fra Girolamo Bogoslavichi, d' età anni 50, di religione trentadue, predicatore; ha studiato a Bologna, nella religione è stato guardiano e diffinitore. 4. Vi è il Pre frate Andrea di Camengrado, 45 anni d' età, di religione 25, predicatore, ha studiato in Peruggia, nella religione è stato definitore. E tutti questi quattro Padri hanno sostentato conclusioni publici di sacra teologia; che è quanto con verita m' occorre significare a V. Santità. Quem Deus

In dorso. Die 5 Septembris 1625. S. congregatio censuit, si placuerit Sanctissimo, ad ecclesiam Scardonensem in regno Bosnae, per obitum fr. Antonii illius ultimi et immediati pastoris, vacantem promovere fr. Thomam Hivchovich Bosnensem ministrum provintiae.

Tabularium congreg. de propag. fide, vol. 385 fol. 610.

MCCLII. 1625, 25 Octobris et 19 Novembris, Romae.

Fr. Thomae Ivković, episcopo Scardonensi, committitur cura et administratio ecclesiae Bosnensis.

Decretum s. congregationis de propaganda fide coram sanctissimo habitae die 29. Octobris 1625. Ut populi christiani Bosnae pastoris et episcopi residentis solatio frui possint, nihil(que) eis desit, quod per curam pastoralem ministratur, s. congregatio, S. D. N. comprobante, ad relationem illustrissimi domini cardinalis s. Susanae censuit fratri Thomae Hiukovich, electo episcopo Scardonensi, curam ecclesiae Bosnensis, uti sedis apostolicae delegato, esse committendam, donec Joannes Tigledinus ad eam ab imperatore nominatus, post canonicam promotionem et consecrationem creatus episcopus, ad residendum in ea ecclesia se transtulerit, ceterarum vero ecclesiarum eiusdem regni Bosnensis, episcopis carentium, administrationem ad sanctitatis suae et eiusdem sedis beneplacitum esse concedendam. Card. Ludovisius praef. Franciscus Ingoli secret. (L. S.)

Sanctissimus vero Dominus Urbanus PP. VIII. Brevi, quod incipit „Commissi nobis", Romae apud s. Mariam maiorem die 19 Novembris 1625 edito, praefatum decretum pro solatio ecclesiae Bosnensis pastore destitutae confirmavit, „donec illi de persona dilecti filii Joannis Tigledini (Telegdi) Bosnen. seu alterius dioecesis, quem eidem ecclesiae Bosnensi in episcopum praefieri intendimus et pastorem, per nos apostolica auctoritate provisum fuerit, ipse Joannes sic provisus, et munere consecrationis huiusmodi suscepto, ad residendum in ipsa ecclesia Bosnensi se contulerit . . ."

Tabular. s congregationis Brevium, an. 1625, vol. mens. Novembris fol. 45, 46.

MCCLIII. 1625, 5 Novembris, Belgradi in Serbia.

Fr. Albertus Rengić Ragusinus, episcopus Semendriensis, significat secretario s. congregationis suum in dioecesin adventum.

Reverendissimo signore, Padrone collendissimo! Il giorno di s. Simone e Giuda del passato giunsi a Belgrado con hauer speso quindici giorni per il viaggio da Ragusa, che se bene in altri tempi bastano dodici e anco manco, tutta via in questa staggione per rispetto delle rotture di ponti, che passano le aque, li ha bisognato pigliar le strade di monti e di boschi con molto pericolo e di gente di mal fare e di precipitii ha bisognato slungare, per gratia di Dio e mediante l' interventione di deuoti christiani siamo giunti senza alcun incontro, e siam stati riceuuti con gusto et allegrezza di tutti questi christiani, con li quali procurarono passarla in s. pace agiustarli le nostre attioni con meglio indrizzo, che li sarà possibile. Qui mi tratenerei per qualche settimana per dar indrizzo a quello, che sarà d espediente per il governo della diocesi, e per che s' auuicina l'anno santo, che da nro signore m' è concesso, bisogna tratenersi per le feste di Natale a pro malgusto (?), dal tutto darò raguaglio alla giornata a v. rm. e alla s. congregazione. La cura è grande e molto si estende, e vuole tempo, le spalle mie sono debole, non dimeno la gratia di Dio è sopraabondante, sopra la quale appogio tutti li miei pensieri. Pregarò V. S. rma resti di fare, che il Achile Venere faci li mandati a tempo, quando bisognerà per s. Gioanni di Xbre, e quello di Giugno, acciò che io mi possa preualere del denaro per li miei bisogni, per che m' ha bisognato indebitarmi per molte spese occorse in cosi longo e fastidioso viaggio, dove sono occorse spese da non credersi e per trovar presente e per pagar il Gianniciaro, e altre, che son occorse nominare. In somma altro non addiuvatolo, se non quello, che mi si deue, mi sarà dato a tempo debito per meglio preualermi per li quotidiani bisogni. In questo vs. rma mi sia favorevole, che per hora non scrivo al signor Achille Venereo, ne occorrendo mi altro per fine l... Da Belgradi il di 5 di Novembre 1625. Di vs. rma servo humilissimo obligatissimo frat' Alberto vescovo di Samandria.

Tabularium congreg. de propag. fide, vol. 56 fol. 210.

MCCLIV. 1625, 19 Novembris, Romae.

Provincia Bosnensis supplicat S. Sanctitati, concederet, ut hac vice soli patres definitores et exprovinciales possint convenire ad eligendum novum ministrum provincialem in locum fr. Thomae Ivković, nominati iam episcopi.

Beatissimo Padre! La provincia di Bosna Argentina de minori osservanti di s. Francesco, paesi soggetti al Turcho, espone: come havendo V. S. promosso al vescovato di Scardona il P. fra Thomaso Ivcovich, ministro attuale di essa, hor resta senza ministro, non solo per esser governata conforme alla regola, ma per venire alla congregatione generale all' elettione del commissario generale secondo la bolla di Leone X. di fel. memoria. E perchè il congregare nuovo capitulo per far nuova elettione sarià di molto disturbo per la lontananza de paesi, ove stanno

dispersi i conventi e frati, quali devono convenire; et anco per la spesa non solo per l' istessi frati, ma per li Turchi, quali vogliono essi dar la licenza non senza molto tributo, volendo come sospettosi saper quel che si deve trattare nei detti capitoli: supplicha detta provincia V. S. per evitare tanti disturbi, incomodità e spese, essendo di pochi mesi celebrato l' altro capitulo, si degni concedere, che l' elettione del nuovo ministro si possa far per questa sol volta da padri definitori attuali, e da quei, che sono stati ministri provinciali dell' istessa provincia, si come è stato solito di concedersi in altre provincie in simili occorrenze da V. S. et altri pontefici. E di più che il detto padre fra Thomaso, o prima o dopo consecrato, sia presidente col suo voto in detta elettione, acciò sia eletta persona idonea. Che l' haverà a gratia da V. S. Quam Deus etc.

Nro. 17. Die 17 Novembris 1625. In consistorio secreto. Ad relationem illustrissimi cardinalis Bandini Sanctissimus Dominus N. definitoribus modernis provinciae Bosnae Argentinae et aliis fratribus, qui eiusdem provinciae hactenus ministri extiterunt, iustis de causis, facultatem et auctoritatem concessit, ut possint, pro hac vice tantum, sine capitulo provinciali eligere ministrum eiusdem provinciae in locum fr. Thomae Hiucovich. 19 Novembris 1625. Expeditum per cardinal. Bandinum.

Tabularium congreg. de propag. fide, vol. 385 f. 469.

MCCLV. 1625.

Episcopi Macariensis et Scardonensis rogant s. sedem, ut in quibusdam disciplinaribus quoad parochos Bosnae provideatur.

Beatissime Pater! In regno Bosnae inter fratres, qui curam animarum habent, inter alia hic viget abusus, videlicet: dum parochi in parochiis delinquunt et postea ad monasteria se transferunt, dictorum fratrum superiores, prout est minister provinciae, eorumque guardiani sine licentia episcopi, et non facto praevio examine, immo ob solum odium contra tales conceptum, dictos parochos de erroribus in parochiis commissis puniunt. Quod cum fiat in contemptum iurisdictionis episcoporum, supplicant episcopus Macariensis et episcopus Scardonensis, ut huic etiam inconvenienti provideatur et in hoc stricte prohibeatur. Quam Deus etc.

Tabular. congreg. de propag. fide, vol. 390 f. 236.

MCCLVI. 1625, 10 Decembris, in Bosna.

Fr. Thomas Ivković „electus episcopus Bosnae et Diacovi" patribus ex societate Jesu Quinqueecclesiensibus facultatem administrandi sacramenta concedit.

Nos fr. Thomas a Fojniza, ordinis minorum de observantia in provintia Bosnae Argentinae minister, et Dei gratia ac sedis apostolicae eiusdem Bosnae et Diacovi episcopus electus. Dilectis nobis in Domino filiis, reverendo patri Matthaeo Vodopie et reverendo patri Georgio et aliis patribus ex societate Jesu salutem. Cum charitatis officium postulat, ut omnibus, quibus possumus, Christi fidelibus iuvemus, in his, quae ad salutem animarum pertinent, maxime pacem seminantes et iurgia evellentes, his nostris vobis facultatem concedimus, ut in dioecesi Quinqueecclesiensi animarum curam habeatis et omnia sacramenta ecclesiastica

administrare possitis, simulque concionatores, quos idoneos iudicaveritis, instituere, ineptos vero destituere, et nullus omnino audeat hoc officium exercere absque nostra licentia; haec omnia et alia ad nos pertinentia cum nostra plena auctoritate facietis, dum eritis almae religionis societatis Jesu. Valete, Deumque pro nobis exorate. Datum Bosne die X Decembris 1625. Fr. Thomas qui supra. (L. S.)

Omnibus, in quorum hae manus pervenerint, fidem facio, esse verum exemplar litterarum, quas dictus electus reverendissimus nostris patribus Quinqueecclesiarum, non petitas misit, quarum originales apud dictos patres remanserunt, in quorum fidem propria manu subscripsi. Marinus de Bonis societatis Jesu.

Archiv. s. congreg. de fide propagand., vol. 56 fol. 213.

MCCLVII. 1626, 16 Junii, Romae.

Favores fratribus Bosnensibus concessi.

Die 16 Junii 1626. n. 9. Fuerunt concessa fratribus Bosnensibus quatuor loca pro quatuor fratribus eiusdem provinciae, assignanda in conventibus s. Bartholomaei de Insula et s. Petri de Monte Auro de Urbe vel in aliis conventibus, studiis deputatis, ut in illis dicti fratres instrui et instructi in patriam ad curam catholicorum ibi existentium suscipienda reverti possint.

Biblioth. Casanaten. Cod. msc. X. V. 5, fol. 2.

MCCLVIII. 1626, 7 Septembris, Romae.

Rescriptum s. congregationis episcopo Scardonensi.

Di v. s. illustrissima e reverendissima, qual supplico di mandarmi le risposte per via di monsignor illustrissimo nuncio, o farle dare al padre Bon. Ambrogio formatore da Vienna collegiale di s. Don. in s. apostoli, perchè lui sa come farmi haver lettere sicure. Humilissimo e divotissimo servitore fr. Giacomo Boncarpi vescovo di Imeria.

Ibid. v. 90 f. 49. Recommendationem renovat aliis de dto 8 Julii e. a.

MCCCLXXXIX. 1645, 25 Aprilis, Romae.

Decretum s. congregationis de vicario generali sede Bosnen. vacante.

Die 25. Aprilis 1645. nr. x. Referente eminentissimo d. cardinali Cornelio litteras p. provincialis Bosnae, et decretum editum anno 1635.

pro provincialibus Bosnae pro tempore, ordinis minorum de observantia, ut mortuo episcopo administratore Bosnae ipsi sint vicarii apostolici, donec ecclesia Bosnensis de episcopo aut administratore provideatur, et denique articulum facultatum fratri Thomae episcopo Bosnensi defuncto concessarum circa earumdem facultatum communicationem tempore obitus faciendarum, sacra congregatio decrevit, ut infra: primo, decretum praedictum anno 1635 die 30 Julii editum observari mandavit. 2. Dixit, episcopos Bosnae tempore sui obitus non posse vigore dictarum facultatum aliquem sacerdotem deputare, qui eorum vices suppleat, cum specialiter per suprascriptum decretum provisum sit per sedem apostolicam. Articulus enim praefatarum facultatum, ob clausulam donec sedes apostolica provideat, non habet locum, ubi eadem sedes iam providit, et in omnem casum ipsa sedes apostolica per hoc decretum providit, dum iubet observari dictum decretum anni 1635.

Bibl. Casanat. cod. msc. X. V, 5 f. 59.

MCCCXC. 1645, 15 Maii, Sarajevi.

Saraievienses rogant sibi p. Matthaeum Benlić in episcopum Bosnensem nominari.

Eminentissimi e reverendissimi signori. È ben vero, che questa povera navicella di questa serafica religione si trova in continui travagli e calamità e sopporta infinite miserie con tutti noi altri poveri Christiani in queste benedette parti per amor di Jesù Christo è ben coltivata da questi benedetti religiosi con proprio sudor di sangue e grandissimo profitto della salute delle anime. E perchè essendo passato da questa a miglior vita, di buona memoria, il nostro pastore illustrissimo monsignor fra Tomaso vescovo di Bosna, li padri de la provincia, come intendiamo, propongono alla santità sua et alle vostre eminenze per il vescovato di Bosna alcuni padri della provincia, fra li altri proposti uno è il reverendo padre fra Matteo Benlich da Bagnaluca, diffinitore attuale e nostro parocho e predicatore da cinque o sei anni in quà; perciò tutti noi altri Christiani e minimi servi di Jesu Christo e della santità sua et delle vostre eminenze in quanto sapiamo la verità, in tanto la manifestiamo alla santità sua et alle vostre eminenze sincerissimamente, e facciamo questa humile fede e supplica di questo padre fra Matteo Benlich sopra nominato, il quale conosciamo per grand' huomo da bene, religioso esemplarissimo, mansueto, quieto et humile; buonissimo theologo, predicatore famosissimo in queste parti, canonista, et in tutte le qualità e virtù raro, il quale con il suo buon esempio e le sue utilissime prediche ha fatto e fa continuamente gran profitto nelle anime, non solamente in questa città, ma si bene quasi per tutta la provincia; e questa verità è chiara quanto è il sole. Ben volsuto e desiderato da tutti, si come crediamo, che dall' altre parti le vostre eminenze sarano certificate, se vorano udire la verità; e mentre Iddio ci volesse far la gratia, e la sua santità et le vostre eminenze di impore questo carico di questo vescovato di Bosna al sudetto padre Matteo, noi altri tutti Christiani non potessimo dir altro se non essere beati et felici in queste misere parti, perchè sarebbe la consolacione del christianesimo; e la provincia tutta

goderebbe la pace et quiete perpetua, perchè in tutti li suoi carichi ha sempre atteso al servitio di Dio, alla pace, et alla conservacione del ben commune e la salute delle anime, si come noi habbiamo visto et esperimentato non solamente qui, ma ancora in altre parti, dovunque è stato, et in nostri travagli et incontri, i quali sopportiamo qui, è stato la nostra consolacione e refrigerio et in quanto siamo obligati in conscienza tanto manifestiamo alle vostre eminenze la bontà di questo padre, con che fine humilmente vi baciamo le orbe delle sacrate purpure vesti. Di Bosna Argentina di Seraglio li 15 Maggio 1645. Delle vostre eminenze humilissimo et devotissimo servitore Nicolo de Nicolo capo della colonia con tutti li Christiani de la città di Seraglio di Bosina.

Tabular. s. congregationis de propag. fide vol. 90 fol. 293.

MCCCXCI. 1645, 28 Junii, Viennae.

Imperator Ferdinandus III fr. Georgium Bielavich, a se nominatum episcopum Tininiensem, apostolica auctoritate confirmari rogat.

Ibid. v. 90 f. 184.

MCCCXCII. 1645, 19 Julii, Viennae.

Ferdinandus III. nominat fr. Petrum Kačić episcopum Almisiensem, eumque s. sedi pro apostolica confirmatione praesentat.

Ibid. vol. 90 f. 183.

MCCCXCIII. 1645, 31 Augusti, Romae.

Decretum s. congregationis de fratribus, qui parochiis sint praeficiendi aut ab iis revocandi.

Die 31. Augusti 1645. nr. 22. Referente eminentissimo d. cardinali Cornelio quaerelas episcoporum Bosnae Argentinae contra provincialem et diffinitorium fratrum minorum de observantia Bosnensium, qui contra decreta concilii Tridentini et constitutiones pontificias et praesertim s. m. Gregorii XV. sine consensu et approbatione praedictorum episcoporum suos fratres parochiis Bosnae praeficiunt, aut eos ab illis revocant, et in illis revocandis vel ad suas congregationes, aut per alias causas, multoties parochiae sine sacerdote remanent, et multi obeunt sine sacramentis et praesertim baptismi, sacra congregatio decretum alias editum, ut in distributione parochiarum inter fratres Bosnenses adhibeatur omnino consensus episcoporum praedictorum, illique ad parochias non mittantur, nisi a dictis episcopis fuerint prius approbati ut idonei ad curam animarum, confirmavit et innovavit, et insuper stricte praecipiendo mandavit praedicto provinciali et diffinitorio pro tempore, ut non revocet a parochiis fratres curatos, nisi in eis sit alius sacerdos ad curam animarum idoneus, aut prius ad eas alius mittatur.

Bibl. Casanat. cod. msc. X, V, 5 fol. 60.

MCCCXCIV. 1646, 5 Maii, Viennae.

Nuncius apostolicus Viennensis de fratre Mariano Maravić ad episcopatum Bosnensem, cui et societas Jesu favet, promovendo; ac fr. Marino a Požega, cui pariter suo modo est providendum.

Eminentissimo e reverendissimo signore e padrone colendissimo Il negotio del vescovato di Bosna, impostomi da v. eminenza con lettera sua de 13. Marzo, ha sortito il fine, che si desiderava, perchè con l' aggiuto di questo monsignore vescovo vesprimiense, canceliere del regno d' Ungaria in questa corte, si è impedito, che il padre Marino da Possega min. oss. non sia stato nominato da s. m. cesarea al detto vescovato, non ostante ch' egli vi fosse molto vicino e molto a ciò favorito dal padre Gantz confessore di s. m., e da altri padri della compagnia di Gesù. La sudetta nomina cascherà, come si desidera, in mons. fra Mariano vescovo di Dulma, huomo, per quello che dicono, molto degno, e come tale aggiutato e portato dal conte Mansfelt generale dell' armi in Ungheria, ma perchè non era espediente il lasciare affatto disgustato il sopradetto fra Marino da Possega, che ha molti amici e parenti, tanto christiani quanto Turchi nella sua provincia, si è giudicato bene il farlo honorare nella sua medesima religione con carico di provinciale; et a quest' affetto si adopera la molta authorità del medesimo monsignor fra Mariano nella sudetta sua religione, il che cagionerà maggior unione fra questi due soggetti, et una abolitione delle divisioni, che sono precedute. In questa forma penso, che il tutto restarà ben aggiustato e v. eminenza ben servita, alla quale desidero sempre di ubbidire con ogni puntualità et humilmente la riverisco. Vienna li 5. Maggio 1646. De v. e. reverendissima humilissimo et devotissimo servitore Camillo arc. di Capua.

Ibid. v. 93 fol. 89. Marinus a Posega nominatur 4. Sept. 1646. a rege Ferdinando episcopus Biduanensis et commendatur pro administratore semendriensi. Ibid. v. 94 f. 3.

MCCCXCV. 1646, 3 Julii, Romae.

S. congregatio decernit, ut redditus parochiae episcopo Dulmensi restituantur.

Decretum s. congregationis de prop. fide habitae die 3 Julii 1646. Referente eminentissimo domino cardinali Ludovisio litteras episcopi Dulmensis de redditibus parochiae et pro sua sustentatione assignatis eidem impeditis opera fratris Marini de Posega, sacra congregatio mandavit per generalem minorum de observantia commoneri provincialem Bosnae, ut reditus praedictarum parochiarum, sublato omni impedimento, praefato episcopo restitui curet, eumque in eorum possessione manuteneri, sicut cum episcopis Bosnensibus, aut Bosnae administratoribus, hactenus fieri consvevit. Franciscus Ingolus secret.

Tabular. congreg. de propag. fide vol. 172 f. 386.

MCCCXCVI. 1646, 4 Septembris, Viennae.

Ferdinandus III. episcopatum Bosnensem confert fr. Mariano Maravić, eumque pro confirmatione apostolica praesentat.

Beatissime in Christo pater, domine reverendissime. Post officiosam nostri commendationem et filialis observantiae continuum incrementum. Episcopatum Bosnensem per mortem et decessum reverendi quondam Thomae Mrnyauchich, eiusdem episcopatus Bosnensis ultimi, veri et immediati possessoris, de iure et de facto vacantem, religioso fratri Mariano Marauich provinciali Bosnae Argentinae, viro utpote docto et laudabilibus praestantissimisque moribus praedito, iuris patronatus nostri authoritate, quo in conferendis cunctis regni nostri Hungariae et partium eidem subiectarum beneficiis ecclesiasticis, instar praedecessorum nostrorum quondam Hungariae regum optimae reminiscentiae, bono iure utimur, innixi, benigne contulimus, quem pro nostra et maiorum nostrorum consvetudine sanctitati vestrae pro consequenda apostolica cnnfirmatione offerimus et praesentamus, a sanctitate vestra filiali cum observantia petentes, ut huiusmodi praesentationem nostram admittere et dictum a nobis electum episcopum Bosnensem apostolica sua benedictione confirmare velit. Confirmationem vero ipsam sine alicuius annatae solutione sanctitas vestra eidem concedere dignabitur, eo quod episcopatus hic Bosnensis mere titularis existens, ac iam dudum tyrannide turcica pressus, ipse episcopus extra ipsum titulum nullos habeat proventus. Faciet in hoc sanctitas vestra rem catholicae ecclesiae proficuam et nobis gratissimam, quam nos de vestra sanctitate observantia officiisque filialibus omnino promerebimur. Qui nos reverenter offerimus et obsequenter commendamus. Datum in civitate nostra Vienna die quarta mensis Septembris, anno Domini millesimo sexcentesimo quadragesimo sexto. Eiusdem Sanctitatis Vestrae obsequens filius Ferdinandus. Beatissimo in Christo patri, domino Innocentio decimo, divina providentia sanctae romanae et universalis ecclesiae summo pontifici etc. domino reverendissimo.

Tabular. congreg. de propag. fide vol. 94 f. 4.

MCCCXCVII. 1647, 16 Martii, Romae.

P. Raphael Levaković, Croata, nominatur archiepiscopus achridanus.

Decretum s. congregationis de propaganda fide die 16 Martii 1647. Referente iterum eminentissimo domino cardinale Ginetto de ecclesiae archiepiscopalis Ocridae seu Achridae, quae prima Justiniana nuncupatur, provisione in persona fr. Raphaelis Croati ordinis minorum de observantia, et ad praesens in provincialem suae provinciae electi, in curia cogniti et ob servitium 20 fere annorum de sacra congregatione bene meriti, doctrina et eruditione ecclesiastica non vulgariter praediti et simul referente appendicem visitationis archiepiscopi Bianchini, ex qua constat, in sola parte dioecesis Acridensis, quam visitavit, reperiri latinos in variis locis dispersos ultra 15 millia cum duobus tantum sacerdotibus eisque senibus, eminentissimi patres censuerunt, si sanctissimo placuerit, praefatum fratrem Raphaelem ad praedictam ecclesiam Ocridae seu Achridae vel Justinianae primae esse promovendum cum provisione annua scutorum 200 monetae per s. congregationem solvenda.

Ibid. vol. 219 orig. fol. 6.

MCCCXCVIII. 1647, 24 Julii, Romae.

Innocentius PP. X. fratrem Marianum Maravić, episcopum Dulmensem, ad ecclesiam Bosnensem transfert.

Innocentius PP. X. Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. Romani pontificis, quem pastor ille caelestis etc. Sane ecclesiam Bosnensem, ad quam dum pro tempore vacat nominatio personae idoneae romano pontifici pro tempore existenti ad charissimum in Christo filium nostrum Ferdinandum Romanorum regem illustrem in imperatorem electum, ratione regni Hungariae, cuius etiam ipse Ferdinandus Romanorum rex in imperatorem electus rex existit, privilegio apostolico, cui non est in aliquo derogatum, spectare dignoscitur, pastoris solatio destituta. Nos ad provisionem eiusdem ecclesiae Bosnen. etc. ad te Dulmensem episcopum etc. direximus oculos mentis nostrae et de venerabilium fratrum nostrorum s. romanae ecclesiae cardinalium negotiis propagandae fidei praepositorum consilio et apostolicae potestatis plenitudine etc. te, quem praedictus Ferdinandus rex in imperatorem electus nobis ad hoc per suas litteras nominavit, licem absentem, a vinculo quo eidem ecclesiae Dulmensi, cui praeesse teneris, absolvimus et ad dictam ecclesiam Bosnensem de simili consilio transferimus et pastorem etc. rogamus quoque et hortamur attente praedictum Ferdinandum regem in imperatorem electum, quatenus te et praedictam ecclesiam Bosnensem habens pro nostra et dictae sedis reverentia propensius commendatum, in ampliandis et conservandis iuribus universis sic vos benigno favoris auxilio prosequatur, quod in eius fultus praesidio in commisso tibi regimine possit Deo propitio prosperare ac eidem Ferdinando regi, in imperatorem electo, a Deo perennis vitae praemium et a nobis condigna perveniat actio gratiarum etc. Datum Romae apud s. Mariam maiorem sub annulo piscatoris die 24. Julii 1647. pontificatus nostri anno 3. M. A. Maraldus.

(A foris:) Venerabili fratri Mariano episcopo Bosnensi.

Concordat cum originali, quod conservatur in archivio conventus Plumbensis fratr. minor. de observ. in Bosna de verbo ad verbum missis ad rem hic non facientibus. Extractum per me fr. Joannem Garliczich a Plumbo eiusdem instituti guardianum dicti conventus die 10. Junii anno Domini 1661.

Tabular. vatic. cod. msc. Materia d' Ungheria (Pian.) 424 fol. 201.

MCCCXCIX. 1648, 28 Maii, Jadrae.

P. Raphael Levaković, archiepiscopus Achridanus, describit causam, ob quam non potest ad suam ecclesiam discedere, et enarrat persecutionem, quam Turcae in Christianos Albaniae et Bosnae moverunt.

Illustrissimo e reverendissimo signore mio padrone colendissimo. Sono otto giorni, che arrivai in questa città per andar poi in Ragusa, stante da quella sola, per quanto intendo, si puo tentare d' entrare in Turchia. Con qual pericolo son gionto, di già l' ho scritto a s. Giovan. Domin. e certo mi persuado, sia nemico del genere humano, che va difficoltando il mio viaggio. Qui mi son abboccato col msgnr. arcivescovo di questa città, quale mi dimandò di v. s. illustrissima e de Breviarii Illirici, et

ancora più volte ho raggionato con mons. Bonaldi arcivescovo d' Antivari, et ambidue mi dano poca speranza di poter entrare, caso che non affrontassi caravanna de mercanti per Belgrado. Mons. Bonaldi si trova mal contento et si duole del signor Batuta vicario di Budua, et in altro fa quegli molto male a dispreggiare, calumniare et oltraggiare il suo arcivescovo, poichè ad essempio suo anco li secolari piglano l' ardire. Io l' ho consolato al meglio che ho saputo essortandolo alla patienza e perseveranza, che Dio benedetto rimediarà. Io non scrivo particolarità, perchè doverei ascoltare ambidue parti per poter dir la verità, et però mi riservo a miglior informatione ... Qui corre qualche speranza della pace col Turco, la quale seguendo dubito grandemente, che in Albania e Bossina non si seri affatto la strada al vangelo per essersi in questi due regni adoprati li ecclesiastici in sollevare li popoli cattolici. In Saraevo nella Bosna sono stati avvisi alcuni cattolici e poste a sacco le loro facoltà per sospetto, che non machinassero. Il guardiano di Vissovacz, convento de padri Bosnesi, si trova qui con tre altri frati, quale racconta, che tutti monasteri, eccetuando quel di Piombo, sono terrati e abbandonati, e frati fuggiti chi quà chi là. Il Bascia si trova a Hlivno, dove si raduna l' essercito. Monsignor Maravich è fuggito oltre il fiume Dravo a Balaton, ministro e li vecchi sono appresso Possega mal siguri, stante li Turchi procurerano haverli nelle mani. Non si possono spiegar le rovine fatte e da nostri e da Turchi alli poveri Christiani, chi ridotti in miseria e salvatisi nelle montagne, vivono con le radichi delle herbe e con le scorzi delli alberi. Dio benedetto consoli tutti e conservi v. s. illustrissima ... Da Zara li 28 Maggio 1648. Di v. s. illustrissima devotissimo servitore e figliolo fr. R. arcivescovo d' Ocrida.

Tabular. congreg. de propag. fide, vol. 178, f. 38.

MCCCC. A. 1648, 16 Julii, Karansebes.

Fr. Joannes Dežmanić exhibet s. congregatione de propaganda fide relationem de suis actis et gestis in favorem ecclesiae catholicae. A. 1641. mense Aprili missionariatus munus in Carascevo incepit; ibi ecclesiam ligneam reparavit, residentiam aedificavit; incolas, medietate scismaticos, ad unionem ecclesiae perduxit. Post triennium sui loco fr. A. Sulić ibidem reliquit. Locum Secasc, in quo „presbyter valachus simplex et indoctus commorabatur", incolaeque omnes praeter Fr. Papuscarul schismatici erant, aeque ad unionem reduxit, et pro capellano fr. Paulum Hericich instituit. Turcae anno sequenti per episcopum schismaticum concitati pp. Sulić et Hericić expulerunt, captos in Denta vinctos in Versuch detulerunt, quos subin vix redemit, quum etiam p. Andream Stipanich a bassa Temesvariensi in carceres coniectus esset. Pagi circumvicini Secasc, nimirum: Crunacha, Comorisore, Varalia, Gorulia, Gerlište, Forocich, Doman, Cuptora, Calnik, Ricicza, Bratovo et alii sunt scismatici; attamen in illis 80 domos cum familiis convertit. A. 1644 discessit Caransebesinum ad residentiam pp. soc. Jesu; in pago Zlatina residentiam penes ecclesiam ligneam aedificare coepit, impeditus a d. bano Caransebiensi calvino. In pagis Trigovo, Ruzka, Branichka, Haczagh conversiones. In Lippa p. Andreas Ztipancich residentiam habet.

Tabular. congreg. de propag. fide, vol. 218 fol. 376. A. 1652 aliam prolixiorem exhibuit relationem (ibid. f. 461), in qua nonnulla e priori repetit.

MCCCCI. 1648, 17 Augusti, Romae.

Instructio domino nuntio Germaniae data quoad limites dioecesis Bosnensis et aliarum dioecesium, episcopo Belgradiensi commissarum; adduntur quaedam de sustentatione episcopi Bosnensis.

Si potrà per via del nuntio far sapere all' imperatore, quanto sia stato malamente informato dal vescovo moderno di Bosna: 1. Circa li confini stabiliti tra lui et il vescovo di Belgrado con ragioni e fondamenti concernenti il buon governo dell' anime, che sono sotto il dominio turchesco. 2. Circa il pregiuditio, che sua Maestà pretende ricevere da suddetti confini. 3. Quanto sia lontano dalla verità, quello gl' è stato supposto, che li vescovi di Bosna habbino havuto ab antiquo il governo della Schiavonia. 4. Finalmente che senza Diacouo e Possega non ponno sostentarsi. (1) E quanto alli confini, è stato necessario partir la cura di quell' anime in tre vescovi, acciò potessero essere visitate e sovvenute spiritualmente da suoi prelati, non potendo il vescovo di Bosna per la moltitudine di luoghi, che sono in quel regno, e per li christiani sfarsi quà e là, supplire al bisogno di quell' anime, come si vede dalle visite de vescovi di Bosna, e tra l' altre di quelle di monsignor Tomaso e mons. Girolamo, che hanno visitato 86. luoghi, et uno di loro aggionge, che n' haveva visitati alcuni, che non v' era memoria, che vi fusse stato vescovo; e si nota ancora che non s' erano potuti visitare tutti quei christiani per essere molto faticosi e laboriosi li viaggi. 2. Perchè li christiani di Schiavonia hanno scritto alla sac. congregatione, che non vogliono più vescovi di Bosna, perchè non vengono a far altro, se non ad espilarli per arrichire con le loro sostanze li loro parenti, e questa lettera è sottoscritta da 30 principali christiani di Schiavonia, dal che si vede quanto sia lontano dal vero, che li vescovi di Bosna non ponno sostentarsi, del che si dirà a suo luogo più largamente.

2. Quanto al pregiuditio di s. Maestà, se il moderno vescovo havesse inteso la differenza, che è tra il dare le chiese in titolo et il darle in amministratione, massimamente con la clausola „durante Turcarum tyrannide", haverebbe anco saputo, che li confini stabiliti non fanno alcun pregiuditio a s. Maestà essendo per modo di provisione per supplire al bisogno dell' anime, finchè sono oppresse da Turchi, per chè ritornando li suddetti luoghi alla Maestà sua, Possega e Diacovo ritorneranno a suoi proprii vescovi, uno di quali è il vescovo di Zagrabia, della cui diocesi è Possega, e l' altre alli vescovi di Sirmio, che dal Savo, che termina la Bosna, sino al Dravo havevano giurisdittione e la chiesa di Sirmio era principalissima, come si vede dal concilio Sirmiense celebrato al tempo di Liberio papa e di Costanzo imperatore. Circa il 3. si trova nelli decreti della sacra congregatione, che Diacouo e Possega erano soggette al vescovo di Samandria frà Alberto, che risedeva in Belgrado, e che per più commodità furono dati in cura a frà Tommaso vescovo di Scardona dell' anno 1626 nella s. congregatione tenuta li 31 di Marzo, e questa è la pretesa antichità; e da questo decreto si vede, quanto sia mal notato da frati e poi dalli secretarii dell' imperatore il titolo di Bosna, mentre dicono ecclesia Bosnensis, sive Diacouensis, poichè Diacovo trà il Savo e Dravo è in Schiavonia, et non in Bosna, il cui termine

è il fiume Savo; e con grand' errore se nota ancora nella cancelleria d' Ungheria sotto al arcivescovato Collocense anche in preiuditio del rè d' Ungheria, perchè si fanno dei vescovati un solo, mentre sta scritto nel registro di quella cancelleria il vescovato di Bosna nella sequente maniera: „Bosniensis alias Diacovensis sive Sirmiensis", poichè nel provinciale romano delle cancellaria apostolica, e nelle sottoscrittioni de concilii si trovano Bosna e Sirmio come vescovati distinti, e non si trova che Diacovo sia vescovato.

Finalmente circa la necessaria sostentatione, provincia di Bosna, quando volse, che si facesse fra Paolo vescovo di Scardona, se le fece oppositione, ch' essendo già fatto il vescovo Tommaso Toncovich di Bosna, non haverebbe potuto vivere il nuovo vescovo di Scardona, rispose il provinciale, che la provincia lo poteva sostentare, e così se fece il vescovo. Di più la provincia di Bosna non può negare, che quando volse proporre li soggetti nelle vacanze di Bosna, la sacra congregatione volse, che la detta provincia di Bosna si obbligasse di mantenere il vescovo con darli oltre il vitto due cavalcature e due servitori col suo cappellano e 100 scudi annui per l' occorrenti bisogni. In oltre il detto pre Mariano fatto vescovo di Dulma con l' amministratione della Bosna ottenne un decretto sotto li 3 di Luglio 1646, nel quale a sua instanza s' ordina al generale de min. oss. che scriva al provinciale di Bosna, che le dià la necessaria sostentatione, comè si era fatto con li suoi antecessori, amministratori o vescovi di Bosna. Finalmente il medesimo padre Mariano innanzi la sua promotione mandò alla sacra congregatione un istromento de' suoi fratelli, nel quale li obbligano di darli 200 scudi annui per suo sostentamento, sin che viverà. In oltre essendo tant' anni, che la provincia di Bosna mantiene 2 o 3 vescovi, comme adesso può dire il detto fr. Mariano vescovo di Bosna, che non può sostentarsi senza Diacouo e Possega, s' ha obbligata la provincia e li fratelli per sua sostentatione? Si può anche in ultimo aggiungere, che il medesimo fra Mariano, fatto vescovo di Bosna, ha mandato il suo segretario a Roma con una sua lettera alla sacra congregatione di credenza in materia de confini et essendosi fatto il decreto, ch' egli pretende, che si revochi di consenso del detto segretario suo legittimo procuratore, come appare dalla di lui sottoscritione, non ha ragione di domandare la detta revocatione, massimamente, che se si havesse da decidere la controversia, per giustitia non si potrebbe far altro, se non terminare, che li vescovi di Bosna non passino il Savo, termine di quel regno, come altre volte fù deciso nella congregatione delli 3 di Marzo 1626, che dice cosi: „Sacra congregatio mandavit scribi episcopo Scardonensi, amministratori Bosnae, ut de caetero in sola Bosna et Scardona suam exerceat iurisdictionem", e conforme a questo decreto sempre si sono spediti li brevi delle facoltà in spiritualibus alli vescovi et amministratori di Bosna.

Tabul. congreg. de propag. fide vol. instruttioni 1648, fol. 318.

MCCCCII. 1649, Baccoviae in Moldavia.

Fr. Marcus Bandulavić, archiepiscopus Marcianopolitanus et in Moldavia administrator, a catholicis meridionalis Hungariae provocatus, rogat, ut s. congregatio pro ipsis nominet unum episcopum, qui in circulo missionis Karasevo-Lipova penes ipsos maneret. „Ad quod etiam omnium patrum provinciae Bosniae argentinae consensus accedit".

Ibid. vol. 218 f. 143.

MCCCCIII. 1649.

Ecclesiarum, quas episcopus Belgradiensis fr. Marinus Ibrišimović anno 1649 canonice visitavit, series.

La visita di monsign. vescovo fra Marino Ibrissimovich vescovo di Belgrado et anco della sua amministrazione per tutta l' Ungaria posta sotto gran Turco 1649. Crisma. Ali 6 di Marzo a Belgrado nr. 2001. Ali 4 di Marzo nel medesimo luoco nr. 40. A di 12 di Marzo in Samandria nella chiesa di s. Michaele nr. 6. A di 15 Marzo in Visnizza (in Serbia) nr. 14. A di 20 Aprile in Mitrovizza 56. 28 Aprile Norica 16. A di 20 Giugno nella chiesa di s. Andrea 85. Et ivi hanno convertito sei persone luterane alla fede catholica. A di 21 Giugno hanno convertito una persona alla fede catolica. A di 22 Giugno nel Viglevo nr. 16. A di 11 di Luglio nella città di Pesta nr. 2003. A di 14 di Luglio nel medesimo loco nr. 18. A di 18 Luglio nel medesimo loco nr. 14. A di 8 d' Agosto a Gingius (Gyönguos) nella chiesa dalli frati di s. Francesco nr. 355. A di 14 d' Agosto a Birino (Jász-Berény) nella chiesa d' Assonta nr. 82. A di 15 d' Agosto nel medesimo loco e chiesa nr. 230. A di 16 d' Agosto nel medesimo loco e chiesa 24. A di 19 d' Agosto nel medesimo loco e chiesa nr. 15. A di 22 d' Agosto a Gingius nella chiesa delli frati di s. Francesco nr. 13. A di 29 d' Agosto nella medesima chiesa 335. A di 30 d' Agosto a Birinio nella chiesa d' Assonta doppo l' vespero nr. 242. A di 18 Settembre a Patacca nella chiesa di Natività nr. 254. A di 27 Settembre Ceschemeto nella chiesa di s. Nicolao nr. 24. Nella terra di Cheschemeto si trovano le case di cattolici nr. 23 di persone in tutto mille, di eretici più. A di 3 di Ottobre a Shegedino nella chiesa s. Maria della neve nr. 138, dove si trova una chiesa bellissima, e non si trova più bella in tutto dominio de Turchi, nella quale habitano frati di s. Francesco. A di 11 Ottobre nella villa di Martonos nella chiesa di s. Martino nr. 245. Nella medesima villa sono le case di cattolici nr. 59 di persone in tutto nr. 730, la detta chiesa di s. Martino è di legno. A di 12 Ottobre nella villa di Baimacho nr. 584. A di 14 e 15 a Jancovacz nella chiesa di s. Giorgio nr. 325 et ivi sono le case nr. 50 le persone 1013, A di 16 Ottobre nella villa di Milcut nr. 129. A di 17 Ottobre nella villa di Santovo nella chiesa di Assonta nr. 350 nella medema villa sono le case di cattolici nr. 120. A di 18 nell medesimo loco e di altri circonvicini nr. 588. A di 20 Ottobre nella medema villa e chiesa nr. 29. A di 23 Ottobre a Sombor nr. 25. A di 24 d' Ottobre nel medemo loco nr. 92. Nel medesimo Sombor sono le case di cattolici nr. 30 non hanno la chiesa.

*

Nella villa di Gazza si trovano le case di cattolici nr. 58, li quali christiani vanno alla messa et crisma a Santovo, essendo la chiesa nel detto loco et a Gazza no. Di più vennero alla messa, alla predica et alla crisma quelli di Berecho e di Colutho, nel quale è una bella chiesa, ma il vento li ha guastato il tetto; nel Berecho sono le case nr. 10, nel Colutho nr. 20. A Monester sono di case nr. 20. A di 26 Ottobre, 27 e 28 nella terra Bach in chiesa di Assonta nr. 180. A di 30 di Ottobre a Buchino nella chiesa di s. Giovanni Battista nr. 428. A di 5 di Novembre a Suglius nella chiesa di s. Giovanni Evang. nr. 148. A di 6 Novembre a Baloch nr. 52. A di 7 Novembre a Lezzedech (Bezedek?) nr. 45. A di 11. Novembre a Luch nella chiesa di s. Martino 129. A di 12 di Novembre a Baly nr. 39. A Giungius sono tre chiese, una si chiama la Madonna, 2-a s. Bartolomeo e 3-a Elisabeta vedova, la 4-a di Calvini, che si chiamava s. Urbano. Nel medesimo luogo sono le case 120 di catholici 300. A Birino sono di case catholiche 204, di Calvini 12, di persone cattoliche nr. 1300.

Ibid. vol. 218 f. 321.

MCCCCIV. 1650, 7 Martii, Niemci in Slavonia.

Sacerdotes saeculares diocesium, episcopo Belgradiensi commissarum, in domo parochiali Niemcensi congregati determinant, Petrum Sabbatini, vicarium generalem, Romam mittendum, qui sacram congregationem de statu ecclesiae informaret et episcopum obtineret zelum Dei habentem.

Cum morte illustrissimi ac reverendissimi domini Marini Ibriscimovich episcopi Bellogradensis concurrimus nos infrascripti sacerdotes Sirmienses, habito etiam consensu ad infrascripta a longinquioribus fratribus nostris, qui ob pericula itineris adesse non poterant, in domum reverendissimi domini Petri Sabbatini vicarii nostri, eumque omnes enixe rogavimus, ut amore omnium nostrum laborem suscipere dignaretur romanam adeundi curiam, ibique coram sacra congregatione de propaganda fide dissidias omnes ac lites exponeret, quas a bosnensibus episcopis et monacis, ob insufficientem informationem hactenus eidem congregationi traditam, perpessi sumus, eamque perfecte, utpote peritissimus, qui per viginti circiter annos in illis versatus sit, informaret; nobisque episcopum zelum Dei habentem, non dignitatis ambitione aut alio quocunque saeculari fastu flagrantem, ab eadem supplex obtineret. Quo nostris annuente votis tenore praesentium omnem et quamcunque facultatem nostram tam ad lites, quam ad omnes alias causas inter nos et alios quoscunque uertentes, affirmandi uidelicet, negandi et subscribendi eidem concedimus, et quidquid ipse dixerit, vel fecerit, ac si ex uno omnium nostrum ore procederet . . . declaramus. Insuper fidem has nostris hisce subscriptionibus roboravimus die 7. Martii 1650. Ego Lucas Franich affirmo ut supra. — Ego Nicolaus Ivanovich parochus de Cerna subscripsi. — Ego Antonius Bogdanovich mp. — Ego Lucas Deodatus sacerdos affirmo ut supra. — Ego Simon Bogdanovich parocus s. Crucis subscripsi. — Ego Blasius Lukich parochus de Sumugiuar subscripsi. — Ego Joannes Marinovich parochus de Laz subscripsi. — Ego Martinus de Captol parocus Ciakaniensis subscripsi. — Ego Matthaeus Suetacchouich, parochus de

Chusmice subscripsi. — Ego Lucas Franich sacerdos nomine parochi de Tulbet subscripsi. — Ego Lucas Deodatus sacerdos nomine Thomae parochi Vileuiensis subscripsi. — Ego Nicolaus de Karasseuo subscripsi.

Tabularium congreg. de propag. fide, vol. 310 fol. 30.

MCCCCV. 1650, Decembris, Romae.

S. congregatio decernit: parochiae Ratkov Potok, „Corcini", Požega et Velika redeant sub cura pastorali in spiritualibus tantum episcopi Bosnensis, remanente parochia Dragotin in spiritualibus et temporalibus sub cura episcopi Belgradiensis.

Decretum s. congregationis de propaganda fide die 21. Decembris 1650. Auditis iterum coram eminentissimo domino cardinali Vidman in contradictorio iudicio partibus circa praetensiones domini episcopi Bosnensis super parochiis Slavoniae, quae sunt inter flumina Savum et Dravum, et quae nuperrime vigore decreti sacrae congregationis de propaganda fide sub anno 1648. erant commissae administrationi domini episcopi Scardonensis, praesentibus praedicto domino episcopo Bosnensi nec non secretario patris procuratoris generalis ordinis minor. de observantia, nomine et vice patris procuratoris, ac patre Stephano Diacovensi, parocho Posegae, procuratore patris Mathaei Benlich (textus Belsich) episcopi designati Belogradiensis fuit per dictum dominum cardinalem authoritate supradictae congregationis sancitum prout infra, videlicet: Quod parochiae, quae sunt in Slavonia inter flumina Savum et Dravum et quae supra trans sub administratione episcopi Scardonensis, et praecipue Ratko Potok, Corcini, Posegae et Velicae, redeant sub cura pastorali, in spiritualibus tantum, domini episcopi Bosnensis, cum obligatione solvendi eidem episcopo pro sua sustentatione quartam canonicam, iuxta dispositionem sacrorum canonum et consuetudinem illarum partium, declarando parochiam Dragotini tam in spiritualibus quam in temporalibus subiacere domino episcopo Belogradiensi, iuxta decretum a supradicta congregatione emanatum sub annno 1648, reservato tamen iure domino episcopo Bosnensi quocunque loco et tempore producendi rationes ad probandum suppositam pacificam possessionem episcoporum Bosnensium suorum antecessorum super dictis parochiis, etiam in temporalibus, et probatam reassumendi tam quatuor praedictas parochias, quam Dragotini, cum conditione tamen, ut dominus episcopus Bosnensis ad acquirendam dictarum 5 parochiarum possessionem temporalem teneatur et debeat servatis servandis, ac citatis omnibus et singulis interesse habentibus, plene probare, duos conventus fratrum minorum de observantia, videlicet Velicae et Nasicae, convixisse cum novitiatu, studio et seminario sine supradictis parochiis, v(el) aliunde, praeterquam ex fructibus earum, prout ad praesens, declarando: quod per hoc decretum nullum praeiudicium inferatur alicui personae interesse in hoc habenti, sed salvo semper eorum omnium et singulorum iure possint et valeant rationes suas producere et iustitia potiri. Christophorus cardinalis Vidman. A. Cat. Capponius Dyonisius Masarius s. congregationis secretarius.

Cod. msc. academiae Slavor. merid. Zagrab. IV. c. 10.

MCCCCVI. 1650.

Fr. Andreas Stipančić, missionarius Lipovae, nuntiat, quod convertendo 70 familias ad fidem catholicam coegerit ministrum Lutheranum ex oppido Ostrovo et vicinis pagis discedere; idcirco rogat, ut curatus illuc mittatur.

Tabular. congreg. de propag. fide vol. 118, f. 94.

MCCCCVII. 1650.

Fr. Gabriel Thomassi, Bulgarus, significat, loca Caransebes, Slatina, Tirigova, Logos, Hazag, Rusca, Lippova, Carascevo, Secas, Arscava (Orsova), Cenad, s. Lorenzo, Macova, Sice, Sombor, Recas, Ferichias, Ostrovo, Zella, Beccherech, aliaque, quae catholici incolunt, destitui sacerdotibus, necessariumque esse, ut praefectus missionis nominetur.

Ibid. vol. 218. f. 407. Liber memoral. 1650, tom. I.

MCCCCVIII. 1650.

Catholici Lippovenses instant apud s. congregationem, ne permittat fr. Andream Stipančić, antiquum ipsorum missionarium, per ministrum provincialem Bosnae revocari.

Ibid. vol. 218 f. 93.

MCCCCIX. 1651, 4 Julii, Olovo.

Fr. Andreas a Jaice secretario s. congregationis gratias agit pro eo quod fr. Matthaeum Benlić ad sedem Belgradiensem promoverit; significat se in vicarium provincialem Bosnae electum esse.

Illustrissimo e reverendissimo signor, padrone colendissimo. Con tutto ciò, che sarò giudicato troppo temerario, non ho potuto però mancare di non venir con queste due righe a fargli humilissima riverenza, come al singularissimo padrone e clementissimo protettore della serafica religione e particolarmente di questa povera provincia, la quale resta in perpetuo obligo di pregar s. d. Maestà, che la conservi ad multos annos, per le buone relationi havute dal padre Stefano da Diacova del suo svisceratissimo amore, il quale per la sua gratia ha mostrato in far tanti beneficii per interesse della provincia, particolarmente in aggiutar alla dignità episcopale nostro padre reverendo provinciale fra Matteo Benlich, padre in vero meritevole d' ogni honore, e del desiderio, che ha in far di maggiori in ogni occorrenza. Onde essendo io eletto per vicario provinciale in luoco del reverendissimo monsignor vescovo di Belgrado, alettato dalla miravigliosa relatione del sudetto padre, vengo con ogni humiltà a rimettermi sotto l' ombra della sua protettione insieme con questa povera et tribulata provincia, sotto la quale vivendo spero, che tutte le mie attentioni haveranno felicissimo successo, che sarà grato a Dio e giovevole assai a queste parti . . . mentre . . . Di Piombo li 4 di Gluglio 1651. Di v. s. illustrissima e reverendissima fra Andrea d' Jaizza vicario provinciale di Bosna Argentina.

Ibid. v. 218 f. 200.

MCCCCX. 1651, 26 Augusti, Olovo.

Fr. Marianus Maravić episcopus Bosnensis Petro Petretić, episcopo Zagrabiensi, significat, se parochias Slavoniae quamprimum visitaturum.

Illustrissime et reverendissime domine, patrone colendissime! Non iam pridem accepimus gratissimas, quas scribitis, reverendissime domine, litteras ante annum mense Aprili, quibus tarde acceptis sero responsum damus; quapropter rogamus dominationem vestram illustrissimam ac reverendissimam, ne molestum ferat, sed excusatos nos habere dignetur in omnibus, in quibus defuimus, quamvis non propria malitia acciderint ista. Ante annum fuimus Romae usque ad praesentem annum 1651. usque ad feriam 5. in coena Domini, quo tempore ad residentiam appellentes vestras litteras accepimus, nec usque ad praesens respondere potuimus. Quantum ad curam et administrationem partis Slavonicae vobis subditae, et nobis commissae, diligentissime admonebimus dominationem vestram reverendissimam (sic) quamprimum illas partes visitabimus; hucusque non potuimus visitare ratione bellorum, quae habemus in isto regno, praesertim vero a tribus vel quatuor annis, quibus fuimus absentes Illud quod incumbit humeris nostris, adimplere conabimur Deo favente. His finem facientes recommendamus nos benevolentiae reverendissimae dominationis vestrae. Datum Plumbi die 26 Augusti 1651. Dominationis vestrae reverendissimae frater et servus in Christo fr. Marianus Maravich, episcopus Bosnensis m. p. (loc. sig.) Illustrissimo ac reverendissimo domino patrono collendissimo Petro Petretich, episcopo Zagrabiensi et sacr. caesareae regiaeque maiestatis consiliario et domino gratiosissimo.

Cod. msc. academiae Slavor. merid. zagr. IV, c. 10.

MCCCCXI. 1651, 30 Octobris, Romae.

Sacra congregatio edit sequens decretum in favorem episcopi Belgradiensis.

Decretum s. congregationis generalis de propaganda fide habita die 30. Octobris 1651. Proponente eminentissimo domino cardinali Cesio libellum supplicem, porrectum pro parte d. Matthaei Bellinch episcopi Bellogradiensis, petentis pro necessitate spirituali catholicorum partium Vngariae inferioris facultatem eas uisitandi, ac inibi exercendi munia episcopalia et sacramenta administrandi, sacra congregatio petitioni annuens, decreuit esse pro oratore breve apostolicum s. d. n. humiliter petendum ad instar concessi episcopo eius prodecessori. Concordat cum suo originali. Datum die 1. Decembris 1651. Dion. Massarius s. c. secretarius.

Tabular. congreg. de propag. fide vol. 310. f. 33.

MCCCCXII. 1651, 4 Decembris, Romae.

Fr. Matthaeus Benlić, episcopus Belgradiensis, nominatur administrator ecclesiae Semendriensis cum facultate visitandi fideles Slavoniae, Bačkae et alios partium Hungariae Turcis subiectae.

Innocentius PP. X. Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. Christi fidelium inter flumina Draui, Saui, Danubii et Tibischi, ac in specie Basche usque ad Temisuar, regni Hungariae inhabitantium

animarum saluti pro commissa nobis pastoralis officii debito paterna charitate prospicere cupientes, ac de fraternitatis tuae fide, pietate et religionis zelo plurimum in domino confisi, de venerabilium patrum nostrorum s. r. e. cardinalium negotio propagandae fidei praepositorum consilio, te administratorem ecclesiae Samandrinensis, nec non vicarium apostolicum in ecclesiis Hungariae sub Turcis episcopum residentem non habentibus, iuxta tamen confines supra expositos, apostolica auctoritate tenore presentium ad nostrum et sedis apostolicae beneplacitum facimus, constituimus et deputamus, teque in Domino hortamur et monemus, ut curam et administrationem ecclesiarum huiusmodi illarumque fidelium sic exercere studeas sollicite et fideliter, ac prudenter, ut praeter aeternae retributionis praemium, nostram et sedis apostolicae benedictionem et gratiam uberius consequi merearis, mandantes eisdem Christi fidelibus in uirtute sanctae obedientiae, quatenus te tanquam patrem et pastorem animarum suarum devote suscipientes et debita honorificentia pertractantes tuis monitis et mandatis salubribus prompte pareant (sic) et obediant. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque. Datum Romae apud sanctam Mariam maiorem sub annulo piscatoris die 4. Decembris 1651. Pontificatus nostri anno octavo. Franciscus Caetanus. A tergo: Venerabili fratri Mattheo episcopo Belgradiensi.

Tabular. congreg. de propag. fide v. 310 f. 32.

MCCCCXIII. 1651.

Mathaeus Benlić episcopus Belgradensis petit de alumnis ad collegium Lauretanum et Germanum mittendis instrui, num ad exemplum litterarum, quas perceperat, sint mittendi, aut vero aliae informationes expectandae?

Eminentissimo e reverendissimo signore, padrone collendissimo. Trovandomi a Belgrado mi sono capitate due insieme scritte in un giorno, ambidue ali sedeci di Giugno proxime passato; in una mi scriveno l' eminenze vostre per il subsidio, che sole dare a li missionarii la cotesta sacra congregazione, acciò de sei mesi in sei mesi la solita carità procurassero di scodere continuando gli sui procuratori. Hora, eminentissimi signori, in tutto questo regno di Ungaria inferiore, per dove servo io, ne tam poco in tutto regno di Bosna, non si trova nisuno, che tira nè anco un soldo di subsidio da cotesta sacra congregatione, solo che, quanto stimo, quel prefatto di Caramsebes, il quale sta a Lippa, di cui non ho cognitione chi sia, ne tam poco lui me ha cognosciuto, con tutto ciò che habbita nella mi administratione, niente dimeno col la prima buona occasione l' avisarò, quanto comandano l' ee. loro. Nell' altra poi mi ordinano, che gli giovani, i quali si devono mandare a collegio Urbano et altri, (non si mandino) senza expressa licenza di cotesta sacra congregatione per diversi rispetti, secondo che me advisano. Eminentissimi signori, gli giovanni alunni, che si soliono mandare da questi vescovati, solamente si mandano al collegio illirico di Loretto; et io mai non ho mandato prima che mi habbia scritto il padre rettore di Loreto avvisandome, che luogi vacavano, sicome ha fatto anco questo anno, innanzi che mi sono capitate queste due di loro eminenze, il qualle contro sue lettere me stimu-

lava, che mandase quanto prima dui giovani, perchè per Luglo pasato vacavano doi luogi di questi vescovati; cosi per suo ordine ho mandato dui giovani, i quali sono receuti; con tutto ciò che anco a me è stato molto difficile di mandargli in queste gran turbolenze di guerre temendo di qualche mal incontro per strada; così anco mi scrive di novo un certo monsignor abbatte per ordine di cotesta sacra congregatione, acciò mandasi un giovane in collegio novamente eretto a Fermo; per tanto supplico l' eminenze loro, acciò mi scrivessero, si devo mandare in virtù di questa sua lettera, ò no; perchè questa di eminenze loro vole, che particolar ordine si habbia dalla medesima sacra congregatione per ogni collegio. E per fine prostrato per terra bacio le sacre Porpore dell' eminenze loro. Quas deus. Delle eminenze loro reverendisssime observantissimo servitore fra Matteo Benlich vesc. di Belgrado.

Tabular. congreg. de propag. fide vol. 305 fol. 336.

MCCCCXIV. 1651.

P. vicarius generalis ordinis rogat, ut acta fr. Joannis Dežmanić, qui 10 annos cum maximo fructu spirituali in missione Lippovana laboravit, nunc a quibusdam false accusatus et praefectura privatus, revideantur, examinentur et detecta eius innocentia in pristinum statum restituatur.

Tabular. congreg. de propag. fide vol. 218 f. 192.

MCCCCXV. 1651.

Significatur mors fr. Marini Ibrissino(vić), episcopi Belgradensis, qui obiit mense februario 1650.

Ibid. vol. 218, 288.

MCCCCXVI. 1651.

Index parochiarum, quae ad mensam episcopi Belgradiensis pertinebant.

La diocesi di Belgrado e sua amministratione ha chiese parochiali nro 34. cioè: 10 concesse a preti secolari, 20 a frati minori osservanti Bosnesi, 4 a patri Giesuiti, per quanto si sa per adesso, colli frutti delle quali puo vivere il vescovo di Belgrado pro tempore ricevendo da tutto la quarta canonica. Il medesimo vescovo è usufruttuario della chiesa parochiale di Luhuc sita . . . in diocese di Cinquechiese sotto il Turco, quale per amministrare i ss. sacramenti parochiali ai catholici ha concesso ad un frate minore asservante Albanese. Il detto vescovo oltre le predette chiese parochiali è usufruttuario d' altre diverse chiese parochiali, cioè nella terra di Gyöngyösino, Segedino, s. Lorenzo, Pouda, Wrasacz, Denta, Temisvar, Beckerek, Chianad et altre terre convicine, quali sono tutte nelli confini d' Ongaria sotto il Turco.

Il vescovo di Bosna supplica per la restitutione della parte di Slavonia, conforme alla decisione fatta del 1626. e 1633., quale è stata sempre assegnata per vito del vescovo pro tempore di Bosna, e senza questa parte assolutamente non puo vivere . . . La concessione fatta al monsignor fra Paolo vescovo di Scardona della sopradetta parte di Slavonia, ab antiquo pertinente al vescovo di Bosna, fù per tenere lontano

il vescovo di Belgrado dall' oratore, stante l' inimicitia che era tra loro contrata nella Bosna, mentre era fratre esso vescovo di Belgrado, che perciò si vede chiaramente detto vescovo di Belgrado non viveva con li frutti della Slavonia, ma con gli emolomenti, che li provenivano dalle sue parochie, et sudetta concessione fu fatta „per modum provisionis, donec aliud per sedem apostolicam fuerit determinatum."

Tabular. congreg. de prop. fide. vol. 218 fol. 288. Memor. tom. 1625 tom. I.

MCCCCXVII. 1653, 16 Augusti, Olovo.

Fr. Marianus Maravić episcopus Bosnensis commendat nobilem virum Andream Brnjaković omnibus et singulis cuiusvis status, dignitatis etc.

Nos fr. Marianus Marauich, Dei et apostolicae sedis gratia episcopus Bosnensis, alias Diacoviensis, ecclesiae Dulmensis, aliarumque ecclesiarum regni Bosnae administrator, nec non sacratissimae caesareae regiaeque Maiestatis consiliarius, universis singulisque harum patentium litterarum lustratoribus, lectoribus et auditoribus salutem in eo, qui vera est salus, vita et gloriatio nostra. Officium munusque nostrum expostulabat, ut illius, quibus possumus, favoribus personas honore dignas promoueamus et ubique commendatas reddamus. Cum igitur nobilis vir dominus Andreas Bernacovich Olovensis genere, nostrae Bosnensis dioecesis filius, de legitimo matrimonio natus, patre Bernardo, matre vera Maria, omni laude sit dignissimus, propter eius morum gravitatem, et vitae catholicae integritatem, praefatum Andream Bernacovich, tanquam de patria benemeritum universis et singulis, ad quorum nostris hisce comparuerit conspectum patentibus commendatum facimus, ut illo religiosae charitatis zelo ubique eum excipiant et promovere dignetur, quem catholica unanimis promittit nobis fides; inprimis vero clementissimae maiestates nec non serenissimi austriaci archiduces, deinde quicunque religiosissimi tam ecclesiastici quam saeculares principes, archiepiscopi, episcopi, praepositi, abbates eorumque vicarii, ac alii omnes, tum generales, comites, vicecomites, barones, magnates, duces, iudices, assessores, consiliarii, ac alii quicumque, ac cuiuscumque status, dignitatis, conditionis ac praeeminentiae domini, eundem nobilem virum d. Andream Bernacovich omnibus possibilibus gratiis, favoribus et beneficiis augere et cumulare non graventur, expectantes beatam spem et retributionem ab illo, qui dat affluenter Deus Optimus Maximus, quam obsequiosissime petimus, et unicuique fructum centesimum ac millesimum retribuere dignetur. Proinde rogamus omnes, ut sinceram fidem eidem domino Andreae Bernacovich, quam praestare fas est catholico ac fide homini dignissimo, praestare velint, cum (ille hic) maximus catholicae fidei defensor existat. In quorum fidem etc. Datum Plumbi die 16. Augusti 1653. Fr. Marianus Marauich episcopus, qui supra, manu propria. Loco † sigilli.

Bibliot. vatican. Ottobon. msc. 927. Compendio etc. fol. 14.

MCCCCXVIII. 1654, 23 Februarii, Romae.

Leguntur in s. congregatione litterae de incarceratione episcopi Belgradiensis fr. Matthaei Benlić, et editur sequens decretum.

Decretum s. congregationis generalis de propaganda fide die 23. Februarii 1654. Referente eminentissimo domino cardinali Antonio litteras episcopi Bellogradiensis et aliquorum mercatorum christianorum in regno Hungariae scribentium, dictum episcopum in actu visitationis dicti regni fuisse a Turcis incarceratum et propterea fuisse coactum pro recuperanda vita et libertate solvere quatuor centum scuta, ad usuram capta, et proinde petentium, ut s. congregatio aliquam summam in eleemosynam elargiri dignetur ad solvendum dictum debitum, ut supra contractum, pro vita et libertate praelibati episcopi Bellogradiensis, sacra congregatio dixit, de hoc agendum esse in proxima congregatione coram sanctissimo domino nostro.

Tabular. congreg. de propag. fide v. 310. f. 76.

MCCCCXIX. 1655, 11 Decembris, Venetiis.

Nuncius apostolicus Viennensis exponit s. congregationi admodum utile fore, ut erigatur missio in Serbia.

in domino, R. fratr. P. Petrum Jurjeuicz ejusdem instituti a S. C. maiestate uti rege Hungariae nominatum et electum episcopum huius Sirmiensis episcopatus ex quo nominatus est, et hic inter nos in Sirmio commoratur, nullum actum jurisdictionis episcopalis seu muneris in eo exercuisse, vel aliquod signum ambitionis seu praesumptionis ex tali nominatione et electione ostendisse, ut alii episcopi huius regni taliter nominati et electi consveuerunt exercere, sed cum solita modestia et religiosa humilitate usque ad praesens mansit, expectans confirmationem et benedictionem a sancta sede apopolica, pro qua humillime supplicatur. In quorum fidem has nostras praesentes manibus nostris propriis subscripsimus et sigillo communitatis catholicorum ciuitatis Sirmiensis, uulgo dicta Mitrouiza, communiri fecimus. Datum Sirmii seu Mitrouizae die 5 februarii A. D. 1659. (L. S.). Ego fr. Joannes a Mitrouiza parochus Sirmiensis seu Mitrouizae testor ut supra. Ego fr. Marcus Temesuariensis parochus in Villaco et Gliuba, sirmiensis dioecesis, testor ut supra. Ego fr. Laurentius a Duboczaz parochus in Marot Sirmiensis dioecesis t. u. s. Ego fr. Paulus Strioceuicz parochus Sotiniensis et de Ilczaz sirmiensis dioecesis test. ut supr. Ego infrascriptus attestor cum meo iuramento quod hoc scriptum concordet de uerbo ad verbum cum originali: Fr. Accursius a Burno comiss. visitator provinciarum regni Hungariae (L. S.).

Tabular. congreg. de propag. fide, vol. 310 f. 103.

MCCCCXXXII. 1659, 12 Junii, Viennae.

Leopoldus I. imperator et rex confert titulum et dignitatem baronis Hungariae Andreae Brnjaković, alias Grubišić, ab Olovo in Bosna, et per eum coniugi Mariae natae Ljubičić, nec non eorum filiis Philippo, Jacobo, Francisco et Stephano, filiabusque Laurentiae, Franciscae et Catharinae, quo titulo praedecessores Andreae „tempore interemptionis et occupationis eiusdem regni Bosnensis per Turcam destituti et privati sunt."

Bibliotheca vatic. Ottobon. msc. 927. Compendio della attestationi e privileggi della casa Bernacovich . . .

MCCCCXXXIII. 1659, 18 Augusti, Romae.

P. Matthaeus Benlich, episcopus Belgradienses, se et fideles absolvi petit ab irregularitate, quam exercendo in locis alterius iurisdictionis actus pontificales fors contraxerat.

Tabular. s. congregat. de propag. fide original. vol. 305 fol. 93.

MCCCXXXIV. 1659, 8 Octobris, Zagrabiae.

Petrus Petretić, episcopus Zagrabiensis, scribit de virtutibus et zelo episcopi Belgradiensis P. Benlić eumque cardinalibus enixe commendat.

Eminentissimi et reverendissimi domini! Reverendissimus pater ac dominus frater Matthaeus Bellinich ordinis minorum de observantia provinciae Bosinae Argentinae alioquin authoritate sedis apostolicae episcopus Belgradinensis, quam praeclare se et virtuose gesserit in partibus illis regni Hungariae jugo turcico subiectis, signanter autem in locis ad hanc Zagrabiensem dioecesim olim et nunc spectantibus ac pertinentibus,

spectareque ac pertinere debentibus, patebit et patet ex luculentis et omni exceptione maioribus testibus ac testimoniis et aliis leteralibus (sic) instrumentis clarius denotatis ac specificatis, quorum testimoniorum eorum Christianorum in quibusdam actibus propria quoque experientia notam et perspectam habeo ueritatem. Eum itaque ego licet indignus eminentiarum vestrarum servus et capellanus, tanquam personam benemeritam et omni commendatione dignam vestris eminentiis, cum ea, qua par est reverentia et submissione, commendo, quatenus istum ita suscipere et in suis precibus exaudire dignentur, ut et ipse, et per ipsum populus ille ueri Dei cultor, sanctae romanae et catholicae religionis fideique professor et obseruator, earumdem fauorem, patrocinium, protectionem et auxilium sentiat et pias ad Deum omnipotentem pro incollumitate vestrarum eminentiarum preces effundat, ac merito effundere teneatur. Ego quoque, in quantum tenuitas uirium et facultatum mearum permittet in hac pauperie et miseria faucium Turcarum, ubi ipsum divina bonitas reduxerit, eidem non sum defuturus, signanter in alendo uno vel altero (aliud enim inopia mea non permittit) juvene scolari in illis partibus nato, qui adepta hic doctrina sufficienti illuc redire, ibidemque sive in saeculari sive regulari statu ecclesiastico cultum diuinum sanctamque romanam catholicam fidem et religionem promouere et propagare possit ac ualeat. In reliquo mea humillima obsequia vestris eminentiis offerrens, eidem precor vitam longeaevam et omnem prosperitatem. Datum Zagrabiae die 8. mensis Octobris a. 1658. Eminentiarum vestrarum servus in Christo obsequentissimus Petrus Petretich, episcopus Zagrebiensis (sic).

Adressa: Eminentissimis ac reverendissimis dominis meis observantissimis s. romanae ecclesiae cardinalibus negotio propagandae fidei praepositis Romae.

In dorso: Dentro vi sono altre sette lettere diuerse in raccomandatione del vescovo di Belgrado fr. Matteo Belinich.

Tabular. congreg. de propag. fide v. 310 f. 63.

MCCCCXXXV. 1660, 28. Maii.

Fr. Petri Nikolić ord. minor. provinciae Bosnensis, vicarii generalis episcopi Zagrabien. descriptio omnium parochiarum Slavoniae, quas ille pertinuisse putabat ad episcopatum Zagrabiensem.

Anno 1660, die 28. Maii. In dei nomine. Cura, vigilantia et solicitudine illustrissimi et reverendissimi domini, domini Petri Petretich episcopi ecclesiae zagrabiensis, feliciter eandem regentis, 1660 mense maii die 28. per me fratrem Petrum, ordinis minoris provinciae Bosnae argentinae olim custodem et patrem inter provintiales suae provintiae, nec non eiusdemmet amplissimi praesulis in spiritualibus vicarium, tunc temporis inter Savum et Dravum sub turcica ditione ab eodem institutum, parochias, parochos, ecclesias caeteraque necessaria in his partibus zagrabiensis dioecesis fideliter et sincere, uti ad praesens tempus existunt, scriptis anotata atque ipso illustrissimo et reverendissimo domino episcopo zagrabiensi oblata. Inprimis inter Savum et Dravum adsunt saltem duo monasteria nostra fratrum minorum de observantia sancti Francisci: Velichae, dictum sancti Augustini confessoris, Nascizzae dictum sancti

Antonii Pataviensis. Sub cura horum conventuum sunt parochiae in villis et pagis caeterisque locis fidelium inter praedicta flumina, quibus parochiis praesunt et curam gerunt nostri patres sacerdotes ordinis fratres, et sub obedientia suorum gvardianorum per triennium administrantes officium parochi in una, deinde ad aliam mutantur, iuxta provincialis aut discretorum vel gvardianorum prudentiam et ipsorum parochorum bonitatem et prudentiam in administrando circa salutem animarum fidelium tale officium parochi, et exceptis quatuor parochis presbiteris saecularibus in hac parte dioecesis supradictae, in omnibus aliis locis pro nunc cum dei auxilio vineam Christi domini cum optimo fructu salutis animarum excolunt nostri fratres sacerdotes.

Prope monasterium Velicae sunt quinque aut sex villae, quibus ex ipso monasterio administrantur omnia sacramenta, cum sint contiguae. In pago dicto Polgianska, est ecclesia diruta, et monasterium nostri ordinis, ut aiunt, fuisse, et est sub monte prope Strasemanium, manent ibi Turcae, nec celebratur ibi. In pago dicto Pleternicza sub Posega est ecclesia sancti Nicolai, integra, antiqua et renovata a quodam patre fratre Petro a Nerenta; celebratur saepe ibi, sacerdos a Posega mittitur, et sunt adhuc multae dirutae in campo Posegiensi et circum circa. Secunda in pago Captoli dicto Captol, ubi forsan capitulum celebrabat episcopus zagrabiensis, et est arx turcica et intus ecclesia magna cum sua turri, foris autem in pago ecclesia ex lignis fabrificata pulcra satis, cum suo ornatu et necessariis pro celebratione; et secunda ecclesia in eadem parochia, sed in altera villa, ex lapide et antiqua, titulo sanctae Catharinae et est miraculosa, et Captolii titulo sancti Petri. In pago Straseman, seu Strasemai, est diruta ecclesia sancti Michaelis archangeli, sed singulis mensibus una vice et in festis sancti Michaelis archangeli celebrantur missae, manent ibidem muri, capelae altaris maioris integrae sed sine tecto. Sunt etiam duae ecclesiae Velichae, dirutae, una sub arce, quae manet deserta, altera similiter in campo, ubi in festo sancti Marci celebratur et fit processio, concurrens ibidem multitudo Christi fidelium et est titulus sancti Marci, altera sancti Pauli. In pago dicto Vehtih (nunc Vetovo) est ecclesia sub nomine sanctorum Cosmae et Damiani diruta ex lapide; celebratur in festo eorumdem et qualibet tercia dominica mensis. In pago dicto Kuthievo, nescio alio nomine quo vocabatur, antiquitus fuit grande monasterium, fuit quasi opidulum; erat abbatia, ignoratur cuius ordinis fuerat, manet desertum, licet sit quasi in medio illius loci, cum sit diruta magna ex parte, manent tamen muri intrinseci, turesque aliquae. Ibi ecclesia ex ligno fabre facta de facto manet supra predictum monasterium, et est hospicium nostrum, ubi ego fui pro parocho per aliquod tempus. Tam Kutievae quam Captoli, tectum de novo ecclesiae Kutinensi ego restaurare curavi, imagines et calices caeteraque necessaria. Predictasque ecclesias renovarunt et de novo restauraverunt omnes in omnibus parochiis nostri fratres ordinis minorum sancti Francisci, resque necessarias pro celebratione missarum ac ornamenta altarium curaverunt habere. Sed in predictis quatuor pagis diebus festivis atque dominicis singulis ex monasterio fratres sacerdotes mituntur celebrare, fidelibusque in omni necessitate spirituali inservire curam gerunt. Posegae, quae olim civitas sat grandis fuerat, uti aparent vestigia muro-

rum, sed ex magna parte diruta manet, tamen arx valde fortis erat. Monasterium nostri ordinis antiquitus dictum sancti Francisci, quod funditus destructum luget, excepta ecclesia et alta turi, ubi Hogia Turcarum clamat et ecclesia facta mesquita Turcarum. Similiter alia sub ipsa arce pulcra, nomen ignoratur, mesquita Turcarum facta. Tertia, quae erat matrix ecclesia prope januam civitatis funditus eversa, quam dicunt grandem et valde pulcram fuisse. Est ergo ibidem Posegae ecclesia nomine sancti Spiritus, ex ligno tota, sed sat magna et pulcra, ubi sunt tria altaria cum pulchris imaginibus et omnibus necessariis rebus ornata, quam ecclesiam meus patruus quidam reverendus pater frater Tomas Posegi a fundamentis sua industria et labore eleemosinisque piorum erigi curavit olim, ubi nostrum hospitium commodum pro fratribus manet; praeest pro nunc ibi reverendus pater frater Michael Klachich a Cernik, vir utique scientia ornatus et moribus religiosis praeditus, pater provinciae, socium habens sacerdotem qnemdam fratrem Laurentium, sed aliquando et sepius plures sacerdotes celebrant usque ad decem et plus in festis Pentecostes et ss. Philippi et Jacobi et multis aliis festis per annum. In pago Cernik et in tota illa parochia est una sola ecclesia sub nomine sancti Nicolai antiqua ex lapidibus cum suo ornatu et necessariis rebus. Sunt etiam aliae ecclesiae, sed diruptae, et celebratur apud unam, quae est sancto Martino dedicata, et sancto Joanni altera, at in ipso Cernik est solum capella parva, ubi duo nostri fratres sacerdotes manent; nomine pater Bernardinus de Imota et pater Georgius, et est hospicium parvum nostri ordinis. Nec ultra contra fluxum Savae habemus nos parochias, sed Gradischi pagus maximus sub alio Bosnensi conventu cura manet, et ibi Bosnensis episcopus administrat, et ultra versus Bosniam, et est Cernik arx. In pago seu oppido Brod ecclesia antiqua, facta mesquita Turcarum, sub nomine olim sancti Marci; extra autem pagum adest ecclesia antiqua ex lapidibus sub nomine sancti Antonii; et ibi etiam Brodi est hospitium fratrum, est parochia s. Joannis, curam cuius habent reverendi patres Georgius a Capto(l) et frater Paulus Bosnensis. Ecclesia dicta omnibus necessariis rebus est dotata et exornata, fuere multae animae christianorum. In parochia Gratkow-potok fuere multae animae christianorum, sed ob praesentium bellorum angariam et molestiam iam ad alias partes sese retraxerunt et fugerunt, ex multis aliis parochiis etiam similiter fugam aripiunt versus alias regiones. In dicta parochia sunt quatuor ecclesiae ex lapidibus: prima sub nomine beatissimae virginis Mariae in loco dicto Dubovacz, secunda sub nomine sancti Lucae in Oriavicza, tertia sancti Georgii Verbove, quarta sub nomine sancti Michaelis Gratkopotochi, quas (quarum) fratres nostri ordinis nostris temporibus duas a fundamentis erexerant, (et) quidem pater Petrus, duas quoque patres nostri olim erigi curarunt. Predictae ecclesiae cum altaribus et imaginibus atque aliis necessariis pro celebratione sunt provisae, et parochi officio fungitur ibi reverendus pater frater Antonius a Rama. In parochia Lusanii una sola ecclesia sub titulo sanctae Mariae assumptae; et curam animarum habet pater frater Jacobus a Posega. In parochia Drinovac sunt tres ecclesiae, una sub nomine sancti Martini, quam renovavit reverendus pater Martinus a Posega, secunda sub nomine sancti Demetrii, et tercia sub titulo sancti Georgii, cuius tectum igne

absumptum, caeteraque intus devastata prima die maii huius anni et forsan ab aliquo Turca vel schismatico. Et istae sunt suis debitis ornamentis ornatae. Curam habet earum reverendus pater frater Grabriel senex a Cresceuo. In parochia sancti Benedicti sunt tres ecclesiae bene ornatae et quarta non habet bonum tectum integrum, ista sub nomine s. Petri et illae tres: prima sub nomine s. Benedicti, secunda sub nomine s. Stephani et tercia sub nomine s. Andreae. Parochi officio fungitur quidam pater frater Marcus a Modricsa In parochia s. Michaelis sunt duae ecclesiae, s. Michaelis archangeli et s. Georgii, omnes supradictae ex lapidibus[1], ista autem partim ex lapide partim ex ligno, et secunda ex lapidibus sub nomine sancti Georgii, curam animarum habet reverendus pater frater Antonius ex Posega senex. In parochia Garcsina dicta sunt duae ecclesiae s. Nicolai: prima, quam olim quidam presbyter saecularis Don Joannes cooperire et erigere curavit, fuit antiqua ecclesia, et secunda nomine s. Petri apostoli, curam animarum gerit quidam pater Mathaeus a Nasicza et ecclesiae ambae bene ornatae et custoditae (sunt). In parochia dicta Varcino, e vero Varcin Dol, sunt duae ecclesiae, una ex ligno nomine sanctus Martinus, altera ex lapidibus dicta s. Mariae ad Nives, cum omnibus necessariis pro celebratione missarum; curam animarum gerit quidam pater frater Petrus a Brodo; sunt aliquae ecclesiae in eadem parochia dirutae, in una celebratur aliquando, in aliis minime. In omnibus supradictis parochiis, nullibi asservatur ss. sacramentum, nec in tota Turcia, propter pericula, nec etiam continue in monasteriis asservatur ss. sacramentum eucharistiae, nam Turcae saepissime intrant in ecclesiam deambulationis causa, et ne aliquam iniuriam ss. sacramento inferant, ob id nullibi asservatur. In praedictis parochiis et in aliis Nasiciensibus parochiis numerus christianorum dispersus manet, in aliquibus satis et laudabilis numerus, in aliquibus vero mediocris, in aliis vero parvus numerus. Brod et Lusani, et Gradkov Potok, nec non s. Michaelis parochia in Garcino se extendunt circa flumen Szava, nec non parochia Dragotino sub iurisdictione reverendissimi domini, fratris Mathaei Benlich, episcopi Belgradiensis, data a sacra congregatione eidem, et ista parochia prope locum Diacovo, ubi Bosnensis episcopus fingit se habere titulum, quod toto patet falsum esse. In dicta parochia Dragotino sunt tres ecclesiae, s. Marci lignea, s. Blasii lignea, et s. Joannis integra lapidea, parochi pater Marcus et fr. Lucas. Nasiczensis conventus s. Antonii Patavini, in cuius festo et in assumptione Deiparae christianorum multitudo maxima concurrit ex omnibus hisce partibus ad celebrandas laudes divinas Deiparae et illius s. patroni dicti conventus; adest etiam alia ecclesia iuxta conventum ipsum et pulchra antiqua sub titulo ss. Trinitatis, forsan erat olim parochialis, ubi quolibet festo celebratur missa, et fit concio ad populum; distat a conventu uno ictu lapidis solummodo. In pago dicto Motichna est ecclesia omnium sanctorum pulchra et grandis antiqua, denuo renovata a reverendo patre, fratre Stephano Knezevich a Velica, et ibi curam animarum habet reverendus pater frater Martinus a Brodo definitor actualis provinciae theologus et praedicator. In pago Koska seu Coska est ecclesia similiter antiqua cooperta et cum neces-

[1] Abhinc e msc. bibliothecae academicae IV. c. 10.

sariis ad celebrationem (provisa, et) inservit quidam frater Marinus, (qui) ex conventu Nasiczensi mittitur sacerdos. In pago Zoglian circa monasterium est ecclesia distincta sub nomine s. Catharinae, in cuius festo solemnitas celebratur, prope quam est monasterium et ecclesia s. Martini cooperta antiqua cum sua turri; celebratur certis festivitatibus ibidem. Etiam est ecclesia diruta prope dictum monasterium dicta Pekovicza. In pago Pogliana, et in illa parochia tres ecclesiae manent integrae: prima sub nomine ss. Fabiani et Sebastiani, secunda sub nomine decollationis s. Joannis Baptistae, tertia sub nomine s. Nicolai in pago dicto Podgoracz lignea ecclesia, et illa ss. Fabiani et Sebastiani est lignea; parochus (est) pater frater Franciscus a Banialuka. Circa monasterium Nasicae ex parte occidentali sunt vestigia murorum et vocatur Clara, distat solo ictu uno lapidis a conventu ipso, forsan clarissarum monialium olim fuit monasterium; est etiam ibi parum distans una ecclesia integra cum sua turri et cooperta, vocatur Martinum s. Martini nomine dicta ecclesia, (in qua) celebratur saepissime, est indulgentia in festo s. Martini; ex conventu mittitur sacerdos. In pago Dugo szelo, villae longae, est ecclesia lapidea integra: sub nomine s. Lucae, est indulgentia in festo eiusdem, et alia ecclesia diruta s. Georgii titulus; parochus (est) reverendus pater, frater Martinus a Kuttievo. In parochia dicta Suha Mlaka sunt duae ecclesiae integrae una lapidea sub nomine beatissimae assumptionis Mariae; secunda lignea sub titulo s. Joannis Baptistae. Parochus est pater, frater Andreas a Dubochacz. In pago Buchanczij est ecclesia sub titulo s. Laurentii, lapidea, quam dirutam ex fundamentis quasi erigi curavit quidam pater frater Marinus a Orahovicza anno transacto, et est parochia, cui inservit idem pater Marinus; etiam est ecclesia altera lignea sub titulo s. Helenae. In parochia Szelcze sunt duae ecclesiae integrae: prima lapidea sub titulo s. Francisci nostri patriarchae, secunda lignea sub nomine s. Catharinae virginis et martyris; parochus (est) pater frater Simon a Diacovo. In parochia Verbicze in pago Michanovczi integra lapidea sub titulo s. Bartholomaei apostoli, et sunt tria loca ubi celebratur, apparent(que) parva vestigia murorum ibi, (sed) ignorantur nomina. Parochi officio fungitur pater, frater Elias dictus Baievich cognomine. In parochia Brogianczi sunt tres ecclesiae lapideae integrae sub nomine: prima s. Crucis, secunda s. Joannis Baptistae, tertia s. Georgii. Ultra montes Orehovicze versus Dravum in oppido dicto Vochino, sub arce Turcarum, ubi manent ipsi, sunt numero parvo christicolae commorantes ibidem; fuit olim grande monasterium, forsan nostrum, desertum manet, et etiam prope eundem apparent vestigia alterius (monasterii) vel ordinis alterius vel monacharum s. Clarae. Viroviticzae etiam fuit monasterium nostri ordinis, totum destructum apparet.

Circa cursum Dravae versus orientem vidi multa vestigia murorum, ecclesiarum et palatiorum forsan, uti in pago s. Georgii, (ubi sunt) lutheranismo infesti (infecti) homines et praedicator; est ecclesia una integra ex altera parte destructa; et in campo Jugovopolie est ecclesia destructa. In parochia et pago Sagavicza est ecclesia pulchra, lapidea, integra, sub nomine s. Petri, parochus (est) presbyter saecularis don Thomas Glogoviensis senex. In parochia Viglevo (est) similiter presbyter saecularis Don Thomas a Chesgliakovcze, habet ecclesiam sub titulo s. Andreae, religiosus vir.

In parochia et in pago dicto Goriani sunt duae ecclesiae, integrae sub titulo s. Petri prima et secunda sub nomine s. Martini, pro parocho inservit pater, frater Mathaeus a Sincza. Sunt (et) aliae dirutae in oppidis omnibus, quasi (quae) factae mesquitae Turcarum ecclesiae lugent: sicut Diaconii seu Diacovii, oppidum situatum in medio quasi infra flumina Szavae et Dravae, ubi somnio deceptus forsan reverendissimus dominus episcopus Bosnensis titulum sui episcopatus fingit esse, cum nunquam ibi episcopus proprius sedem habuisse legatur, nam ubi esset sua ipsius dioecesis? est solummodo pagus habens arcem et ecclesiam s. Laurentii mesquitam factam. In parochia dicta Ivankovo et est pagus, fuit olim monasterium alicuius ordinis, diruta ex parte manent moenia murorum; in dicta parochia sunt etiam duae ecclesiae, ipsamet praedicta forsan sub titulo s. Joannis pulchra, muri integri, sed absque tecto; et secunda sub nomine s. Eliae et haec etiam sine tecto, sed parum muri defluxerunt in terram ex parte superiori. Parochus quidam pater Marinus. Ista est parochia ultima forsan vestrae dioecesis Zagrabiensis, nam ibi Bichius flumen intrat in Bosut; dictum flumen hoc modo ex Szavo intumescit; ibi est ecclesia praegrandis situata in medio dictorum fluminum, integri muri absque tecto, in quo loco fuit etiam arx, sed nunc diruta et deserta, et est Cserna dictus ille pagus, continuus cum parochia Ivankovo. Quantum potui colligere cum maxima diligentia collegi et hoc ex parte fluminis Szavae ultra Bosut, in quem Bichius influit, (qui) procedit et influit in Szavum prope Morovich parochiam in Sirmio et Bichius solus nequaquam statim influit in Szavum. In praefatis monasteriis nostris ambobus sunt indulgentiae plenariae in festo patronorum conventuum et certis anni festivitatibus, ac in festis nostri ordinis. In ecclesiis quoque quasi cunctis integris parochiarum adsunt indulgentiae plenariae impetratae a nostris patribus a summo pontifice; et terminatae cum fuerint, iterum procurantur a summo pontifice. Sunt etiam duae parochiae circa flumen Szavae (Dravae), in ambabus curam animarum habent domini presbyteri saeculares, in prima dicta Kuszminczii est parochus Don Martinus a Captolio; et sunt duae ecclesiae integrae ex lapidibus sub titulo ss. Cosmae et Damiani, et secunda s. Mariae virginis, et tertia ecclesia s. Crucis. In secunda parochia dicta Carascevo est parochus reverendus dominus Don Nicolaus Pizeg Ztipanovich, senex venerabilis, habet ecclesiam nomine s. Nicolaus (sic); in ipsa parochia est oppidum Oszik seu olim Oszek, ubi nundinarum est aggregatio tribus vicibus in anno et est in hac ipsa parochia pagus Sombotovci, sub quo est pagus dictus Petrievczi, uti audivi, lutherana deceptione habitantes infestus (infectus). Ibi Caraszchicza flumen influit in Dravum, et aliqua murorum vestigia extant, forsan fuere aliqua palatia aut signa terminorum dioecesis Zagrabiensis. Haec omnia illustrissime et reverendissime domine labore, ex ore parochorum omnium, accersivi, excerpsi et conscripsi, prout loca et res in praesentiarum se habent; igitur libenti animo recipiat et pro certo et certissime omnes legentes et audientes hisce firmam fidem adhibeant et pro certitudine patris admodum reverendi provincialis nostri dextra confirmari praedicta decrevi et sigillo ipsius communiri exoravi. Datum Nasiczae die 13. (Maii) 1660. Frater Petrus Nicolich a Posega, scripsi omnia manu propria.

Ita est ego frater Franciscus Ogramich a Posega, minister provincialis manu propria. Locus sigilli ab intro impressive.

Tabular. archiep. Zagrabiae Visitat. canonicar. volum. XIV. et cod. msc. academ. Zagrabien. IV. c. 10. Clariss. dominus Joannes Bapt. Tkalčić de historia Slavor. meridional. meritissimus, hanc archidiocesis Zagrab. per Slavoniam protensae descriptionem mihi benevole cessit, cui hoc loco maximas habeo gratias. Deus optimus alia bona rependat.

MCCCCXXXVI. 1660, 16 septembris, Olovo.

Fr. Georgius Dobrojević significat cardinalibus, fr. Marianum Maravić, episcopum Bosnensem, in conventu Olovensi in Bosna die 14. septembris piisissime obiisse, cuius corpus sequenti die in praedicti conventus ecclesia humatum est.

Eminentissimi e reverendissimi signori. Con la dovuta riverenza vengo notificare all' emminenze vostre, come di buona mem. monsignor fra Mariano Maravich, già vescovo di Bosna, havendo più di 15 anni detta chiesa ottimamente con tante fatighe e persecutioni governato, passò a miglior vita alli 14. di settembre 1660 quì nel convento di Piombo de' min. osservanti con tutti li santissimi sacramenti e bonissima dispositione; prelato pari exemplo con li santi Martini e confessori „suum cursum consumavit maximo cum emolumento catolicae fidei et sui desiderio". E poì alli 15 di detto mese nella chiesa di sopra detto convento honoratamente sepolto, con tute le ceremonie di santa chiesa Romana. Hora eminentissimi signori! essendo questa chiesa priva del suo pastore nascono molte confusioni senza direttore, io son stato vicario generale del detto defonto vescovo sino a quest' hora; ma de quì innanzi senza novo ordine dell' eminenze vostre non me voglio ingerire in cosa alcuna di detto officio. Perciò humilmente supplico l' eminenze vostre, si degnino per tempo provedere del vicario sede vacante, per ovviare alle dette confusioni, inconvenienti e danno dell' anime, che possono senza capo succedere. Questo significo all' eminenze vostre per scarico della mia coscienza et officio, che ho hauto; come il tutto meglio intenderanno dal P. fra Bernardino Volarich missionario di Lipova, che va a cotesta s. corte, piacendoli dar benigna audienza e credito del tutto; con che fine li prego dal cielo diuturna felicità, con profondissima riverenza baciandole la sacra porpora. Di Piombo in Bosna li 16 di settembre 1660. Dell' eminenze vostre humillissimo servo e figlio fra Giorgio Dobroievich de' m. oss. già vic. generale del vescovo di Bosna defonto.

Tabular. congreg. de propag. fide vol. 305 f. 133.

MCCCCXXXVII. 1660, 28 Septembris, Olovo.

Patres ex conventu Olovo significant, episcopum Bosnensem Marianum Maravić esse mortuum et honorifice sepultum, rogant vicarium generalem def. episcopi in suo officio confirmari; exponunt porro, quod P. Franciscus Ogramich vicarii Generalis officium secundum quoddam s. congregationis decretum incassum sibi vindicet, cum is ob posita episcopo defuncto, ne partem suae dioeceseos visitare possit, impedimenta excommunicationis poenam promeruerit.

Eminentissimi e reverendissimi signori. Humilmente si rappresenta all' EE. vostre, come essendo passato a megliore vita alli 14. del cor-

rente qui nel nostro convento monsignor fra. Mariano Maravich già vescovo di Bosna, con tutti li santi sacramenti et ottima dispositione, e poi nella nostra chiesa con tutte le ceremonie della santa chiesa Romana e dovuto honore fù sepulto. Doppo la sua morte comincia nascer magna perplexitas et dissensio non solamente fra li religiosi, ma ancora fra secolari cattolici del vicario di questo vescovado sede vacante. Perchè vicario generale del defonto vescovo non si vole intrigare più senza ordine dell' E. E. V. V. e P. fra. Francesco Ogramich da Posega ministro provinciale di Bosna pretende sibi hoc officium competere ex vi unius decreti dell' E. E. V. V. ma si dubita de lui, primo di essere cascato nella scomunica bullae caenae domini per havere con alcuni frati del convento di Velika mesi passati pubblicamente impedito monsignor defonto vescovo di Bosna dalla visita et exercitio iurisdictionis in legitima parte suae dioecesis, procurando dalli tribunali turcheschi mandati e lettere di minaccia contro detto vescovo con grandissimo scandalo del secolo e travaglio di detto prelato, qual travaglio li abreviò la vita. E poi detto provinciale è notato di homicidio, per havere, fanno 6 mesi, nel convento di Nasize fatto bastonare alla paesana talmente un chierico novizo per nome fra Francesco, che dapoi fra sette o otto ore fù trovato morto sine luce, sine cruce, tutto livido et insanguinato da dette bastonate. Questi casi sono pubblici e notorii. Per queste cause e molte altre del suo mal governo, questo popolo è assai scondalizzato da lui. Questo si notifica all' E. E. vostre per scarico della nostra coscienza e ben publico di questa christianità, non per altro, humilmente supplicando, si degnino di provedere tempestive un' altro direttore di questo vescovado sede vacante, overo (se pare all' E. E. V. V.) confirmare vicario generale del defonto vescovo, homo quieto et assai pratico del governo sarebbe utilissimo. Il tutto si rimette allo sapientissimo giudizio dell' E. E. V. V. alle quali facciamo profondissima riverenza, pregando sua divina maestà per la diuturna conservatione e felicità sua e reverentemente li baciamo la s. Porpora. Di Piombo li 28. di septembre 1660. Dell' eminenze vostre humilissimi servi et figli fra Michaele da Gostiglia guardiano di Piombo de m. oss. Fra Pietro de Tuogl, predicatore della provintia de' minori osservanti. Fra Giov. Cerich parocho di Gostilia minore osservante.

Tabular. congreg. de propag. fide, vol. 305, f. 166.

MCCCCXXXVIII. 1661, 29 Januarii, Viennae.

Leopoldus I. rex proponit Alexandro PP. VII. fr. Matthaeum Benlić ad sedem Bosnensem et fr. Petrum Jurjević ad sirmiensem promovedos.

Beatissime in Christo pater, domine reuerendissime. Post officiosam nostri commendationem et filialis observantiae continuum incrementum. Sanctitati vestrae filiali obsequio detegere necessitamur, qualiter annis superioribus religiosus quidam frater ordinis sancti Francisci de observantia Marinus Ibrisimouich dictus, postquam neque Sirmiensis, neque Bosnensis episcopatus nominationem a praedefuncta sua maiestate cesarea et regia domino genitore nostro desideratissimo gloriosae reminiscentiae obtinere potuisset, Romam profectus est, ibique sacram de propaganda fide con-

gregationem non usquequaque realiter informando erectione noui tituli Belgradiensis, (qui tamen idem est cum Sirmiensi), uti id ex prothocolis (sic) apparet, se in eiusdem episcopum ordinari procurauit. Cum autem hoc ipsum factum non solum religioso fratri Petro Jurieuich, itidem ordinis s. Francisci de obseruantia, attunc nominato Sirmiensi (si quidem Belgradum sedes episcopi et caput provinciae Sirmiensis extiterit); uerum etiam iuri nostro regio, quod in nominandis dicti episcopatus personis a sexcentis et pluribus annis habemus, grauiter praeiudicasset, laboratum fuit per homines nostros in curia S. V. ut praespecificatus titulus Belgradiensis aboleretur, dictusque Petrus Jurieuich, a praememorato quondam d. genitore nostro legitime nominatus, confirmaretur. Verum cum in locum antelati fratris Mariani Ibrisimouich demortui religiosus frater Mathaeus Benlich, praerepetiti ordinis s. Francisci de observantia, statim successisset, sicque in titulum illum confirmatio saepefati fr. Petri Jurieuich in hunc usque diem dilata fuit magno dictae ecclesiae detrimento. Jam itaque cum uacante sede episcopatus Bosnensis, cuius nominatio nobis competit, optima differentiae huius complanationis occasio affulgeat, eundem episcopatum Bosnensem dicto fratri Matthaeo Benlich conferendum duximus, ut abolito per S. vestram titulo illo Belgradiensi nouiter erecto (cuius de facto is possessor existit), tandem supranominatus Petrus Jurieuich in titulum Sirmiensem legitime nominatus confirmetur, ecclesiaque illa Sirmiensis sub uno pastore, uti hactenus semper, tranquilla pace et concordia, fructuque spirituali ampliori fruatur et gaudeat. Ac proinde apud S. vestram denuo cum filiali observantia et obsequio instamus, eandemque rogamus, quatenus huic nostrae intentioni pro saepefata ecclesia adeo utili annuere dignetur, neque miseram illam plebem catholicam in tot scissiones et discordias magno christianitatis damno ire patiatur; alias cum nominatio ad dictos episcopatus Bosnensem et Sirmiensem ad nostram nominationem a tot seculis priuilegiis nobis a praedecessoribus S. vestrae beatae memoriae superinde concessis ex eo pertineat, quod provinciae illae sacrae regni nostri Hungariae coronae sint incorporatae, nos quoque causam hanc amissione iuris nostri regii in provincias dictas minime deserere possumus. Nulli dubitantes, quin S. V. nos uti filium sibi deuotissimum in dictis iuribus nostris non solum conseruatura, uerum etiam contra alios quosuis impetitores paterne tuitura sit, atque defensura. Faciet in hoc sanctitas vestra rem catholicae ecclesiae proficuam et nobis gratissimam, quam de vestra sanctitate obseruantia officiisque filialibus omnino promerebimur. Cui nos de reliquo reuerenter offerimus et obsiquiose commendamus. Datum in ciuitate nostra Vienna die 29. mensis januarii anno domini 1661. Regnorum nostrorum Romani tertio, Hungariae et reliquorum quinto, Bohemiae vero anno quarto. Eiusdem Sanct. vestrae obsequen. filius Leopoldus.

Tabular. congreg. de propag. fide orig. vol. 310. De iure nominandi episcopos bosnenses, item de ecclesia belgradensi v. *Theiner*: Vetera monumenta Slavorum merid. II. 152—160, 172, 206, 213.

MCCCCXXXIX. 1661, 5 Martii, Viennae.

Leopoldus I. imperator et rex Andreae Brnjaković, alias Grubišić, lib. baroni de Olovac, restituit possessiones „Liszi, Draganczichij, Radaczichij, Poniczka, Milankovichii, Glaviczno, Salan, Czunista, Dastantio, Ravnij,

Zeravze, Bagna Luca, Caretichij, Repnik, Banovichij, Dragugna, Obodniza, Argoni, Imeniza et Babonanoga nuncupatas, in regno Bozniae, olim ad s. regni Hungariae coronam pertinente, existentes", quibus progenitores dicti Andreae a Turcis privati erant.

Bibl. vatic. Ottobon. msc. 927, v. nr. MCCCCXXXII.

MCCCCXL. 1661, 7 Martii.

Provincialis et fratres Bosnenses rogant summum pontificem, ne permittat, ut quatuor hospitia a Bosnensibus securitatis gratia in Dalmatia novissime erecta, sub iurisdictionem prov. Dalmatiae veniant; significant porro 4 conventus Bosnae cum morte quorumdam fratrum esse incendio deletos, tres vero, cum fratres non possent ultro tyranidem Turcarum sustinere, prorsus derelictos. Item rogant, ne cuiquam provincialatum quoquomodo ambienti faveat, sed edito Brevi pauperi provinciae servandi in posterum ordinis gratia prospiciat.

Beatissimo padre. Il provinciale e frati minori osservanti della provincia di Bosna Argentina, soggetta al dominio del Turco, humilmente l' espongono; come per le guerre continue in quelli paesi furono abrugiati 4 conventi con morte di alcuni frati, et li altri si sono ritirati in Dalmatia, dove con gran stento hanno fatto 4 hospitii. Hora il padre provinciale di Dalmatia pretende metterli sotto la sua obbedienza, non essendo stati mai sottoposti, tenendoli solo gli oratori per loro rifugio, e delle robbe, utensili e delle chiese, dal furore turchescho, che patiscono giornalmente in modo, che oltra quelli quatro conventi altri tre sono stati lasciati affatto, non potendo più resistere alla tirannica persecutione. Pertanto ricorrono humilmente prostrati avanti li smmi piedi di V. B. acciò come pastore clementissimo si degni far gratia dar ordine, che il detto padre provinciale di Dalmatia non si ingerisca mai in modo alcuno in quelli quatro hospitii, ma che stiano sotto la obedienza del provinciale di Bosna Argentina, come sempre sono stati, et hoggi esistono, e medesimamente che non si prohibisca di far la cerca. Supplicano anche gli oratori V. Santità, se qualcheduno ambitioso di detta provincia di Bosna Argentina recurresse a V. B., mediate o immediate, con voler Breve per il provincialato della medesima voglia degnarsi non concederlo, poichè sarebbe l' ultima rovina della povera provincia in questi tempi di guerra, nella quale il nemico è molto adirato, et poi s' introdurrebbe uso, il quale mai è stato, et alli ambitiosi et immeritevoli s' aprirebbe la strada di fare a modo loro, dando ad intendere alla santa chiesa una cosa per l' altra. Et in questo particolare gli oratori in visceribus Christi desiderano dalla santa vostra gratia per un' ordine da osservarsi in perpetuo, che oltre sarà utile alla religione viveranno in maggiore pace e quiete, intenti sempre attualmente pregare sua divina maestà per la salute e longa vita di V. B. Quam Deus etc.

Alla santità di n. signore Alessandro papa VII. Informino mons. Albitio segretario della congregatione di propag. fide. Sign. card. Rospigliosi. Il provinciale di Bosna con memoriale rimesso da n. s. espone, che essendo per cagione delle guerre stati abbrugiati quattro conventi di

quella provincia li frati, che non vi rimassero morti, si ritirarono in Dalmatia e con molto stento vi hanno eretto quattro hospitii etc. Parlare prima con il sign. card. Barberini.

Tabular. congreg. de propag. fide vol. 305 f. 141.

MCCCCXLI. 1661, 30 Martii, Fojnicae.

P. minister provincialis Bosnae et p. commissarius generalis supplicant eminentissimis cardinalibus, ut fr. Matthaeo Benlić nominato episcopo Bosnensi faveant eique confirmationem a sancta sede procurent.

Eminentissimi et reverendissimi signori padroni collendissimi. Dopo haverse compiaciuta la sacra maestà cesarea d' honorare questa povera provincia conforme le nostre suppliche et instanze di conferire il titolo et vescovato di Bosnia al mons. fra Matteo Benlich vescovo di Belgrado; cosi anco con ogni dovuta riverenza prostrati a piedi delle loro eminenze a nome di tutta provincia supplichiamo humilmente, acciò si degnino di confermare per il vescovato di Bosnia il sud. mons. di Belgrado, la nostra et di tutti questi consolatione et satisfatione, poichè in questi calamitosi tempi habbiamo bisogno di un simile prelato, il quale attende all' honor di Dio, alla salute delle anime et alla comune pace de tutti; et questa grazia fatta sarà universale consolatione. Et per che eminentissimi signori quasi giornalmente habbiamo bisogno dell' opera del vescovo in consecrare calici, particolarmente conferire l' ordini, assolvere li casi et altre necessità spirituali, per tanto le supplichiamo, essendo questo monsignore consecrato, et gratificato per il vescovato di Bosna dalla s. sacra maestà cesarea, così ancor loro si compiaccino di confermarlo, et così questo sarà abbastanza d' amministrare per tutte queste parti et non fa bisogno in questi calamitosi tempi di moltiplicare vescovi, perchè non potemo più di uno sostentare dalla nostra povertà, massime in questi tempi tribolati. Di più eminentissimi signori havemo inteso, che un certo p. fra Mariano Lisnich da Imota sia promosso al vescovato senza alcuna saputa della provincia nostra, non essendo a questo fine mandato in coteste parti; per tanto supplichiamo humilmente l' eminenze loro, acciò ci faccino gratia di mandarlo in quà per rendere il conto della nostra limosina data dalla sacra maestà cattolica per mantenimento de conventi di questa povera et afflitta provincia, da lui scossa in Napoli come dal nostro procurator; et non siamo contenti, che lui la spenda per procurare per se stesso li vescovati, ma che la porti in provincia per il suddetto bisogno; per la qual gratia restaremo obbligatissimi alle eminenze loro di pregare la s. d. maestà. Quos Deus etc. Foinizza 30. Marzo 1661. Delle v. eminenze reverendissime humilissimi et devotissimi servitori fra Francesco Ogramich di Possega provinciale di Bosna, fra Martino di Posega commiss. visitatore della prov. di Bosna Argentina.

Ibid. v. 305 f. 174.

MCCCCXLII. 1661, 28 Mail, Medling in Austria.

Nuntius apostolicus Viennae, quod praesentaverit epistolam in negotio Bosnensi suae maiestati caesareae.

Medeling 28. Maggio. Monsignor nuntio all' imperatore haveva presentato a s. maestà il breve responsivo sopra il negotio di Bosna et haveva espresso alla maestà sua le ragioni contenute nelle due scritture trasmesse li di monsignor Alberici sopra la materia. Da sua maestà era stato udito il tutto con attentione e con benignità; ma non ricordandosi di ciò, che si fosse risposto alla lettera scritta le in tal proposito dal signor. march. Mattei, gli haveva detto la maestà sua, che se l' intendesse col cancelliere d' Ungheria, il che M. haverebbe eseguito, subito che questo fosse tornato da Possonia, per riferire quà ciò che havese ritratto. A mons. Alberici. Medeling 28. Maggio 1661. Die 13. Junii 1661. 50. 6. 13.

Tabular. s. congregationis de propag. fide vol. 305 fol. 177.

MCCCCXLIII. 1661, 8 Julii, Velikae.

Fr. Matthaeus Benlić significat suae sanctitati, se a rege Hungariae esse nominatum episcopum Bosnensem, rogatque confirmari et addit nonnulla de periculis ex parte patriarchae Constantinopolitani ecclesiae catholicae imminentibus.

Beatissimo padre! Essendo passato da questa a meglior uita monsg. vescouo di Bosna, nel luogho del quale la maiestà imperiale s' è compiaciuta di honorare questa pouera provincia per sodisfacione commune conferendo il titolo del vescouo di Bosna alla persona mia. Per tanto prego humilmente la santità vostra, acciò per il paterno affetto e carità si degni di confirmarme per suddeto vescovato, poichè, beatissimo padre, sono terminati dieci anni, ch' in questi calamitosi tempi, sopportando molte tribulationi, seruo da vescovo consecrato con ogni fedeltà la chiesa santa, e questi popoli, non hauendo in questa diocesi di Belgrado ne propria casa nè convento della religione, doue al fine potrei spirare in pace l' anima mia. Per tanto sotto l' vechiaia mia domando questa consolatione e gratia dalla santità v.; alla quale manifesto, qualmente il patriarcha di Constantinopoli greco scismatico attende d' annichilare li vescovi prouinciali et altri officiali in queste parti, e tutti li religiosi e cattolici per forza sugiugare alla sua obedienza et al rito greco; et per la libertà della nostra fede è necessario, che gli religiosi e cattolici spendano gran quantità di denari nelle liti, com' a pieno apparerà in scriptis alla sacra congregatione; et per fine prego Dio con tutto questo popolo per la longa vita della santità vostra. Quam Deus etc. Da Velica li 8. di Luglio 1661. Della santità vostra indignissimo servitore fr. Matteo Benlich, vescovo di Belgrado.

Ibid. vol. 310 f. 187. In eadem re aliis ddto 16 Julii. Ibid. v. 305 f. 184.

MCCCCXLIV. 1661.

Fratres minores provinciae Bosnae provocant s. sedem, ut faciat observare bullam Pii V., secundum quam christiani non possunt esse sclavi, rogantque, ut eadem in lingua latina et illyrica typis mandetur.

Beatissimo padre. Con ogni humiltà supplicano sua santità li frati minori osservanti della provincia di Bosna Argentina di provedere in qualche modo ed ordinare alli vescovi e li parochi di Dalmatia e Slavonia, che facinno osservare la buolla (CXLIX). „Licet omnibus" etc. fel. m. Papa Pio V. nella qualle ordina sub poena excomunicationis latae sententiae, che quelli poveri christiani habitanti in Turchia, già tanto molestati e perseguitati dai Turchi per la fede, in conformità di detta buolla non siino molestati ne presi dai christiani per li schiavi, come sonno stati per lo passato, trovandoli nelle proprie case li spogliano, menano per li schiavi, li taglie impongonno, e quel che è peggio, li vendono come schiavi con grandissimo scandalo di tutti, perchè non si trova alcuna setta fare tali cose, che fanno catholici: per ciò havemo inchiuso qui la bulla in idiomate latino ed illirico, acciò facendola stampare ognuno restasse capace, che della gratia quam Deus etc.

Tabular. congreg. de propag. fide vol. 305 fol. 208.

MCCCCXLV. 1661.

Definitorium Bosnense exponit s. Congregationi, quod multas vexationes ex parte patriarchae Constantinopolitani, qui intendit hierarchicum ordinem in Bosna suffere, et catholicos sibi subjicere, patiantur.

Eminentissimi signori padroni colendissimi. Con la presente nostra facciamo la dovuta riverenza all' eminenze loro, avisandole insieme con la medesima delle grandissime persecutioni e tribulationi nostre, e di quelli fedeli cattolici, le quali per la santa fede cattolica sopportiamo dal patriarca di Constantinopoli, Greco scismatico, che nelli suoi tempi mai hanno pattito e sopportato li nostri padri vechi sotto questo inhumano dominio. Havendo procurato suddetto patriarca efficacissimo mandato dal gran signore e vesir di Bosna, capitano generalissimo d' arme ottomane in queste parti, contro tutti li religiosi e cattolici, attendendo a viva forza d' annichilare li vescovi, provinciali, custodi, guardiani et altri officiali per forza del suddetto mandato, volendo ridurre e sottoporre al rito greco il clero, religiosi e cattolici, e farli tutti scismatici, presumendo d' essere cognosciuto lui per sommo pontefice in queste parti, come l' E. E. V. V. in questa copia, che le mandiamo, per maggior certezza autenticata dal cadi giudice, vederanno ogni cosa più appresso. Et sin' hora in diversi luoghi di Bosna tanto li religiosi quanto li cattolici grandemente ha tribulato e lacerato, ove per la difesa della santa fede cattolica s' è perso grandissima somma di denaro, ne cessa di persequitarci. Poichè per il passato habbiamo sempre havuta la libertà a suo tempo di celebrar il capitolo e congregarsi, che hora dal sudetto visir di Bosna c' è vietato omninamente sotto pena della vita a tutti, e si dice, che il medesimo patriarcha scismatico l' habbi persuaso a questo. E di tutto questo l' eminenze loro si potranno meglio accertare dal la-

tore di questa, il quale humilmente raccomandiamo alla clemenza loro con tutti l' interessi nostri, per li quali si manda a coteste corti, acciò per pietà li siano favorevoli e benigni etc. D' E. E. V. V. humilissimi figli e servitori: Io fra Mich. di Cernich padre del convento. Io fra Nicolao Perich. Io fra Stefano Cneseuich guardiano di Velica. Io fra Martino da Brod diffinitore. Io fra Giov. di Dernis. Io fra Pietro Nicolich di Possega etc. Io fra Francisco Ogramich ministro provinciale e vicario apostolico. Io fra Martino di Possega commissario visitatore della provincia.

Tabular. congreg. de propag. fide v. 305 f. 186.

MCCCCXLVI. 1661.

Hieronymi Pastrić, Spalatensis, collegiatae ecclesiae s. Hieronymi Slavorum in urbe canonici, votum in favorem fr. Matthaei Benlić.

Joannes Tomcus Margnavicius, sacerdos saecularis, natus Sibenici in Dalmatia, origine Bosnensis, a Ferdinando II. (circa anno 1634.) nominatus fuit ad dictum episcopatum Bosnensem, confirmationemque obtinuit ab Urbano felicis recordationis P. P. VIII. Sed cum praedictus Tomcus, uti sacerdos saecularis et ignotus principi temporali, ad residentiam in Bosnam timeret proficisci et in ea tute permanere, episcopatum huiusmodi in manibus eiusdem regis dimisit, ut petentibus religiosis s. Francisci minor. de observantia s. maiestas nominare dignaretur aliquem idoneum religiosum eiusdem ordinis, nominavit fr. Thomam Margnavitium Bosnensem, nepotem eiusdem Tomci, cum confirmatione s. sedis apostolicae; post cuius obitum idem rex nominavit ad dictum Bosnae episcopatum fratrem Marianum Maravich Bosnensem, eiusdem ordinis, episcopum Dumnensem; et ipso defuncto ab eodem rege nominatus fuit sub die 20 novembris 1661. frater Matthaeus Benlich Bosnensis, eiusdem ordinis episcopus Belgradiensis. Super confirmatione huius postremae nominationis duo opposita fuisse videntur: 1. Quoad ius praetensae nominationis. 2. Quod episcopus Benlich Belgradiens. non sit transferendus ad alium episcopatum. Ad hoc (secundum) respondetur, vel ob defectum personae vel ob inconvenientiam; si ob huius modi defectum qualis sit ignoratur. Ceterum est communis vox et fama, ipsum (Benlić) esse praelatum doctrina, pietate, zelo, integritate, sollicitudine et morum praestantia insignem adeo, ut contra ipsum quaerela vel aliud contrarium coram sua maiestate fuerit expositum . . . . . .

Ibid. v. 316 f. 269—274. Dissertatio de regno et episcopatu Bosnae.

MCCCCXLVII. 1662.

Indiculus eleemosynarum, quas a rege Hispaniae annue accipiebant provinciae minor. s. Francisci: Ragusina, Dalmatiae, Albaniae, Bosnae Argentinae et Bosnae Croatiae.

Nota della tratta, che distribuisce rè di Spagna à cinque provincie, cioè Dalmazia, Ragusa, Albania, Bosna Argentina e Bosna Croacia. Alla provincia de Dalmatia charra di grano vinti. Alla provincia de Ragusa charra dicciotto. Alla provincia de Albania charra vinti. Alla provincia

Bosna Argentina charra vinti. Alla provincia Bosna Croatia charra trenta. Di queste provincie molti frati reclamano, che questa lemosina sia malamente administrata da li provinciali, non trovandosi sua dispensatione per li monasterii, come era per il passato, però si supplica vostra s. illustrissima di exponere nella sagra congregatione della propaganda fide, a ciò diano qualche ordine alli padri provinciali di dette provincie, che ogni uno dia conto del suo triennio della detta lemosina con la sottoscritione di padri guardiani con la sua familia di conventi della ricevuta lemosina, e poi mandarano conti a Roma all' illustrissimo sig. segretario di propaganda fide per prima volta, et ogni volta in che modo piacerà alli eminentissimi signori cardinali, ordinando sotto pena di atti legittimi etc.

Tabular. congreg. de propag. fide vol. 305 fol. 227.

MCCCCXLVIII. 1663, 22 Januarii, in Niemci.

Clerus et populus Sirmiensis exponit sanctissimo patri omnes tribulationes episcopi Belgradiensis, qui in Niemci et Temesvar in vincula coniectus multa verbera perpessus, ipsamque mortem, non nisi numeratis multis nummis, vix evasit: laudatque eius zelum et pacis amorem, et favoribus commendat.

In Dei nomine Amen. Inchoavi hanc visitationem districtus ac episcopatus Diakovensis alias Bosnensis alias situati intra Savum et Dravum die 24. mensis Junii anno domini 1695. per patentes litteras, mihi transmissas ab illustrissimo et reverendissimo domino, domino fratre Nicolao Plumbeo, sacrae caesareae regiaeque maiestatis consiliario, divina et sanctae sedis dignatione episcopo Diakovensi alias Bosnensi, quibus praeceptorie mihi demandat et praecipit, quatenus episcopatum eiusque dictrictum videlicet a Dravo usque ad Savum visitarem, tam in capite quam in membris, gregemque cum pastoribus degentibus in dicto episcopatu ac districtu inquirendo singillatim ab uno quoque eorum, tam a grege quam a pastoribus, statum parochiae earumdem recognitionem legitimi praelati ac episcopi, quae lubens ac cum omni diligentia, maiori qua potui facere, feci, inquirendo a singulis tam obedientibus et recognoscentibus pro suo legitimo praelato ac vero episcopo, (dictum fratrem Nicolaum Plumbesem pro vero et legitimo episcopo), quam qui ex adverso sunt recognoscentes et incontrarium sentientes, omnia et singula dicta et facta, a proprio ore eorum et testimonio fide dignis roborata hic compendiose do, constantique uniuscuiusque assensus et dissensus tam in favorevolam partem dicti episcopi quam in contrariam partem eiusdem episcopi. Sunt sequentes parochiae et parochi una cum grege uniti et disuniti: Ego fr. Bernardinus a Gradisca parochus confirmo ut supra pro me et populo recognoscentes pro suo legitimo episcopo et praelato. Ego fr. Georgius Turbicz, guardianus Velicae et parochus confirmo, ut supra, pro me et populo recognoscentes pro suo legitimo episcopo et praelato. Ego fr. Philippus a Posega, praesidens in Vochino et parochus pro me et populo confirmo ut supra. Ego fr. Marcus a Dubicza, parochus Posegiensis pro me et populo confirmo ut supra. Ego fr. Stephanus Glumglumchich (sic), parochus parochiae in Garczino confirmo ut supra. Ego fr. Jacobus Vinogracz guardianus Dubiczensis et parochus eiusdem confirmo pro me, meisque parochis in districtu Dubiczensi ac populis contentis recognoscentes episcopum Bosnensem esse nostrum legitimum episcopum et praelatum. Ego fr. Gregorius Osugbiczensis confirmo ut supra pro me et populo. Ego fr. Marianus Trosich, parochus Pakriczensis confirmo ut supra pro me et populo. Ego fr. Michael de Posega, parochus Czernekiensis confirmo ut supra pro me et grege. Ego fr. Jacobus a Radovanczi, parochus Gradko-Potokiensis confirmo ut supra pro me et populo. Ego fr. Bartholomaeus a Verbosa, parochus Zagradiensis, confirmo ut supra pro me et populo. Ego fr. Martinus a Brod, parochus Varsindoliensis confirmo ut supra pro me et populo. Ego fr. Augustinus de Glogovista, parochus in Orehovacz confirmo ut supra pro me et populo. Ego fr. Augustinus Jakarich, custos provinciae et (paroch.) Brodensis, contestor et libenter subscribo pro me et populo ut supra, recognoscendo cum pleno honore nostrum episcopum et praelatum fr. Nicolaum a Po-

sega Plumbensem, episcopum Diacovensem seu Bosnensem. Ego fr. Nicolaus a Modriczia, parochus in Kopanicz, confirmo ut supra pro me et populo. Ego fr. Josephus parochus Svilaczensis confirmo ut supra pro me et populo. Ego fr. Joannes Gusmodanin, parochus Szikirovacz confirmo ut supra pro me et populo. Ego fr. Franciscus de Bamak, parochus Verbiczen. confirmo ut supra pro me et populo. Ego fr. Blasius a Salinis, parochus Ivankoviensis, confirmo ut supra pro me et populo. Ego frater Antonius a Crescevo, parochus Podgoraczensis confirmo, ut supra pro me et populo. Ego fr. Michael a Nimczi guardianus conventus Nasiciens. confirmo ut supra pro me et populo. Ego fr. Petrus de Posega, parochus in Petrievczi, confirmo ut supra pro me et populo. Ego fr. Nicolaus a Podgoracz, parochus Valkoviensis confirmo ut supra pro me et populo. Ego fr. Michael de Nimczi, parochus Berkiensis, confirmo ut supra pro me et populo. Ego fr. Martinus de Niemczi, parochus Valkovariensis confirmo pro me et populo ut supra. Eszekini patres Jesuitae noluerunt agnoscere pro suo episcopo dominum Nicolaum episcopum Bosnensem ita et pater Lucas Imbrissimovich Posegae, quamquam et patres nostri Eszekini parochialia exercentes et parochus actualis Posegae illum pro vero et legitimo suo episcopo cum toto populo agnoverint. Expeditum per me fratrem Erasmum Posgaij, anno die mense, ut supra.

Academ. scientiar. Slavor. meridional. Zagrabien. cod. msc. IV. c. 10.

MCCCCLXV. 1695, 1 Augusti, Požegae.

Fr. Lucas Imbrišinović episcopo Zagrabiensi de acceptis s. liquoribus, de calice ecclesiae donato et infelici eventu rupto, rogatque, concederet provinciae locum Novi.

Illustrissime et reverendissime domine, domine patrone colendissime! Sacros liquores submissos cum patentibus excellentissimi domini generalis Eszekiensis cum debito respectu et honore accepi; calix quoque consecratus allatus est sed in duas partes ruptus, nam in fluvium Illovam de ponte equus non sine gravi damno latoris praeceps ceciderat, in quo idem lator praevia ex ratione excusandus est; cum vero reparatus fuerit, denuo molestare dominationem vestram illustrissimam et reverendissimam pro eiusdem iterata consecratione necessitabor. Ex parte admodum reverendi patris ministri provincialis, admodum reverendi p. Andreae de Dubochach, reliquorum quoque reverendorum patrum provinciae et mea, prostratus ad pedes dominationis vestrae illustrissimae et reverendissimae demisse cum omni spe gratiam obtinendi rogo, dignetur pro vestra innata benignitate et consolatione illius populi locum Novi in usum nostrae provinciae clementer condonare, et si fuerint (ut certissimum est) aliqui illorum patrum defectus, nos capitulariter congregati omni modo meliori emendare et radicitus extirpare, omnium patrum sensu ad id concurrente, conabimur et pro tali favore et beneficio, ut diutissime Deo et suae ecclesiae felix vivat, divinam exorare obligabimur clementiam. Ad quod benignissimum responsum praestolando eandem dominationem vestram illustrissimam et reverendissimam ad sua felicissima vota valere et conservari opto. Datum Posegae 1. Augusti 1695. Dominationis vostrae

illustrissimae et reverendissimae addictissimus servus fr. Lucas Imbrisinovich, vicarius, manu propria (l. sig.)

Illustrissimo et reverendissimo domino domino patrono colendissimo domino Stephano Selischevich s. caes. reg. maiestatis intimo consiliario, perpetuo comiti de Berzencze, s. M. V. de Topuszka abbati nec non almae ecclesiae Zagrabien. episcopo meritissimo, domino gratiosissimo.

Academ. scientiar. Slavor. meridional. Zagrabien. cod. msc. IV. c. 10.

MLXVI. 1695, 28 Novembris.

Sacra congregatio de propaganda fide in sessione hac die habita decernit, ut card. Nerli referat super proventibus parochiarum conv. Olovensis eiusdem familiae cedendis.

Signor card. Nerli riferirà l' informationi trasmesse da mons. nuntio in Vienna intorno all' instanza del padre guardiano di Piombo in Bosna de minori osser, che si constringhino i religiosi del suo ordine, che amministrano alcune parochie annesse al sudetto convento, a render conto de frutti delle medesime, che s' appropriano contro la consvetudine e la regola. Il che essendosi eseguito conforme avvisa mons. nuntio, resta solo da risolversi, se del denaro, che si ritrovò in mano de sudetti padri o de loro debitori, ne deva disporre la s. congregatione o il p. generale di s. Francesco.

Tabular. status Lucca. msc. Colleredo 3. 156.

MCCCCLXVII. 1695.

Philippus Brnjaković exponit causam, ob quam non poterat interesse rationibus sacristiae Sutjeskensis reddendis, rogatque ut interim totum negotium usque ad suum adventum Romam differatur.

Eminentissimo e reverendissimo signore. Filippo Bernacovich oratore umilissimo di V. E. temendo, che le continue istanze, che fa contro di lui fra Marco Socianin, non lo rendino contumace e lo faccino apparire disobediente agli ordini, della sacra congregatione de propaganda fide, dati per la sua venuta in Roma a fare i conti sopra le supellettili della sagristia di Sotiesca impugnati, i quali senza la presenza di esso non si possono terminare, stante le grosse usure pagate per servizio de frati, come si è dichiarato anco l' istesso guardiano di Piombo venuto in Roma in una sun fede data al sign. Altieri, stima di rappresentare all E. V. esser tutto falso, quanto per parte di esso fra Marco vien supposto; perchè non solo l' oratore ha mai sfuggito di far questi conti, ma ha consumato molti denari in viaggi con essersi portato a Venetia avanti quel mons. nuntio, dove ha aspettato i frati di Sotiesca molti mesi infruttuosamente; ma havendo saputo, che i frati desideravano il congresso in Ragusa, ivi si è puntualmente trasferito, dove havendo i religiosi di Sotiesca fatto istanza assieme con quelli del Piombo a fra Marco di render conto dell' elemosine percette, mentre di una sola portione ne rendeva conto, egli senza terminare i conti si è partito dal congresso portandosi a Roma alla s. congregatione, acciò vedesse esser restata l' opera imperfetta non per sua causa ma per quella di fra Marco, che altro non

studia, che gli ripigliar la sudetta sagristia con danno dell' oratore, e di terminare quest' interesse senza la presenza di esso, che come informato di tutto il denaro, da lui questuato, teme di dover render fuori le somme, che gli tien nascoste. Che poi l' oratore fin ora non sia comparso in Roma, non è per difetto di sua voluntà, ma per impotenza, perchè trovando si per providenza divina al primo avviso della venuta in Roma di fra Marco e dell' ordine della sacra congregatione di venir anch' egli a far qui i conti nella città del Serraglio, in tempo che da quel divano, ad instigatione dell' arcivescovo scismatico, si ordinava l' essecutione degli ordini della Porta contro quei cattolici, come è informata la sacra congregatione, in luogo di venir a fare i conti in Roma con fra Marco s' offri al divano di portarsi alla Porta per far revocare li sudetti ordini, come fece. Poi essendo sopragiunta la campagna del 1693 non ha potuto ottener dal Turco la licenzn di venir in Italia; e dopo ottenuta occupato nei domestici affari, ai quali non ha potuto attender, prima per esser si impiegato per li cattolici come sopra, gli è stato sempre impedito il viaggio per Italia, il quale a quest hora haverebbe terminato, se havesse potuto liberamente passare senza fare la quarantena, nella quale al presente si trova; onde supplica divotamente l' E. V. ad essergli favorevole di altra dilatione, della quale si rende meritevole non solo per non haver disseruito i religiosi et i cattolici, senza la di cui assistenza, sanno ben' essi, quanti travagli havrebbero patito dal Turco; ma perchè la sudetta sagristia non patisce alcun male, e perchè sa molto bene il guardiano del Piombo, praesente in Roma, come ha con sua fede attestato, esser necessario di aspettare l' oratore per far questi conti, e non tornare a loro bene di terminare quest' interesse senza la sua presenza. E quando la s. congregatione non stimasse di dare all' oratore altra dilatione, supplica di commettere al sign. cardinale Coloniz la revisione di questi conti, essendo pronto l'oratore di portarsi alla presenza di esso, subito che haverà terminata la quarantena. Che della gratia etc.

(In dorso): Al eminentissimo e reverendissimo sign. il sign. cardin. Colloredo per la congreg. de propaganda. Per Filippo Barnacouich.

Tabular. status Lucca. msc. Colloredo 3. 101.

MCCCCLXVIII. 1659.

Fr. Gregorius Gabrić, guardianus Olovensis rogat decerni a s. congregatione, ut administratores parochiarum, huic conventui adnexarum, rationes reddere teneantur omnis elemosynae perceptae et erogatae, uti ante provincialatum P. Michaelis Radić moris erat.

Eminentissimo e reverendissimo signore. Fra Gregorio Gabrich minore osservante di s. Francesco, guardiano del venerabile convento della madonna del Piombo in Bosena Argentina, umilissimo oratore dell E. V. prostrato a loro piedi, riverentemente in nome anche di tutti i religiosi del sudetto convento gl' espone, che essendo quella chiesa unico sostegno e refugio di quei poveri fedeli dimoranti nelle sudette parti sotto la barbarie del gran Turco e dalli medemmi Turchi tenuta in grandissima veneratione per l' affluenza continua de prodiggiosi miracoli, che Iddio

opera ad intercessione della santissima vergine, come è ben noto all' E. V. Hora li predetti si trovano in angustie e miserie tali, che sono necessitati abbandonarla con grandissimo discapito della s. fede cattolica, e ciò non solo per il debito contratto coi SS. Ragusei di 1263. zecchini, per il che sono in precinto di vendere quasi tutti i mobili della chiesa sudetta, per haverli somministrato il vitto quotidiano, come distintamente notificorono all' E. V., ma anche per vedersi impossibilitati nel futuro di potersi alimentare, stante che le parochie di detto convento non li rendono più nulla da 7 anni in quà, mentre passando le limosine per mano del P. Gabrielle Stanich mag. s. tutti gl' altri parochi (cosi destinato dal P. Michele Radenich all' hora provinciale), questi usurpò il tutto attribuendoselo a se stesso senza contribuire cosa veruna al convento, ne riconoscere il guardiano di esso, protestando si d' avantaggio voler prosequire il medemo modo in avenire. Supplica tanto l' oratore in visceribus Jesu Christi l' E. V. che con la sua inesplicabil carita e zelo voglia degnarsi prestargli ogni assistenza, con ordinare li sia concessa licenza nella medesima congregatione di poter presentare la loro supplica, acciò possino sequitare come prima per augmento della santa fede, ordinando altre si che le parochie sopranominate siano per l' adietro sottoposte sempre al convento, come si è costumato dal principio, che la Bosina è stata sotto il dominio Turchesco; e che il detto Padre renda esatta ratione della sua amministrazione con restituire il defraudato. Et il P. Michele da Temesvar renda parimente conto della limosina ricevuta dalla parochia di Lippa da sette anni in quà, quale parochia, si come dalla sua benignità è stata concessa al predetto convento, cosi si supplica a conservargliela per sempre. Che del tutto etc. Quam Deus etc.

In dorso: Al eminentissimo e reverendissimo signor cardin. Coleredo in congregatione die propaganda fide per il P. guardiano e frati del convento della madonna del' Piombo in Bosna Argentina.

Tabular. status Lucca. msc. Colloredo 3. 159—160.

MCCCCLXIX. 1696, 20 Februarii.

Cardinalis Altieri referet querelas Philippi Brnjaković contra fratres Bosnenses.

Bosna. Signore cardinale Altieri rifererà le doglianze, che fa il procuratore del signor Filippo Bernacovich de PP. osservanti di Bosna per non esser questi comparsi al rendimento de conti, che doveva farsi appresso monsignor arcivescovo di Spalato per ordine di questa congregatione e giuntamente l' istanza del medesimo procuratore, che incaricò al P. Generale di sollicitare la convocatione del capitolo provinciale in quelle parti, ove i sudetti padri promettono di portarsi per ultimare quell' affare.

Tabular. status Lucca. msc. Colloredo 3. 172.

MCCCCLXX. 1696, 4 Junii.

Cardinalis Carpegna referet votum archiepiscopi Spalatensis super rationibus conventuum Sutjeskensis et Olovensis.

Bosna. Signor cardinale Carpegna riferirà il voto di monsignor arcivescovo di Spalato giudice delegato nella revisione de conti di Sutiska

e del Piombo della provincia di Bosna et il sudetto Filippo Bernacovich, il quale in virtù del sudetto voto a se favorevole fa istanza della terminatione dell' affare, et in oltre supplica unitamente coi padri del convento di Piombo, che i denari ritratti da varie parochie unite a quel convento e perciò ad esso spetanti siano impiegati nella riscussione delle sacre suppellettili del medesimo impegnate in Ragusa a gl' eredi del s(i detto) Calogiero, che minacchiava di farle vendere.

Tabular. status Lucca. msc. Colleredo 3. 225.

MCCCCLXXI. 1696, 4 Augusti, Vukovarini.

Lucas Natali, vicarius generalis sirmiensis, scribit: arcem Morović a Turcis obsideri, cives Vukovarienses metu appropinquantium Turcorum in Bačkam emigrari, ennarrat summam penuriam suam, exponit Turcos proxime in Slavoniam et Hungariam irrupturos.

Eminentissimo e reverendissimo principe signor, signor e patrone colendissimo. Non posso esprimere, quanta consolatione ho ricevuto della ultima di sua Eminenza, alla quale infinite rendo gratie per li tesori celesti delle sacre indulgenze, per li quali resto obligatissimo con tutta questa afflitta christianità, alla quale, si come nel giorno del s. patriarca s. Filippo Neri d' 8 anni fa, do a sapere publicamente con li onori della liberalità et con apostolico zelo di sua eminenza, la quale come il sole riscalda queste parti tanto remaste come preddi per li continui disturbi. Si come li 2 del presente vennero et de facto ossidiarono nel mezzo paese del Sirmio una fortezza detta Morovich 10000 (sic) Turchi per la terra et per l' aqua del Savo, e subito assediata la fortezza corsero 50 a cavalli alla mia parochia Nimczi verso la sera, e menarono indi un Tedesco, il quale era per salvaguardia, soldato cesareo da Essech, 3 principali miei parochiani, lasciando gl' altri le cose e le robbe, fugiendo chi ad una parte, chi al altra, abbandonando il tutto. Qui a Bukovar per la vicinanza del luogo son assai turbati, e vanno con le famiglie dalla parte del Sirmio a quelle di Backa dal altra parte del Danubio; io spetterò il fine. Candidamente e sinceramente confesso alla sua eminenza di non rincrescermi altro, se non che li Turchi sempre si mostrono piu animosi e mi chiudono i passi per aiutare i prossimi, per i quali li 18 del presente s' adimpiranno 16 anni continui, da che in tempo della fame quando si . . . . Quando la peste dissipava e separava i consanguinei, io per li boschi e le selve mi trovavo e li confortavo con i santissimi sacramenti, nelle continue e calamitose guerre li custodisco, mantengo, non li abbandono, e ancora per l' avvenire proseguirei l' apostoliche fatighe, se non m' impedissero i Turchi con le loro continue scorrerie per il Sirmio, nelle quali son stato imprigionato e due volte sententiato dal loro tribunali d' esser impallato appresso la porta della chiesa di s. Stefano rè d' Ungheria; son conosciuto, mentre a tempo dei Turchi facevo per tutte le fiere e nel Belgrado le prediche, le missioni per tutte le parochie; e dicono i schiavi, che se una volta cosi quelli di Belgrado venisse nelle lor mani, mai vederebbe niun luogo soggetto alla christianità, si come 4 presi sacerdoti tal tempo, che si prese dalli nostri Essech, tre son morti nel loro mani, uno per miracolo fù liberato

e fugi, dopo poco spirò per li tormenti ricevuti d' essi. Per questo con le mie spesse lettere ho supplicato l' eminentissimo signore cardinale Kolloniz, acciò m' impetrasse la licenza dalla s. congregazione per un altro paese, al qual all' eminenze loro più piacesse; d' inviarmi oltre ciò, che n' ho il sussidio ne pur le limosine per le messe, ne possono in così steso paese bastare 30 scudi, ma così dal' uno e dal altro morivo, e causa ho a caso di partirmi, e per ciò ho scritto 6 lettere dopo la festa di tutti i santi alla s. congregatione per esser libero da questi affari, dove oltre i pericoli continui di perder o la vita o la libertà ne patisco quasi estrema povertà, e se non fosse un officiale cesareo qui, il quale m' aiutò due mesi fa circa il vitto, io non potrei campare. Mi son rissoluto di morare questo e un altro mese, poi se così mi si chiuderanno i passi dalli Turchi, che non possi aiutare i prossimi, verrò l' istesso nel intorno della guerra con qualche sign. offfciale al Varasdino, di la poi al Italia ad esporre i miei bisogni. In quanto le nova del Turco, si spetta ogni giorno tanto il supremo Vesirio quanto il gran Turco. I nostri sono, sarà presto una settimana, sotto Temisvar. Il nemico costantamente asserisce e persevera d' andar sotto Essech, cosi riferiscono i villani e li schiavi, i quali vengono da Belgrado, appresso il quale i Turchi hanno fabricato un ponte per venir al Sirmio e l' altro sopra il Danubio per soccorrer al Temisvar. Se l' esercito nemico si dividerà in due parti fin' Essech, tutto anderà al ferro et al foco et in schiavitù, per che quelli di Petro Varadino solo son sofficienti a custodire il prenominato fortalizio, e cosi gl' altri; nel campo intra Savum et Dravum et Danubium non habbiamo i soldati, che si potessero opponere, cosi, se dal cielo non li verrà proibito, potranno nociere e dannegiare quanto vorrano. Si è persa quella gratiosa lettera etc. Bukovar li 4. d' Agosto 1696. Di vostra eminenza humilissimo, devotissimo et obligatissimo Luca Natali, vicario generale e missionario apostolico per il Sirmio.

Tabular. status Lucca. msc. Collereto 3.

MCCCCLXXII. 1697, 10 Julii, Velikae.

Seniores patres provinciae Bosnensis, Velicae congregati, praemisso iuramento, testantur: episcopos Zagrabienses nunquam iurisdictionem mediante fr. Petro Nikolić in ecclesia Požegana exercuisse.

In Dei nomine Amen. Nos infrascripti, huius inter Szavum et Dravum flumen districtus, seniores patres provinciae Bosnensis in verbo veritatis et ad sancta Dei evangelia iurantes profitemur et asserimus, patrem quondam Petrum Nicolich de Posega nobiscum per multos annos vixisse, et nunquam in ecclesia Posegana iurisdictionem ullam exercuisse pro parte episcoporum Zagrabiensium, praecipue ex quo modernus dominus episcopus noster Bosnensis praedictam ecclesiam gubernat, neque unquam audivimus vel vidimus ipsum patrem Nicolich iuridice ac palam dictam ecclesiam vel ullum locum ad ipsam spectantem visitasse authoritate domini episcopi Zagrabiensis; imo dum dominus Babich venisset visitatum hasce quasdam ecclesias, specialiter illam de Brod et Gradisca, omnes illi de populo et de clero resisterunt, eundemque per unum

volentem se introducere in iurisdictionem Bosnensium non receperunt et nullibi pro voto populi fuit receptus; et saltem postquam pater Lucas Ibrissinovich aliquod caesareum mandatum attulit, ecclesia Posegana ex parte domini episcopi Zagrabiensis turbari in possessu Bosnen. coepit. Ita constanter et iureiurando, ut praefatum est, affirmamus propriis manibus subscribentes. Datum Velicae hac die 10. Julii 1697. Ita est fr. Jacobus Tvartkovich; ita est fr. Augustinus Jaharich iam definitor et excustos provinciae ut supra cum iuramento affirmo; ita est fr. Stephanus Valkovich, guardianus s. Nicolai in Visoki, parochus Gradischensis ut supra affirmo cum iuramento. Ita est fr. Nicolaus Gurgevich pater provinciae ut supra cum iuramento. Ita est fr. Georgius Farbich definitor ut supra cum iuramento. Ita est fr. Andreas de Dubog(c)ach exprovincialis et commissarius delegatus in hac parte provinciae confirmo. Locus sigilli impressivi.

Academ. scientiar. Slavor. meridional. Zagrabien. Cod. msc. IV. c. 10.

MCCCCLXXIII. 1697, 18 Julii, Brodii.

Item et reliqui patres provinciae Bosnensis Brodii, in synodo congregati, iureiurando attestantur dominum episcopum Diakoviensem seu Bosnensem in ecclesia Požegana usque ad fluvium Hunam suam iurisdictionem exercuisse.

Patres iureiurando attestantur, in ecclesia Posegiensi et in cunctis ad fluvium Hunam situatis nullum alium quam . . . dominum episcopum Bosnensem seu Diakoven. agnitum fuisse pro earumdem vero et proprio episcopo . . . Ita hic synodaliter congregati affirmamus et confirmamus, ut supra iurantes. Actum in parochia conventuali loci Brod dioecesis Bosnensis hac die 25. Januarii 1697. Fr. Jacobus Quartovacz exguardianus Saliche (Saline) et socius parochi Broden. aetatis annor. 57. Fr. Ambrosius a Cattogl. exgvardianus Nassicar. et parochus Orehovicze annor. 65. Fr. Blasius Maturius guardianus conventus Salinarum. Fr. Antonius a Broganczi guardianus Nassicarum. Fr. Martinus Buzoga guardianus convent. Velicze. Fr. Stephanus Klunchich guardianus Schisztiche (?) Fr. Franciscus Barnich, pater provinciae et residentiar. (sic.) Essekiensium (sic) praesidens. Fr. Nicolaus Gimchevich pater provinciae aetatis annor. 74. Fr. Stephanus Velekovich, guardianus in Viszoki aetatis 67. Fr. Paulus Nicolich exdefinitor et secretarius provinciae. Fr. Augustinus Jaharich excustos provinciae et iam ferme 30 annorum parochus in Brod aetatis 58.

Fr. Augustinus Jaharich exdefinitor et excustos provinciae praesidens in Brod sub dato 18. Julii 1697. scribit episcopo Bosnensi et sub iuramento testatur, quod nunquam vidimus aut audivimus dictum p. Petrum Nicolich aut occulte exercuisse Zagrabien. domini episcopi iurisdictionem, ergo (ego?) qui dicto patri Nicolich tot annis iuvenis, dum Velicae studueram, inserviveram.

Capitulum Vesprimense. Memoriae commendamus etc. Datum sabatho proxima ante dominicam cantate anno Domini 1699. lecta et correcta in capitulo, publicat qualiter „Jacobus Illiassich . . . praemisso iuramento . . . fassus est: se scire fuisse vicarium episcopatus zagrabiensis in spiritualibus defunctum olim patrem Lucam Imbrissinovich provinciae Bosnae

Argentinae professum, in partibus controversis per regnum Slavoniae, eundem patrem anno proxime (elapso) Poseghae in praesentia dicti domini fatentis praetitulato . . moderno . . episcopo Zagrabiensi contra . . dominum episcopum Bosnensem quaerulatum et lamentatum exstitisse . . . . Memoratus vero dominus Nicolaus Tribinacz (senator civit. Zagrab.) recognovit, ante eundem (Imbrissinovich) Petrum Nicolich, ante hunc autem Matthaeum Billich (Benlich) pariter egisse officium vicariatus episcopi Zagrabiensis . . .

1654. 13 Julii sacra congreg. de propaganda fide proponente eminentissimo card. Pamphilio libellum supplicem episcopi Bosnensis praetendentis restitutionem in integrum circa parochias Slavoniae inter Dravum et Savum respondit: Standum esse in decretis et perpetuum silentium causae imponit.

Academ. scientiar. Slavor. meridionsl. Zagrabien. cod. msc. IV. c. 10.

MCCCCLXXIV. 1697, 27 Septembris, in castro Ebersdorf.

Leopoldus I. renovat et confirmat donationales litteras Ferdinandi III. dudum in favorem episcopi Bosnensis editas.

Nos Leopoldus etc. Memoriae commendamus tenore praesentium significantes, quibus expedit universis: Quod fidelis noster nobis dilectus reverendus frater Nicolaus Plumbensis, episcopus Bosnensis et consiliarius noster, medio dimissi memorialis sui, maiestati nostrae humillime porrecti, exposuerit hunc in modum, qualiter idem (litteris) donationis illius super collatione praefati episcopatus Bosnensis religioso olim fratri Mariano Maravich in civitate ista nostra archiducali Viennensi, anno adhuc 1650 die vero 4. mensis Septembris, dudum transacto per praedecessorem, desideratissimum quippe piae reminiscentiae Ferdinandum III. genitorem nostrum facta, clementissime impertitae ac in prothocolo seu libro cancellariae nostrae regiae aulico-hungaricae regio more solito insertae ad praesens pro iurium suorum tuitione plurimum indigeret, essetque necessarium supplicando maiestati nostrae debita cum instantia humillime, quatenus praeatactarum litterarum, collationis utpote mentionati episcopatus Bosnensis donationalium, tenorem in memorato prothocollo seu libro nostro regio requiri et reinveniri faciendo in transumpto litterarum nostrarum authentico eidem extradi facere benigne dignaremur, quarum quidem litterarum donationalium (tenor) talis esset: Ferdinandus Dei gratia etc. Memoriae commendamus tenore praesentium significantes quibus expedit universis; quod nos, cum ad singularem certorum fidelium nostrorum intercessionem et diligentem recommendationem pro parte religiosi fratris Mariani Maravich provincialis Bosnae Argentinae apud episcopatum Bosnensem alias Diakoviensem, per mortem et decessum reverendi Thomae Mrnijavits eiusdem episcopatus Bosnensis alias Diakoviensis ultimi veri et immediati possessoris de iure et de facto vacantem, authoritate iuris patronatus nostri regii, quod in conferendis omnibus regni nostri Hungariae partiumque et regnorum eiusdem sacrae coronae subiectorum ecclesiis et beneficiis, instar divorum quondam Hungariae regum, praedecessorum nostrorum felicissimae reminiscentiae, habere et exercere dignoscimur, nominandum, eligendum et praesentandum, eun-

demque episcopatum Bosnensem alias Diakovensem simul cum omnibus castris, castellis, oppidis, villis, possessionibus, praediis, portionibus, signanter vero civitate Diako, territorioque eiusdem et aliis cunctis pertinentijs inter fluvios Savum et Dravum adiacentibus, sub suis veris metis et limitibus existentibus, ad eundem episcopatum Bosnensem, alias Diakoviensem, de iure et ab antiquo spectantibus et pertinere debentibus, nec non cum omnibus eiusdem iuribus, honoribus, libertatibus praerogativis, proventibus, obventionibus et emolumentis praefato Mariano Maravich, omni eo iure et iurisdictione, qua antecessores sui dictum episcopatum ab antiquo pacifice possederunt, dandum duximus et conferendum, nullum alium per quemlibet tandem quoquo modo in dictum episcopatum vel aliquam illius dioecesis partem impositum vel imponendum aut se qualitercunque ingerendum agnituri vel in eodem tolleraturi, quinimmo pro summa, qua ut rex Hungariae apostolicus utimur facultate et authoritate, memoratum episcopatum Bosnensem alias Diakoviensem contra tales omnibus opportunis modis et medijs adhibitis defensuri et tutaturi; concedentes insuper et conferentes eidem ius patronatus quoque nostrum regium in conferendis personis idoneis et benemeritis cunctis eiusdem ecclesiae Bosnensis alias Diakoviensis beneficijs quovis tempore vacaturis. Immo nominamus, eligimus, praesentamus damusque et conferimus praesentium per vigorem. Quocirca vobis fidelibus nostris honorabilibus, capitulo ecclesiae Bosnensis alias Diakoviensis harum serie firmiter committimus et mandamus, quatenus amodo in posterum praefatum Marianum Maravich pro vestro vero et indubitato episcopo et praelato habere et tenere ac recognoscere eique debitam reverentiam, honorem et obedientiam, sicut bonos ecclesiae ministros decet, praestare et exhibere, in omnibus denique licitis et consvetis rebus iurisdictioni eius parere et obtemperare modis omnibus debeatis et teneamini. Secus non facturi; praesentibus perlectis exhibenti restitutis. Datum in civitate nostra Vienna Austriae die quarta mensis Septembris, anno Domini millesimo sexcentesimo quinquagesimo. Unde nos humillima huiusmodi praefati fratris Nicolai Plumbensis, episcopi Bosnensis, supplicatione clementer exaudita et admissa, praescriptas litteras donationales earumdemque tenorem de verbo ad verbum sine diminutione et augmento aliquali de praeattacto prothocollo seu libro regio transcribi et transumi, praesentibusque litteris nostris inseri et inscribi faciendum, eidem episcopo Bosnensi iurium eiusdem futuram ad cautelam necessariam extradandum duximus et concedendum, communi svadente iustitia, harum nostrarum secreto sigillo nostro, quo ut rex Hungariae utimur, impressione communitarum vigore et testimonio litterarum mediante. Datum in castro nostro Eberstorff die 27. mensis Septembris anno Domini 1697. regnorum nostrorum romani quadragesimo, Hungariae et reliquorum quadragesimo tertio, Bohemiae quadragesimo secundo. Leopoldus (L. S.) Joannes Georgius ab Hoffmann. Joannes Domanczky.

Historia domus fratrum minor. Pozegiens. msc.

MCCCCLXXV. 1698, 5 Aprilis, Požegae.

Fr. Marinus Hunalić, parochus Požegiensis scribit episcopo Diakovensi seu Bosnensi, quod praeter fr. Lucam Ibrišimović adventu cuiusdam commissarii episcopi Zagrabiensis omnes fuerint turbati etc.

Diu desideratas illustrissimae dominationis vestrae tandem accepimus litteras et cuncta, quae in eisdem nobis expressit intelleximus, suntque omnia ea sic prout nobis proposuit, nec quidquam eorum secus se habet, non solum a quo nos eorum memoriam habemus, verum et ex quo nostri antenati, a quibus semper audivimus, quod episcopus Bosnensis duntaxat perpetuo hunc populum sub sua iurisdictione habuerit, eundemque gubernaverit; Zagrabiensis vero tantum audivimus, quod esset in rerum natura, sed eundem nunquam vidimus usque nudius tertius, quando ad nos venerat quidam, sed eum non agnovimus, abivitque a nobis plane sicut venerat; ille vero, qui eundem huc fecerat venire, ut vidit, quod populus ob eius adventum turbatus et scandalizatus exstiterit, statim tertia die ab eius discessu infirmatus est et ab hoc mundo discessit dare rationem domino Deo, qui misereatur eius; nihilominus valde pauci homines indoluerunt de morte eius, quia multa scandala exorta sunt ab eo, non solum in his partibus sed et in aliis. Cum vero spargatur, quod velit nobis alium mittere in locum huius patris Lucae demortui, firmiter et constanter omnes et unamini et concordi voce asserimus, quod nec eum, quem fors ille mittet, nec alium quemquam Croatarum, quamvis saecularem, in ullo eorum officio recipiemus unquam, si votis nostris possibilitas affuerit; in reliquo commendamus enixe illustrissimae dominationi vestrae, ut nos defendat, sicuti obligatur, tanquam populum suum et suam patriam defendere; nullus vero, ut videmus, est in his partibus nunc, signanter ex religiosis, qui adversaretur in minimo illustrissimae dominationi vestrae, excepto unico discipulo patris Lucae, scilicet fratre Michaele Domazetovich, moderno guardiano Velicensi, sed et hic volavit hactenus per eum, qui abivit reddere rationem domino Deo. Hisque remanemus ad servitia dominationis vestrae illustrissimae deosculantes sacras manus et pedes ac deposcentes suam sanctam benedictionem, quam Deus conservet ad plurimos annos in Domini pace et bona valetudine ad consolationem et conservationem sui populi. Scriptum Posegae die 5. Aprilis 1698. Vestrae illustrissimae et reverendissimae dominationis humillimus servus Marinus Hunalich cum suis coiudicibus. Concordat ad genium et realem sensum et litteram illyricam nostra conscientia teste. Ita est fr. Bernardinus Jaharich, lector theologiae et magister novitiorum. Ita est fr. Joannes de Brood vicarius conventus. Ita est fr. Stephanus de Diacova definitor provinciae. Ita est fr. Antonius Mathievich guardianus conventus (Nasiczen). Concordatum in conventu s. Antonii Paduani die 2. Maii 1699 etc. locus sigilli.

Academ. scientiar. Slavor. Meridional. Zagrabien. Cod. msc. IV. c. 10.

MCCCCLXXVI. 1698, 15 Decembris, Romae.

Philippus et Jacobus Brnjaković rogant a s. congregatione aliquid subsidii, et scriptotenus caesareae maiestati et cardinalibus Kolonić ac Grimani commendari.

Eminentissimi et reverendissimi signori! Filippo e Giacomo Bernaccvich, fratelli germani, cattolici del Seraglio di Bosna, oratori riverentissimi di V. V. E. E. gli espongono humilmente, che essendo la loro casa vissuta sempre catholicamente avanti e dopo l' imminente acquisto fatto da Turchi di quel regno, non ha mancato in tutte le opportunità d' interporsi fervidamente contro le persecutioni, non meno de Turchi che de scismatici, per il che decoro e rito della santa chiesa latina si mantenesse in quel paese infidele, mentre oltre la perdita de beni baronali, goduti anticamente in Bosna, ha profuso in ogni tempo somme considerabili di denaro in sostegno della religione, per la quale ha incontrato infinite persecutioni e pericoli di vita come da più . . . passati ne saranno l' EE. VV. state informate. Questa opera di christiana pietà essendo stata singolarmente immitata dal zelo d' Andrea Bernacovich, loro genitore, meritò dalla clemenza del regnante imperatore la confermatione degli antichi diplomi di sudetta baronia, perduti in occasione d' incendio seguito in Piombo; le vestigie del quale havendo proseguito gl' oratori s' hanno accresciuto benemeriti maggiori, come si scorge da una lunga serie di testimonianze, riportate da monsignori vescovi di Bosna e Belgrado, vicarii apostolici, provinciali dell' osservante provincia di Bosna, religiosi e catholici tutti di quel regno et altre parti, da quali furno poi dichiarati procuratori e difensori generali appresso de christiani e Turchi, le quali considerate dalla santa memoria di Clemente X. et Innocenzo XI. e fatte considerare in codesta sacra congregatione, si degnò la santità d' Innocenzo XI. non meno che la medesima s. congregatione in particulari munificentissimamente le loro gratie, havendoli ascritti tra cavalieri del speron d' oro, e dispensatoli altri honori, particoloramente nel haverli raccommandati con speciali lettere in forma di Breve alla maestà del imperatore, oltre d' haver consacrato alla chiesa di Belgrado monsignor fra Mattia Bernacovich, lor fratello, in età anco non concessa dall sacro concilio di Trento, già per avanti promosso dalla s. memoria di Clemente X. come potrano V. V. E. E. restare informate da monsignor segretario, al quale si è consegnato libro autentico delle medesime. Essendo poi nel anno decorso comparse in Bosna le armi christiani, mentre gli oratori si trovavano passati a Ragusa per loro affari, fù la citta del Seraglio capitale di quel regno totalmente incendiata, ne fù permesso a quelle povere famiglie christiane di ricuperare cosa alcuna, e così destitute miserabili, obligate a seguitare l' essercito imperiale di là del Savo, particolarmente le grosse famiglie degli oratori, che in tant' agitatione non poterno asportare ne pure minima cosa de loro molti suppellettili, oro et argento, che havevano, essendo il tutto rimasto esposto al saccheggio et incendio; con che gl' oratori provorno di tutto il loro riguardevole havere e posesso de loro beni, che godevano in Piombo, oltre l' esserli rimasto in potere de Turchi un loro figliolo et una nipote, quello passato nel convento di Foiniza per entrare in religione, e questa

per causa di malatia non potuta sottrarsi da quella miserie, pretendendo ne per essi li Turchi considerabile riscatto, al quale non possono supplire per esser spogliati di tutto. Hora da Ragusa essendosi trasferiti quà gli oratori per humiliarsi e bacciare riverentemente la sacra porpora al E. E. V. V. ardiscono assieme esporli humilmente de loro correnti miserie, implorando dalla munificentissima pietà delle medesime quelli aiuti, che posson esser dettati dalla loro innata clemenza in sollievo del presente loro stato e delle grosse famiglie, che tengono ricoverate di là del Savo in multa necessità e pericolo per le scorrerie de Turchi a confine, finchè S. Divina Maestà gl' aprirà la strada a qualche fortuna; esponendo tutto ciò con le lacrime e rosore alle E. E. V. V. non havendo mai per il passato richiesto simil gratie, come non mai caduta in tal stato la loro casa, e priva affatto di quelle sostanze profuse in altri tempi per decoro e sostegno della santa religione, come farrebbe anco al presente, se le fosse permesso. Supplicano in oltre gl' oratori la pieta di V. V. S. S. a volersi degnare farli accompagnare appresso la clemenza cesarea e regia de Romani, non meno che all' eminentissimi di Colonitz e Grimani et a monsignor nuntio apostolico, come pure al conseglio bellico di sua maiestà, con lettere efficaci della s. congregatione, perchè mediante le medeme possino incontrare facile adito le suppliche, che saranno per porgere in quella corte all' augustissima clemenza per qualche gratia et honorevolezza in quelle parti. Vivendo affidati gl' oratori in quella solita clemenza, colla quale si sono sempre degnate l' E. E. V. V. di recevere le loro ossequiosissime suppliche, che non sdegnaranno d' accogliere parimente quelle, che le porgono in si necessitosa occasione e consolarli di grato rescritto. Che per gratia tanto rilevante non mancaranno porgere incessanti voti all' altissimo per una prospera e lunga conservatione di V. V. E. E. Quas Deus etc. In dorso: Alli eminentissimi e reverendissimi signori, signori cardinali della s. congregatione di propaganda fide.

Per Filippo e Giacomo Bernacovich, cattolici del Seraglio di Bosna. (Congregatione habita 15. Decembris 1698.)

Tabular. status Lucca. msc. Colleredo 4. 179.

MCCCCLXXVII. 1698, 30 Decembris, Romae.

Innocentius PP. XII. Philippum et Jacobum Brnjaković alias Grubišić fratres germanos bosnenses Leopoldo imperatori et regi commendat.

Charissimo in Christo filio nostro Leopoldo, Hungariae et Bohemiae regi illustri in Romanorum imperatorem electo Innocentius PP. XII. Charissime in Christo fili noster salutem! Cum praeclaram operam pro tuenda, quoad licuit, in regno Bosniae catholica religione impenderint dilecti filii Philippus et Jacobus, fratres germani Bernacoviczy ex Seraio, cumque multas propterea gravesque perpessi sint calamitates, ita ut propriis facultatibus spoliati, patria domoque pulsi, alio tandem divertere coacti sint, quemadmodum constanti plurimorum testimonio novimus: Nos praesentis ipsorum status causas paterna charitate respicientes maiestati tuae praefatos viros, de orthodoxa religione egregie meritos, plurimum commendandos esse duximus, prout hisce nostris litteris commendamus.

Confidimus autem te nova ingenitae ac consuetae tibi pietatis argumenta hac occasione eisdem perhibiturum esse; et maiestati tuae fausta ac laeta omnia ex animo praecantes apostolicam benedictionem amantissime impertimur. Datum Romae etc. die 30. Decembris, 1698.

Bullarium pontific. sacr. congregationis de propaganda fide. Romae 1840. Appendicis tom. I. p. 349.

MCCCCLXXVIII. 1699, 26 Januarii, Romae.

Philippus et Jacobus Bernacovich inplorant a s. congregatione de propaganda fide subsidium, quod illis conceditur.

Eminentissimi e reverendissimi signori. Filippo e Giacomo Bernacovich oratori humilissimi di V. V. E. E. havendo con somma loro consolatione et a sodisfatione de proprii desiderii ricevuto le lettere, colle quali si sono l' E. E. V. V. degnate farli raccomandare alla corte cesarea, per esse glie ne rendono ossequiosissime gratie. E sicome non osorno gl' oratori per dovuta modestia nel altra loro supplica, data in sacra congregatione, d' esporre a V. V. E. E. il preciso bisogno, che li correva d' esser assistiti dalla pietà delle medeme, se non di porgerne un semplice cenno a monsignore Fabrone segretario, hora con tutta riverenza stimano rappresentarli l' urgenza grandissima, che tengono di scudi mille per ciascheduno da ricuperare con essi un loro figliolo et una nipote, rimasti in potere de Turchi, che non potrà seguire per la fama che corre tra medemi della loro casa senza grave esborso, e per portarsi a Vienna, et ivi disporre li loro affari per qualche commodo di terreno, riparare al bisogno delle famiglie venute spogliate di tutto dalla Turchia, si come per accomodare in questo principio le proprie habitationi et altre cose necessarie in paese novo d' Ungaria, ove si sono ricoverate senza commodità imaginaria, come è ben noto all' E. E. V. V. pel' accidente del Seraglio. Per questo denaro non potendosi gl' oratori prevalere con proprii beni dispersi, ne da altri per il decaduto concetto d' essa ridotti in tal stato, implorano humilmente dalla clemenza inenarrabile dell' E. E. V. V. tanta gratia sotto titolo d' imprestito colla sola rilassatione de frutti per quattro o cinque anni, da corrispondersi poi da ognuno di essi il solito censo a ragione d' anno sino al intiera estintione, per il quale esborso oltre l' obligo personale, che darà ciascuno di loro a nome anco de loro figli e successori, hipotecaranno pure ogni e qualunque loro bene; e quando V. V. E. E. non fossero per degnarsi in tal forma, et che desiderassero s' impiegasse il danaro in qualche opera pia per riscatto de schiavi, o in sollievo di quelle povere chiese e cattolici, s' andarà da ogn'uno delli oratori impiegando secondo li verrà commandato dal' E. E. V. V. con giustificatione di quelli vicarii apostolici, monsignori vescovi e di monsignor nuntio apostolico; in difetto si mettono nella somma benignità di V. V. E. E. nelle quali ripongono ogni loro fiducia. Sono ben persuasi li medemi, che se l' E. E. V. V. si degneranno, come le supplicano humilmente, far leggere il sommario o l' istesse loro benemerenze, osser(verano) quanto grosse di denaro habbino in più congiunture profuso in Turchia per benefitio della fede cattolica e per assistere li ministri di cotesta sacra congregatione, particolarmente monsignor vescovo di

Belgrado, loro fratello, perchè non tanto nella sua dioecesi quanto per tutte quelle d' Ungaria prima d' hora sogette al Turco potesse consolare quelli populi christiani con pastorali funtioni, senza haver in tanto tempo la sacra congregatione somministrato mai alla chiesa di Belgrado et ad altre d' Ungaria in partibus cosa alcuna delli assegnamenti somministrati per avanti di scudi 200 l' anno, come potranno restar informate, ma fattolo gl' oratori de proprii, fuori di quest' ultimo anno, che furono necessitati ricorrere a V. V. E. E. per il sussidio d' esso monsignor, dal quale andando gl' oratori presentamente creditori sopra la somma di scudi 3000 Romani non possono haver un danaro da valersi in tanta occassione; et in oltre haver liberato molti schiavi christiani con gran spesa da mano de Turchi, dandoli la libertà, e sovvenuto in tutte le occasioni li conventi e religiosi di Bosna et a quelli del convento di s. Giovanni Battista di Sutisca del grosso debito, che li dovevano haver li rilassato scudi 1400 Romani, come potranno scorgere dalla lettera, che scrive il Padre gvardiano di quel convento a cotesta s. congregatione consegnata a monsignor segretario. Stante dunque questi riguardi e perchè non hanno mai gl' oratori fato a questa sacra congregatione simili ricorsi e praticando V. V. E. E. del continuo atti di carità con tutte le nationi estere, anco d' altro rito, e tali scismatici stessi, confidano ancor loro d' incontrar tanta consolatione nella somma pietà dell E. E. V. V. mediante quali possono risorgere a nove fortune a lode sempre maggiore di cotesta sacra congregatione, dalla quale sono sempre stati protetti, mentre per la medema non vi sarà, che il scomodo del breve tempo impegnandosi gl' oratori per la puntuale corrisponsione de frutti e sorte, come per avanti espresso. Che della gratia etc. Quas Deus etc.

In dorso: „Alli eminentissimi e reverendissimi signori li signori cardinali della s. congregatione di propaganda fide." Per Filippo e Giacomo Bernacovich del Seraglio di Bosna.

Congregatio habita 26. Januarii 1699. „Attentis antiquis et extraordinariis meritis et expensis in favorem s. congregationis de propaganda fide et christianorum factis decrevit: dentur scuta 500 oratoribus."

Tabular. status Luca msc. Colloredo 4. 187.

MCCCCLXXIX. 1699, 3 Martii, Požegae.

Fr. Elias a Modriča significat episcopo Diakoviensi, qualiter fr. Lucas Imbrišimović in extremis vitae dolens errorem suum revocet et veniam ac benedictionem episcopi suspirans exoret.

Litterae patris Eliae a Modrigia, parochi Poseghiensis, ad illustrissimum et reverendissimum dominum fratrem Nicolaum Plumbensem, episcopum Diakovensem seu Bosnensem.

In graui et modicae spei lecto repertus pater Lucas Imbrissimovich recognovit offensam et inobedientiam, quam fecit multoties adversus iustitiam et vestram illustrissimam dominationem, ideoque flens et suspirans plurimum dolet de eiusmodi factis, quae operatus est contra omnem iustitiam, et precatur veniam, humillime genuflexus et deosculans vestes ac vestigia vestrae illustrissimae dominationis pro suis defectibus, agnoscens, quod eam offenderit indebite. Et confidimus in vestra miseri-

cordia, ut illi parcatis, quia est in decessu ab hac vita. Precamur idcirco, ut saltem duas lineolas nobis scriberet, dando suam benedictionem, cum qua desiderat decedere ab hoc mundo. Et cum his remanemus exosculando sacras vestes et pedes illustrissimae et reverendissimae dominationis vestrae semper ad parendum parati, tanquam nostro vero praelato et domino. Posegae di 3. Martii 1698. Vestrae illustrissimae et reverendissimae dominationis humillimus et devotissimus servus Fr. Elias a Modrigia, parochus Posegae.

Retroactae litterae concordant ad integrum sensum litteramque propriam sui originalis illyrici teste nostra conscientia Deoque. Ita est fr. Bernardinus Jaharich lector theologiae et magister novitiorum. Ita est fr. Joannes de Brod vicarius conventus. Ita fr. Stephanus de Diakova definitor actualis. Ita est fr. Antonius Mathievich guardianus conventus. Actum in conventu sancti Antonii de Padua. Nasicze die 2. Maii 1699. etc. Locus sigilli.

Acad. scientiar. Slavor meridional. Cod. msc. IV. c. 10.

MCCCCLXXX. 1699, 2 Maii, Dubočac.

Seniores patres provinciae Bosnensis testantur, quod in synodo dioecesana Brodii anno 1697. habita, omnes praesentes libere agnoverint, episcopos Diacovienses seu Bosnenses semper exercuisse iurisdictionem in ecclesia Požegana, unico fr. Luca Ibrišimović aliquantum haesitante.

Nos subscripti huius plagae inter Savum et Dravum seniores patres provinciae Bosnensis ingenue et sincere, mediante etiam iuramento, contestamur: qualiter illustrissimus ac reverendissimus dominus frater Nicolaus Plumbensis, Bosnensis alias Diakovensis noster episcopus, celebrata solenniter ante biennium in loco Brod sua synodo dioecesana, et ad eam convocatis cunctis, non solum parochis sed etiam superioribus tam provincialibus quam conventualibus, inter reliqua data cuique libertate plena dicendi, imo adiurando omnes, et uniuscuiusque conscientiam onerando, ut veritatem dicant, clare et zelose proposuerit, si quidem adversus suam iurisdictionem dioecesanam, quam semper una cum suis antecessoribus pacifice in ecclesia Posegana exercuit, et de facto tunc exercebat, dicere haberent, vel contradicere, aut iurisdictionem eandem in dubium qualecunque vertere. Ad quae pater provincialis primo et post ipsum consequentur omnes unanimiter responderunt, nihil prorsus tuta conscientia posse ab ullo adversus praeattactam iurisdictionem dici, nisi forte P Lucas Imbrissimovich, qui se simulat vicarium episcopi Zagrabiensis, auderet aliquid contra illam dicere; et protinus ab illustrissimo ac reverendissimo domino facta P. Lucae praefato ibidem praesenti amplissima facultate liberrime dicendi, proponendi, ac contradicendi in eo quidquid vellet, ac sciret, qui tamen nempe P. Lucas Imbrissimovich, coram omnibus haec duntaxat dixit: nihil habeo, quod dicere possem adversus iurisdictionem illustrissimae ac reverendissimae dominationis vestrae in ecclesia Posegana, et si quid habet dominus episcopus Zagrabiensis viderit ille; ita teste Deo et sanctis eius et nihil aliud respondit, quod ullatenus scire possemus. Actum in Dubochacz die 2. Maii 1699. Fr. Andreas de Dubochacz et minister provincialis et primus ac senior pater provinciae,

tunc fui praesens et ea ipsa, quae tunc dixi et attestavi, ad praesens confirmo. P. Augustinus Jaharich olim custos provinciae. Fr. Franciscus a Travnik custos actualis provinciae, tunc fui praesens. Fr. Georgius Turbicz, definitor actualis provinciae, tunc fui praesens. Fr. Georgius de Stoszta, pater provinciae fui praesens. Fateor ego infrascriptus praedictas subscriptiones fuisse factas ab iisdem patribus coram me, qui tales sunt quales se esse fatentur; in quorum fidem datum Brodii di 6. Maii anno domini 1699. Fr. Franciscus a Travnik, custos actualis ac provinciae secretarius etc. Loc. sigilli.

Academ. scientiar. Slavor. meridional. cod. mse. IV. c. 10.

MCCCCLXXXI. 1699, 23 Maii, Jaurini.

Fassiones testium in quaestione ecclesiae Požeganae.

In iudicio coram metropolitano archiepiscopo Colocensi Paulo Secheny Nicolao Plumb. episcopo Bosnensi actore contra Steph. Selišević episcopum Zagrabiensem ecclesiam Poseganam et loca adiacentia praetendentem anno 1699. 23 Maii Jaurini examinati sunt testes: Primus testis Stephanus Paulovich natus Saraliae, deinde anno 1692 Posegam veniens ibidemque iuratus assessor, ann. aetatis suae 40 iuratus, examinatus de eo: Utrum. Primo fassus est: se nullas habere plenipotentiales a locis et castris Captol, Velica et Cutievo, et quod unanimiter senes et iuvenes in partibus illis Poseganis nullum alium episcopum sciverint vel fuisse audiverint, quam dominum episcopum Bosnensem eiusque piae memoriae praedecessores. Non scit tamen, utrum ordinaria et propria, vel vero sibi delegata potestate iurisdictionem exercuerit, et audivit hanc fuisse continuatam administrationem quousque r. p. Lucas (Imbrissimovich) per illustrissimum dominum Zagrabiensem episcopum destinatus vicarius, uti circiter ante 6 annos factum est, cum mandato illustrissimi et reverendissimi domini domini episcopi piae recordationis Mikulich et excellentissimi domini bani non venisset, ut partes scilicet praeatactae Poseganae dominum Zagrabiensem et non dominum Bosnensem pro suo ordinario episcopo, eumque pro vicario vero agnoscant. Ad 2. Scit ex auditu, quod ecclesiam Poseganam praetitulatus dominus episcopus Bosnensis post receptionem consecraverit . . . . . Secundus testis Bernardus Philipovich, incola Captolensis, annorum circit. 35 iuratus, examinatus . . . fassus . . . ad 2. Scit, ipsum dominum illustrissimum ac reverendissimum episcopum Bosnensem Olovchich Nicolaum fuisse in pacifica possessione Poseganae ecclesiae et castri Captol, a quo Turca partibus illis cessisset, quousque p. Lucas eundem non turbasset . . . . Actum Jaurini die 23 Maii 1699. Suprascriptus.

Acad. scientiar. Slavor. meridional. Zagrabien. Cod. msc. IV. c. 10.

MCCCCLXXXII. 1700.

P. Bernardinus Pavlović prov. Bosnae exdefinitor, rogat facultatem colligendi eleemosynas pro exaedificanda ecclesia s. Mariae Pacis Karlovicii, qui locus eidem ab oratoribus regnantium et per illum provinciae Bosnae cessus fuerat.

Eminentissimo et reverendissimo signore! Fra Bernardino Pavlovich, min. oss. della provincia il Bosna Argentina, exdefinitore e procuratore

destinato da suoi superiori sopra la fabrica delle chiese di Petrovaradino e Carloviz, oratore e servo umilissimo dell' E. V. espone essersi ritrovato per capellano e confessore del ambasciatore Polacco presente al luogo e trattato della pace universale col Ottomano celebratasi in Carloviz da tutti li plenipotenziarii de prencipi Europei cattolici, la quale seguita fù ad instanza prima degli Ottomani medesimi, poi degli altri tutti destinato il luogo per fabricarvi un tempio alla divina maestà, che l' oratore suggerì esser bene intitolarsi santa Maria della Pace, il che tutto conchiuso fù donato il luogo medesimo per tal effetto ad esso oratore e sua religione e provincia, sborsando immediatamente a sindici apostolici della medesima la serenissima republica Pollaca talari tre milla per l' incominciamento della prefata chiesa, la quale non potendosi ridurre a termine senza altre limosine, supplica l' oratore la santità di N. S. Papa Clemente XI. di un Breve apostolico per poter andar questuando per gli stati del impero et altri regni circonvicini; et essendo stato rimesso il memoriale per il voto alla s. congregatione de propaganda fide, supplica il medesimo oratore anche la benignita dell' E. V. voler degnarsi d' impiegare il suo zelo per il compimento d' opera così santa a gloria di S. D. Maestà et a beneficio della provincia miserabile di Bosna Argentina osservante, che ha patito tante ruine di chiese e conventi sotto il domino Ottomano.

Tabular. status Lucca. msc. Colleredo 5. 12.

MCCCCLXXXIII. 1700.

Fratres provinciae Bosnae conqueruntur adversus episcopos et praeprimis Dalmatiae, quod eos vi parochiis privent in damnum animarum, petuntque remedium adferri.

Eminentissimo e reverendissimo signore. Li religiosi minori osservanti della provincia di Bosna Argentina, umilissimi oratori e servi della E. V. ossequiosamente l' espongono, come avendo li medesimi erette con autorità apostolica parochie e chiese nel dominio turco, e sempre rette e conservate con istenti e patimenti inauditi e larga effusione di sangue proprio sotto la barbarie ottomana per secoli intieri a beneficio delle anime christiane, rimosse adesso che la divina pietà le rese in potere de principi cattolici, li vescovi, che prima non le curavano, specialmente di Macarsca e Scardona, sposessano li detti poveri religiosi osservanti d' esse parochie e chiese, sichè avendone già loro levate alcune proseguiscono a spogliarli anche delle altre, poste nel serenissimo dominio Veneto, cosa di danno incredibile a religiosi bene meriti, d' inquietudine a popoli fideli, non avvezzi al governo de religiosi secolari, che vi si pongono, e di grande ammirazione a Turchi con pericolo e detrimento della publica pace. Onde supplicano divotamente gl' oratori prostrati a piedi dell' E. V. a degnarsi per sua clemenza di provedere a tanto disordine, facendo che siano restitute loro parochie e chiese levategli, e vietando il leuarsegli l'altre, intendendo però di vivere con esse sotto la giurisdictione degli ordinarij respettivamente. Che etc.

(In dorso:) „10 Januarii 1701. Domino nuntio Viennensi, ut commendet enixe religiosos bene meritos episcopis."

Archivo di stato in Lucca. msc. Colleredo 5. 2.

MCCCCLXXXIV. 1702, 20 Maii, Ilokini.

Patres familiae Olovensis, perpensis rite perpendendis, concordiam ineunt cum dominis Brnjaković, omnesque controversias, quae hucdum intercesserunt, sequenti instrumento in perpetuum sublatas declarant.

Nel nome del signore Iddio. Tra li reverendi padri minori osservanti della gloriosa virgine del Piombo in Bosna, dominio del Turco, e dall' altra gli illustrissimi signori Filippo e Giacomo Bernacovich del Seragli, procuratori generali d'esso convento e della provincia medesima, essendo passati varii interessi e conti per causa di questuationi d'elemosine, somministrationi di denari trovati ad interesse, pagamenti, contestationi di liti, ricorsi, suppliche, e per ogni altra occorrenza accaduta tanto in christianità, che in Turchia, mentre furono al Turco soggetti, et essendo insorte varie differenze e pretensioni da ambe le parti, per terminare le quali havendo li detti signori Bernacovich unitamente fatto ricorso al padre m. r. fra Francesco di Travnik, ministro attuale di Bosna Argentina, ad esso a tal fine fatto venire in questo luogo li pp. discreti e più informati padri della famiglia d' esso monastero, e discusse, considerate e ventilate maturamente hinc inde ogni e qualunque pretensione tra l' una et altra parte avanti esso padre m. r. provinciale, con l' intervento d' ambe le parti; e fatta assieme posata riflessione ad ogni e qualunque altra cosa, e riflettendo non meno alla buona dispositione, assistenza et integrità passata tra li detti signori Bernacovich e provincia medema in tutte le contingenze de tempi, si sono ambe le parti vicendevolmente convenute, concordate, aggiustate e quietate per ogni e qualunque cosa passata tra il detto venerabile convento et essi signori Bernacovich, principiate da qualsi sia tempo fino alla presente hora, in forma tale, che tra una parte e l' altra non vi resta minima pretensione, dichiarandosi perciò colla presente scrittura sodi-fatti in tutto e per tutto con patto expresso di non dovere in alcuno futuro tempo una parte dall' altra, ne l' altra dall' una, pretendere mai cosa veruna per se ne per altri, ne loro heredi e successori, sotto qualsivoglia pretesto, ingengnio o quesito colore, cassando per ciò et annulando ogni e qualunque scrittura, tanto publica che privata, conti, procure, partite di libri, sconti in qualsivoglia modo accaduti, tanto in Levante, che in Italia, e particolarmente per gli conti passati con le compagnie di Venetia et Ancona sotto nomi de signori Giacomo Bernacovich, Bartolomeo Anci con ogni altrotanto in Venetia, Ragusa e Levante fedi, in qualsivogla modo fatte per tali affari, dichiarazioni, ragioni, pretesioni et ogni e qualunque altra cosa in qualsivogla modo espressa e non espressa, tanto conto che a favore di detti reverendi padri, che di detti signori Bernacovich, loro heredi e successori, colle quali potessero fra di loro molestarsi et inquietarsi, ma sia il tutto affatto escluso, et annulato sotto perpetuo silentio; ne habbiano mai le cose passate et occorse sino al presente in alcun futuro tempo vigore ne sussistenza fuori di questa scrittura, di quietatione fatta fra di loro generale e generalissima; e qualsi sia delle parti, che fosse per muovere lite o pretensioni sopra le cose passate in qualsivoglia modo, e conqualunque raggione o fedi et altrotanto per essi che per mezzo altrui, non sia creduto ne habbia vigore alcuno in qualunque

forma, che fosse per intentarsi; per chè cosi vicendevolmente le parti si contentano e vogliono, che sia tutto ciò annullato e diffinitivamente eseguito obligando se e promettendo mantenere inviolabilmente in ogni meglior modo, come se la presente scrittura fosse celebrata colla maggiore solennità, che richiedersi potesse, la quale debba valere tanto in giuditio, che fuori in ogni tribunale, a maggiore autenticatione del vero sarà approvata, confirmata e sigillata dal p. m. r. provinciale alla presenza delli infrascritti testimonii con tale dichiarazione, che havendo li sign. Bernacovich ceduto un obligo de medemi p. p. di zecchini mille doicenti sessanta tre (z. 1263) et aspre 75 al quondam Francesco Calugiero di Ragusa e per esso a suoi heredi colla consegna delle suppellettili sacre di quella chiesa sotto li 14 Maggio 1692. con consenso di medemi p. p. e venendo per esso loro debito e sacristia ad esser molestati i loro heredi e successori da detti heredi Calugerio, per la pretensione del capitale e frutti sopra il detto denaro, che sianno in tal caso li rr. pp. del Piombo obligati di solevarli da ogni e qualunque molestia, danno, spese, che potessero per tal causa patire, obligando perciò li detti padri di sodisfare a detti heredi e di recuperare da medesimi le suppellettili sacre, che tengono in sicurezza giusta inventario autentico, fatto dalli episcopi o siano esecutori testamentarii del detto quondam Calugiero alla presenza de pp. di Piombo intervenuti collà per tal effetto, senza che li sign. Bernacovich vi habbino più ingerenza, ne li medesimi padri per il detto debito e sacristia haver più alcuna attione o pretensione verso li sig. Bernacovich, e per ogni e qualunque altra cosa nesuna, fuori di questa sola eccettuata, intendono e si dichiarano le parti essere pienamente sodisfatte, ne altra scrittura, conti, fedi, e ogn'oltra raggione debba valere fuori di questo scritto per essersi di commune consenso e voluntà contentati reciprocamente e con ciò riconciliato quell' antico amore e cordialità, che sono sempre con distintione passate tra la famiglia di questo venerabile monastero e la provincia tutta di Bosna colla casa di detti signori Bernacovich, e riconosciuto con ciò la religiosa gratitudine d'ambe le parti faciendosi della presente le triplicate da tenersi una appresso li rr. pp. del Piombo, una appresso il sig. Filippo e l' altra appresso il sig. Giacomo per quiete delle parti. Laus Deo. Datum in Iloch questo di 20 Maggio 1702. Io fra Serafino Franich affermo come di sopra. Io fra Ambrogio Stoicovich affermo come di sopra. Io fra Giuseppe Barissich padre di provincia discreto del convento di Piombo et presidente di Ssombor. Io fra Gioanni Vidich già difinitore e discreto del convento affermo come di sopra Io fra Gregorio Gabrich padre della provincia e guardiano del convento di Piombo affermo quanto sopra. Io Giacomo Bernacovich affermo ut supra. Io Filipo Bernacovich affermo ut supra. Io Giovanni Benigni fui presente per testimonio. Fr. Joannes a Travnik fui praesens. Fr. Franciscus ab Argentina fui praesens. Fra Michele Cochich di Buda sono per testimonio. Ва Франо. Io infrascritto secretario della provincia faccio piena e indubitata fede in ogni giuditio et extra, che le suddette sottoscrittioni sono state fatte in presenza mia con proprie mani da me veduti et ottimamente conosciuti con il sigillo di detto convento et il sigillo delli sign. Bernacovich Filippo e Giacomo e però

dovunque la presente capitarà, si potrà dare certa et indubitata fede, in fede di che mi sotto scrivo Fra Marco Bulaych qui sopra.

Acta capitulorum etc. provinciae Bosnae Argentinae. Tom. I. msc. fol. XXX. Biblioth. Budens. fratr. minorum.

MCCCCLXXXV. 1703. 12. Januarii, Romae.

Rogatur et obtinetur facultas iterum in guardianos eligendi illos, qui elapso triennio, ut tales in reparandis tribus Bosnae conventibus sedulam operam navabant.

Eminentissimi e reverendissimi signori. Il ministro provinciale della provincia observante di Bosna Argentina, humillissimo oratore e servo delle Eminenze Vostre, riverentemente espone, come essendo stati devastati dalla barbarie Turca alcuni conventi di quella sua miserabile provincia afflitissima, furono deputati dal definitorio della medesima a risarcire li detti conventi principali tre padri guardiani: il padre Bernardino Ciurchibassich, il padre Simone Anetich il p. Antonio Orsich; ma non havendo questi possuto nel corso di tre anni terminare le fabriche dei predetti conventi, supplica l' oratore humilmente somma clemenza dell' Eminenze Vostre a compiacersi di dispensare li predetti tre padri a poter continuare nei tre guardiani respettivamente ultra triennium, quando da padri del definitorio venghino eletti, che etc. Sacra congregatio eminentissimorum et reverendissimorum sacrae romanae ecclesiae cardinalium consultationibus episcoporum et regularium praeposita audito p. commissario generale curiae et attentis narratis benigne indulsit, ut praefati religiosi a patribus definitoribus iterum in guardianum eorumdem conventuum, servatis tamen servandis, eligi possint et valeant, non obstantibus etc. Romae 12 Januarii 1703. G. cardinalis Carpineis,

Liber continens omnes uniuscuiusque capituli et congregationis actus huius Bosnae Argentinae provinciae . . . cura et monitu a. r. p. Bonaventurae a Curzula . . . commissarii visitatoris . . . 1693. msc. biblioth. conv. pp. Franciscanor. Budens. fol. XLI.

MCCCCLXXXVI. 1705. 8 Januarii, Viennae.

Leopoldus imperator et rex, mandat ne patres provinciae Bosnae Argentinae „in aliquo conventu extra actualem caesareo regiam iurisdictionem" capitulum celebrandum indicent.

Leopoldus Dei gratiae electus Romanorum Imperator semper augustus ac Germaniae, Hungariae, Boemiaeque rex. Honorabilis ac religiose pater, fidelis nobis dilecte. Ex fide digna relatione maiestati nostrae innotuit, huius sacri ordinis divi Francisci seraphici religiosi ad provinciam Bosnae Argentinae spectantibus provinciale propediem indicendum instare capitulum et hoc quidem ex nonnullorum desiderio in aliquo conventu extra actualem caesareo-regiam iurisdictionem nostram exigente celebrandum intendi, eo uti nobis persuasum est fine, ut aliquem e gremio sui provincialem, implorato ne forte potentiori quorumpiam patrocinio, obtinere valeant, quod ipsum et hactenus cum praeiudicio liberae electionis et residuae provinciae detrimento non semel attentatum esse perhiberetur. Cum autem ea sit benigna maiestatis nostrae resolutio et firma voluntas

compluribus innixa relevantibus rationibus et fundamentis maiestati nostrae intime notis, ne pro hic et nunc alienae potestati et iurisdictioni subiacentes vel ad visitandas etiam, multo minus regendas, regularium provincias intra limites regnorum et ditionum nostrarum admittantur. Hinc tenore harum vobis et medio vestri toti definitorio provinciali clementer committimus et mandamus, quatenus ad avertendum omnes ex tali provincialis capituli in alieno a iurisdictione nostra loco sequelas, imminens provinciale capitulum extra maiestatis nostrae ditiones, quarum inter limites alioquin longe plures eiusdem provinciae conventus et monasteria adiacent, celebrandum nullatenus indicere, aut eo vos quavis ex ratione conferre, huiusmodique capitulo interesse, quin potius in praemissis praedeclaratae benignae resolutioni et expressae voluntati nostrae vos, una cum deffinitorio provinciali, prout decet, prompte accommodare velitis debeatisque, benignam eatenus intentionem nostram secundaturi. Gratia in reliquo nostra caesareo-regia vobis benigne propensi manemus. Datum in civitate nostra Vienna Austriae die 8. mensis Januarii anno domini 1705. Ladislaus Mattyasovski, episcopus Nitriensis. Ladislaus Hunyadi.

Cod. msc. adversariorum p. J. Jakošić, libr. X., qui servatur in biblioth. conv. Budensis.

MCCCCLXXXVII. 1707, 14 Novembris, Viennae.

Josephus I. imperator et rex patribus provinciae Bosnae Argentinae praecipit, ut in capitulo proxime celebrando „ministrum provincialem ex nativis Hungariae vel Slavoniae eligant".

Josephus Dei gratia electus Romanorum imperator semper augustus ac Germaniae, Hungariae, Bohemiaeque etc. rex. Honorabiles et religiosi, nobis dilecti. Demisse relatum est maiestati nostrae imminente triennalis temporis a novissimo provinciali capitulo computati evolutione aliud de more et consuetudine sacri huius ordinis divi Francisci seraphici religiosis ad provinciam Bosnae Argentinae spectantibus provinciale itidem propediem ad conventum Velliczensem in praefato regno nostro Slavoniae existens indicendum instare capitulum, in eodemque ministrum provincialem, custodem et definitores eligi, prout et cetera officia religiosa distribui debere. Et licet anno adhinc tertio gloriosissimae memoriae imperator et rex Hungariae Leopoldus, praedecessor quippe et genitor noster desideratissimus, tenore specialium litterarum suaram sub dato in hac civitate nostra Vienna Austriae die 8. mensis Januarii anni millesimi septingentesimi quinti, ante postremum eotum celebratum provinciale capitulum vestrum benignam suam resolutionem et voluntatem, quod nimirum alienae iurisdictioni subiacentes ad regendas regularium provincias intra limites regnorum et provinciarum admittere nolit, expresse vobis significasset, ac per hoc vigore etiam certae determinationis in generali capitulo sacri huius ordinis ante triginta et quot excedit annos Romae celebrato factae, alternativam videlicet in hac provincia Bosnae Argentinae ministrorum provincialium et ceterorum religiosorum officiorum electionem et constitutionem praecipientis ex regnorum et ditionum iurisdictioni nostrae subiectorum filiis, in conventibus Hungariae vel Slavoniae ad religionem susceptis, ministrum provincialem eligi debere, non obscure

declaravisset; tantum tamen abfuisse constat, ut non solum provinciale capitulum extra ditiones maiestatis nostrae celebratum, verum contra praenotatam quoque generalis capituli determinationem non observata alternatione eorum etiam ex ditione alienae potestati subiacente minister provincialis electus fuerit, non sine evidenti mentionatae generalis capitularis determinationis praeiudicio et benigno caesareo regiae requisitionis vilipendio ac residuae etiam provinciae detrimento. Cum autem provinciae huius Bosnae Argentinae in Hungaria et Slavonia, iurisdictioni quippe nostrae regiae subiectis ditionibus, longe plures quam in tota Bosna conventus et monasteria, consequenter etiam patriae filii ad quaevis obeunda munia numerosiores et sufficientes reperiri dignoscantur; nos vero qua rex etiam apostolicus regulares provincias intra limites regnorum et ditiones nostrarum existentes in suis privilegiis, indultis, statutis et constitutionibus manutenere cupiamus: ea propter vos tenore harum benigne simul et serio hortamur et iurisdictioni nostrae subiectis clementer committimus et mandamus, quatenus ad mentem etiam praementionatae generalis capituli determinationis et statuti ministrum provincialem, cuius officium impedientibus nonnullis intra limites regnorum et ditionum nostrarum a pluribus annis nemini obtigit, sub iminente provinciali capitulo vestro ex nativis Hungariae vel Slavoniae filiis inconventibus eorumdem ad religionem susceptis eligere ac modo fatae generalis capituli determinationi quoad caetera etiam religiosa officia distribuenda satisfacere velitis . . . Gratia in reliquo nostra caesareo-regia vobis benigne propensi manentes. Datum in civitate nostra Vienna Austriae die 14 mensis Novembris anno Domini 1707. Josephus m. p. comes Nicolaus Illeshàzy. Ladislaus Hunyadi.

Cod. msc. adversariorum p. J. Jakošić O. s. Franc. libr. III. qui servatur in biblioth. conven. Budensis.

MCCCCLXXXVIII. 1709, 26 Januarii, Romae.

Lucas Natali Ragusinus constituitur vicarius apostolicus in Slavonia et Hungaria australi.

Clemens PP. XI. Dilecto filio Lucae Natali, electo Belgraden. Dilecte fili salutem etc. Christi fidelium inter flumina Dravi, Savi, Danubii et Tibisci usque ad Temesvariam regni Hungariae inhabitantium animarum saluti pro commissi nobis pastoralis officii debito paterna charitate prospicere cupientes, ac de tua pietate, charitate, prudentia, industria, integritate, vigilantia et catholicae religionis zelo plurimum in Domino confisi etc. etc. de venerabilium fratrum nostrorum s. romanae ecclesiae cardinalium negotiis propagandae fidei praepositorum consilio, Te vicarium apostolicum in ecclesiis Hungariae sub dominio Turcarum proprio pastore viduatis, intra tamen confines supra expressos consistentes, auctoritate apostolica, tenore praesentium, constituimus et deputamus, salva tamen semper in praemissis auctoritate congregationis memoratorum cardinalium. Mandantes propterea eisdem Christi fidelibus in virtute sanctae obedientiae, ut Te ad demandatum tibi per praesentes vicariatus apostolici officium, illiusque liberum exercitium, iuxta earumdem tenorum praesentium recipiant et admittant, tibique in omnibus ad idem officium

spectantibus faveant, pareant, et assistant respective, ac tua salubria monita et mandata humiliter suscipiant et efficaciter adimplere procurent; alioquin sententiam sive poenam, quam rite tuleris seu statueris in rebelles, ratam habebimus et faciemus, authore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Non obstantibus etc. Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die XXVI Januarii MDCCIX, pontificatus nostri anno nono F. Oliverius.

Jos. Brüsztle Recensio universi cleri dioec. Quinqueeccl. Tom. III. Quinque-Ecclesiis 1879. pag. 904.

MCCCCLXXXIX. 1710, 20 Septembris, Velikae.

Provincia Bosnae Argentinae duos conventus ad sexennium cedit fratribus provinciae Bulgariae sub conditionibus in hoc instrumento expressis.

In Dei nomine Amen. Quamvis post tot annorum curriculum, quibus inter continuos bellorum anfractus existentes innumera pene mala perpessi mirandum in modum praeter ceteras provincias afflicti, multos conventus olim in Bosna, nunc autem in Hungaria, bellorum fulminibus totaliter dirutos amiserimus, adeoque provinciam hanc pristino decori et integritati, quantum possibile est, restituere volentes, primo sub suavissimo christianorum principuum iugo, de duabus provinciae partibus loquendo, paululum respirare cupientes, regique pacifico in sancta pace famulari, conventus nostros inceperimus restaurare: seraphici tamen patriarchae nostri s. Francisci vestigiis inhaerentes, qui etsi cunctarum praeclarisimarum virtutum fuerit exemplar ac idea, praecipue tamen non sibi soli vivere, verum aliis quoque profectui esse debere, non minus exemplo, quam verbo, suos filios assidue docuit; zelosissime praeterea toties repetitae paternae requisitioni nostri reverendissimi patris commissarii generalis Caelestini a Mediolano humiliter obtemperantes, cuius zelus ab initio sui gubernii ardentissima devotione efferbuit ad hoc, ut s. p. Francisci filii maiorem in numerum excrescere uberioresque fructus in agro Domini cooperante eo, a quo bona cuncta procedunt, efferre valerent, praesentis decreti vigore unanimi totius venerabilis definitorii nostri consensu cedimus commodamusque duos conventus nostros, Aradinum et Lippa nuncupatos, patribus provinciae immaculatae Conceptionis b. V. Mariae Bulgariae dictae, magna conventuum penuria laboranti et apud nos propter fatos conventus humaniter instantias facienti; quam cessionem quidem per spatium annorum sex dumtaxat et non ultra volumus valere ita, ut expleto sexenio illico praefati duo conventus nobis restituantur. Insuper sequentia quoque puncta a patribus praefatae provinciae Bulgariae omnino praetendimus et volumus observari; alias huiusmet decreti vigore nullius valoris intendimus esse, si omnia ad amussim non observabuntur. 1. Ne pater provincialis Bulgariae una cum suo definitorio totaque provincia putet, quod nos ex aliqua obligatione aut coacte praefatos duos conventus sibi cessimus; sed reflectat et recognoscat, nos sponte et ex mera benevolentia nostra et ex charitate tanquam convicinis fratribus nostris hoc opus charitatis praestitisse. 2. Praeter dicta duo loca nullum alium ad provinciam spectantem, sive sit conventus, sive residentia, sive hospitium, sive parochia, nec quidquam ad

eadem loca spectans ullo unquam tempore procurare, occupare, imo nec praetendere ullatenus praesumant. 3. Nullus praedictae provinciae religiosus in locis nostris ipsis convicinis, quaecumque illa sint, eleemosynas, inscio superiore illius conventus, residentiae aut hospitii; si vero fuerit parochia, inscio patre parocho, nec per se nec per interpositam personam sive fuerit pro sacris sive dono oblata, nec in pecunia nec in alia quacunque materia procuret, petat, accipiatve. Et pro exactiori huius puncti observantia, quando quispiam praefatae provinciae religiosorum ad conventus, residentias hospitiaque nostra propter evidentem necessitatem accesserit, maxime ubi Bulgara natio commoratur sub nostra iurisdictione, uti Budae, Bayae, Szomborini, Bacsini, Petervaradini, Ilokini, Valkovarini, Essekini etc. semper ab aliquo provinciae nostrae filio, a superiore illius loci, non ad petitionem exeuntis sed ad eiusdem superioris placitum, pro socio sibi assignando, comitatus exeat extra conventum, et cum eodem revertatur. 4. Elapso sex annorum spatio teneantur nobis praefati patres absque ulla tergiversatione, resistentia et oppositione, praedictos duos conventus statim restituere, cum omnibus supellectilibus sacris et profanis, parochiis, vineis, pratis, prunetis, aliisque rebus omnibus tam mobilibus quam immobilibus, quomodolibet ad praedictos duos conventus spectantibus, in eadem omnino forma, in qua ipsis a nobis traditi fuerunt. 5. Nullum aedificium in praedictis duobus locis erigant, si quid vero contra nostrum intentum aedificaverint, nullam compensationem seu refusionem pro dictis aedificiis a nobis praetendere possint aut debeant. 6. Nullatenus tamen intendimus praedictos conventus esse traditos, nisi prius omnia puncta haec praefata provincia se observaturam fideliter obligaverit et appromiserit et quidem cum sigillo et subscriptione reverendissimi patris nostri superioris generalis. Actum Velicae in conventu nostro s. Augustini in pleno definitorio hac die 21 mensis Septembris anno restitutae per Christum salutis 1710. Fr. Gabriel Guganovich provinciae definitor. Fr. Antonius Illych provinciae definitor. Fr. Stephanus de Jaicze provinciae definitor. Fr. Bonaventura de Possega provinciae custos. Fr. Marcus Bulaych exprovincialis et substitutus definitor. Fr. Andreas ab Imotta provincialis.

Liber continens omnes capituli ex congregationis actus huius Bosnae Argentinae ... Tom. I. 1693. msc. Biblioth. Budensis fratrum minor. fol. LXXIV.

MCCCCXC. 1716, 29 Martii, Osjekini.

Alexander Joannes Kallanek praefectus regiminis in Slavonia publico testimonio provinciae Bosnensis fratres adversus calumniatores defendit eorumque innocentiam probat.

Posteaquam admodum reverend. in Christo religiosus pater Peterus Pastirovich, ordinis sancti Francisci minoris observantiae Bosnae Argentinae provinciae pro tempore custos, nobis infrascriptis in persona et totius sui venerabilis ordinis fratrum nomine lamentabiliter et luctuose exposuerit, quendam malevolum, apud sacram de propaganda fide congregationem Romae existentem, praenominatae suae provinciae Bosnae Argentinae fratres contumeliose et ullo absque fundamento et veritate accusavisse et inculpasse, ac si clericos istos saeculares, quos vulgo Pe-

trinos vocant, his in partibus hinc inde commorantes omnes ex suis parochiis ac iuribus parochialibus vi quadam expulissent, illorumque loco provinciae huius patres suos instituissent: eapropter et cum nobis infrascriptis, qui iam a 15 annis in servitiis sacratissimae caes. regiaeque maiestatis his in regionibus sumus, peroptime constet, quod in hodiernum nec unicus Petrinus a saepe memoratis provinciae Bosnae Argentinae patribus ex sua parochia expulsus sit, immo et actu quotquot illorum hucusque in hac patria fuere in parochiis suis imperturbate sedeant et maneant. Sic supra nominatus admodum reverendus provinciae Bosnae Argentinae p. t. custos nos infrascriptos suo reliquorumque suorum venerabilis provinciae fratrum nomine instantissime requisivit; quatenus nos illis in hac causa, in quantum nobis de illa constaret, non aliam, quam veritati et iustitiae consentaneam, attestationem in authentica forma extradare haud dedignare velimus. Considerata itaque pauperculorum huius provinciae Bosnensis fratrum iustissima petitione amoreque veritatis et aequitatis maxime ducti, hisce coram omnibus et singulis, quibuscunque scire expedit, universis harum litterarum nostrarum testimonialium vigore, in optima iuris et conscientiae nostrae forma attestamur: nos toto tempore, a quo his in partibus haeremus, unquam in alia parochia talem sic dictum Petrinum vidisse et reperiisse, neque quidquam audivisse, excepto uno in pago Guginczij (Gundinci?) et uno Malovaczij et uno Lovasini et duobus in quodam oppido Niemczi vocato, existentibus, qui tamen nunquam ex suis sedibus parochialibus expulsi, sed in praesens usque tempus in eisdem imperturbate permanserunt, et actu maneant. Innocentissime proinde et non aliter nisi contumeliose hosce provinciae Bosnensis fratres hoc in passu accusatos esse testamur, cum hoc verissimo annexo, quod, nisi hi patres in extremis confiniis adessent, vacuas parochias e gremio illorum replerent, curamque miserae plebis in administrandis spiritualibus officiis haberent, vere hucusque iam multi catholici sine s. s. sacramentorum administratione exspirassent. Quae omnia ipsissima tota huius patriae plebs, si necesse fuerit, attestabitur. In quorum fidem litteras hasce testimoniales propriis manibus subscripsimus, sigillisque nostris munivimus. Actum Esseckinij die 29. Martii 1716. (S. S.) Alexander Joannes de Kallaneck sac. caes. regiaeque maiestatis consiliarius praefectus et iudex regiminis in Sclavonia. (L. S.) Nicolaus Ignatius Seng caesareo regius inspectionis cameralis controlor in Slavonia. Praesentem copiam suo originali diligenti collatione de verbo ad verbum similem et consonantem esse adinvenisse testor manu propria sigilloque consueto. Vukovarini 3 Decembris an. 1722. (L. S.) Joannes Conradus Gump de Stockborg I. U. C. inclyti regiminis ... dormstadiati (?) iuratus auditor et secretarius.

Tabular. conventus fratr. minor. Vukovarien.

MCCCCXCI. 1719.

Provinciae Bosnae Argentinae ad eminentissimum Christianum Augustum, cardinalem et regni Hungariae primatem, etc. contra praesulem Belgradiensem responsio.

Eminentissime ac serenissime dux et princeps, domine, domine nobis naturaliter colendissime! Benignissimam eminentiae ac serenitatis vestrae

epistolam cum accluso domini episcopi Belgradensis memoriali humillima cum reverentia percepimus. Putabamus equidem, post abitum ex his partibus eiusdem domini episcopi nos in pace tandem et quiete victuros; at dolenter modo intelligere debemus, nos etiam a longinquo lacessiri et eminentiam vestram ac serenitatem contumeliosis contra nos querelis interpellari, ad quas, et si iam antea non semel sed pro accusatoris persistentia saepius tam sacrae congregationi de propaganda quam nuntiaturae apostolicae respondissemus, nihilominus benigno eminentiae ac serenitatis vestrae mandato obtemperantes modo etiam humillime respondemus. Et primo quidem ad fundamentum accusationis suae, qua inobedientiam nostram erga episcopos et vicarios apostolicos, reiecta etiam brevium apostolicorum authoritate, calumniatur, vocamus in contrarium testimonium septem illustrissimorum et reverendissimorum dominorum episcoporum ac ipsam eminentiam et serenitatem vestram, sub quorum gubernio et dioecesibus patres nostri curae animarum inserviunt, quorum nomine quid conqueri habeat dominus episcopus Belgradensis, nescimus, cum ipsimet capaces sint suas iniurias vindicandi, et inobedientiam nostram, si quae esset, castigandi; sed dolet forte de se ipso, et causam propriam omnibus dominis episcopis communem facit. Verum declaramus nos uti aliis dominis episcopis in suis dioecesibus, sic et illi in sua dioecesi Belgradensi obedientiam omnem et reverentiam exhibituros, in alienis vero dioecesibus, in quibus vigore alicuius brevis apostolici nobis prorsus ignoti, dicit se vicarium apostolicum nullam ipsius iurisdictionem agnoscere, nisi a vestra eminentissima serenitate et locorum ordinariis iubeamur; nam uti ex memoriali apparet, in iurisdictionem dioecesanorum involat, et Essekiensis etiam parochiae exemptae et soli eminentiae ac serenitati vestrae subiectae, curam suscipit, quasi vero domini ordinarii incurii et muneris sui negligentes essent, quod non tam nobis, quam ipsis dominis praelatis iniurium et calumniosum esse luce clarius est.

Jam ad puncta respondemus reverentissime. Ad primum, nos nec refugisse unquam nec refugere examen ordinarii aut eius vicarii, dum et quando exegerint, id enim in decreto caesareo, quo nobis parochias confirmat, expresse cautum scimus. Ad 2. Justum et aequum petitum agnoscimus et contrarium facere synodali etiam decreto prohibemur. Ad 3. Jeiunia ultra ab ecclesia Dei praecepta non promulgavimus, nisi devotionalia aliqua suadendo, maxime in periculo vicinae pestis, idque ex consilio et praescitu illustrissimi et reverendissimi domini episcopi Bosnensis. Ad 4. Habemus in synodalibus decretis expressa festa fori et devotionalia, quae pro possibilitate observare studemus. Ad 5. Cautum semper fuit decreto provincialium, ne ullus parochus audeat ad nundinas aliquas comparere, sine expressa provincialis licentia, nec tam facile probari poterit, quod ex huiusmodi incuria perierit aliqua anima sine sacramentis. Ad 6. Falsa est simpliciter accusatio, et quid Essekinum ad ipsum? Patres societatis (Jesu) parochi ibidem, iurium suorum tenaces, quererentur ipsi, si se laedi agnoscerent. Ad 7. In multis locis huius patriae antiqua consuetudo, in quibusdam etiam votum, intercessit, quo feriis quintis a Caena Domini usque ad messem feriari a laboribus placuit, et divinis interesse, in honorem venerabilis sacramenti, pro conservandis a tempestate et grandine frugibus; hinc trina his diebus tanquam festivis

ad sacrum compulsatio. Quae an superstitionem oleant, prout nobis impingitur, prudentum iudicio relinquimus, scientes bene in aliis etiam regionibus similia passim ex devotione, sine omni superstitionis umbra, practicari. Ad 8. Falsum est, dominum episcopum Belgradensem calicem argenteum cum toto sacro apparatu nobis unquam commodasse, aut si commodavit, cur non expressit, cui, quo praesente, ubi, qua occasione commodaverit. Res sic se habet: in Belgradensi a Turcis facta reoccupatione dominus Paulus Blaxevich, parochus in pago Marinczi, metu hostis profugit, relictis et apparamentis et ovibus suis, ad quas e manibus Turcarum expediendas missus fuit ab excellentissimo domino generali Starembergh pater quidam noster (nomine) Simon, qui homines magno labore et fatigio hinc inde conquisitos ad partes caesareas traduxit. An apparatum etiam sacrum attulerit, nobis nec hactenus constitit, nec modo constat, mortuo praesertim patre; sed potius iudicamus fuisse distractum a Turcis vel Rascianis illius belli tempore. Similis falsae informationis querela est in principio memorialis de eversa parochi cuiusdam petrini domo, qui potentia mediante, nullius legitimi loci episcopi missus, in parochiam a nobis administratam veniens, horeum pro eleemosynis colligendis a nobis pretio 140 florenorum extructum dirruit, ex eoque sibi sat miseram domunculam entruxit, quam (nos) a sua eminentia piae momoriae domino cardinali Kollonitch in parochiam restituti, licite utique evertimus, respondimusque iam ter aut quater sacrae congregationi de propaganda (fide) super his duobus punctis, et tamen nondum conqueri cessat accusatoris perseverantia. Ad 9. Indulgentias multorum centenorum imo et millium annorum nos saepius promulgare non diffitemur sed a sacra sede apostolica concessas, quae ubi revocatae fuerint, obtemperabimus desiderio illustrissimi et reverendissimi domini episcopi Belgradensis, cuius non tam zelum ex hoc memoriali suspicimus, quam malevolentiam admiramur, qua non cessat nos et provinciam hanc nostram, de fide catholica sub gravissimo Turcarum iugo per centum et septuaginta annos his in partibus conservata optime meritam, turpissimis infamationibus et veris calumniis apud sacram congregationem de propaganda (fide), apud nuntiaturam apostolicam, apud eminentiam ac serenitatem vestram iniuriosissime lacessere et honorem nostrum prostituere.

Habemus hic in medio nostri reverendissimum dominum Bosnensem, doctrina, zelo, probitate et pietate domino Belgradensi nihilo inferiorem, ne dicamus multis gradibus superiorem, qui similia, quae nobis appinguntur scandala, minime pateretur; homines sumus et defectibus ac erroribus obnoxii, nec diffitemur contigisse et contingere aliquando in parochiarum administratione defectus, non ideo tamen omnes incusandi et cum prostitutione religionis querelandi. In moratissimis etiam ac ordinatissimis dioecessibus scandala quandoque provenire audimus, nec tamen totum inde sacerdotii saecularis ordinem condemnamus.

Inquisitionem tandem suadet et petit illustrissimus et reverendissimus dominus accusator, nec nos recusamus, id dumtaxat ab eminentissima serenitate vestra petimus, ut eadem occasione in vitam et mores eiusdem domini episcopi, qua tot annorum his in partibus parochi et in eiusdem administrationem, qua episcopi, inquiri faciat, et speramus reperturam eminentiam ac serenitatem vestram in illi trabem, qui in nostris festucam tam subtiliter observant.

Et haec sunt, eminentissime ac serenissime princeps, quae ex tam iusta honoris nostri prostitutione, iusta doloris acerbitas nobis dictavit, quae pro innocentiae nostrae defensione contra infamationes et calumnias in memoriali expressas, verissime allata, dignetur eminentia ac serenitas vestra, pro innata sua clementia, benigne suscipere, provinciamque hanc nostram gratiis suis, altoque patrocinio fovere ac tueri; nos non cessabimus pro incolumitate longaevaque vita eminentiae ac serenitatis vestrae Deum exorare, prout et oramus quotidie, sacramque eiusdem purpuram humillima cum reverentia exosculantes manemus

Eminentissimae serenitatis vestrae.

Exemplum huius instrumenti servatur in tabulario conventus pp. Franciscanor. Vukovariensis sub signo C. nr. 11.

MCCCCXCII. 1727, 27 Novembris, Belgradi.

Fratribus ordinis s. Francisci, provinciae Bosnae Argentinae, locus Belgradi „Imareth" dictus pro residentiae et ecclesiae aedificatione conceditur.

Vigore huius in regno Serviae erectae administrationis omnibus et singulis notum sit: postquam ordinis s. Francisci religiosi provinciae Bosnae Argentinae summo consensu suae caesareo-regiae maiestatis isthic stabiliti pro fide digno testimonio omni cum submissione supplicarunt, ut pro residentiae et ecclesiae aedificatione idem spatium et locus indulgeretur, quem memorati religiosi adhuc ante recuperationem huius primarii et confiniarii propugnaculi obtinuerant, atque a Turcis „Imareth" appellari consueverat, qui in praesentiarum iuxta noviter institutum ordinem in publicum civitatis vicum excurrit. Proinde huius verae circumstantiae intuitu superius nominatae religioni non modo dictus locus „Imareth" permittitur, verum etiam alterum loci spatium pro commoda habitatione et officii divini persolvendi indigentia ex benigno consensu adiungitur, ac quemadmodum uberius in publicis civitatis tabulis reperire est, pleno iure iisdem asseritur; nec non in huius attestati maius robur, subscriptionis et sigilli administrationis adpressionis interventu extradere et exhibere placuit. Actum Belgradi die 27 Novembris 1727. Le Baliff Marulli (L. S.) Joannes Franciscus Ingram camerae aulicae secretarius. Franciscus lib. baro de Schmidling.

Fr. Emerici Pavić: Ramus viridantis Olivae Budae. 1766. p. 376.

MCCCCXCIII. 1733. 17 Maii, Coloczae.

Gabriel Patačić, episcopus Syrmiensis et nominatus archiepiscopus Colocensis, fratrum minorum provinciae Bosnae Argentinae pristinos labores apostolicos in conservanda et promovenda re catholicae fidei exantlatos enarrat, eosdem contra iniustas quorumdam censuras defendit et primati Strigoniensi commendat.

Reverendissime ac celsissime s. rom. imperii princeps, primas, archiepiscope, domine, domine, mihi benignissime et semper gratiosissime! Expositum iam praeexstitit per rr. pp. Franciscanos almae provinciae Bosnae Argentinae de conventu Petrovaradiensi celsitudini vestrae, qua-

liter eos reverendissimus ac illustrissimus dominus comes et episcopus Berenyi, qua celsitudinis vestrae suffraganeus, occasione suae in partibus inferioribus institutae visitationis tractaverit, qualiter prosciderit et quam enormes honoris et famae bonae lappas, non tam illis, quam toti provinciae, vere innocenti inusserit, ut proinde provincia vulnus suum medico sapientissimo pro opportuno obtinendo remedio merito aperire contendat; sunt et alia, in quibus devotiones publicas idem dominus praelatus interdixit et privilegia ordinis seraphici amplissima quodamodo mutavit, quae tamen pro hic et nunc praetereo et illis solum, quae me tanquam adhuc Syrmiensem antistitem, quam et indignum Colocensem archiepiscopum ac per consequens alios etiam praelatos huic suffraganeos, qui in excollenda vinea Domini instrumentis ut plurimum seraphicis Bosnae provinciae utuntur, respiciunt. Nec latebit celsitudinem vestram, propria in dioecesi Zagrabiensi, cui gloriose et laudatissime cum immortali sui memoria praeerat, parte Slavoniae edoctam experientia, quas aerumnas, quas miserias boni patres tempore hostili sub durissimo turcico iugo, pro fide sustinuerunt, quomodo in cavernis et foraminibus petrae latitantes panem doctrinae christianae Christi fidelibus indesinenter frangebant, qualiter soli impetum inimicorum fidei iuratorum exceperint et reliquias christianitatis in longe lateque diffusa plaga zelose conservaverint, ut merito athlanteis humeris, quibus religio romana in Slavonia innitebatur, muniti existimentur. Contigit tamen, ut ille dignissimus alias visitator praelatus horum nihil, quae publica de fide et merito in rem christianam circumfert fama, subaudiverit, sed a superficie personas et religionem censurare, atroque admodum calculo notare caeperit. Hinc celsissime princeps, optime faciunt optimi patres, si talis iudicis sententiam interpellant, cui causa eorum citra ullam allegatorum necessitatem est perspecta, quam ut celsitudo vestra sibi cordi benigne sumere, et qui viscera sua, corpus et animam pro conservatione religionis catholicae alacriter et impavide hactenus exposuerunt, viscera quoque misericordiae suae illis indulgere dignetur, rogo humillime, ut et ego et alii domini praelati, qui in ipsorum administratione et aedificamur et contentamur, altissimo etiam celsitudinis vestrae suffragio experiamur, an patres illi tales sint, quales per praetitulatum dominum suffraganeum nominabantur. Quos una mecum celsitudinis vestrae protectioni conspicuisque gratiis demisissime commendo et cum summa eiusdem veneratione persisto Celsitudinis vestrae Coloczae die 17 Maii anno Domini 1733. humillimus devotissimus servus Gabriel episcopus Syrmiensis et nominatus archiepiscopus Coloczensis m. p.

Cod. msc. adversariorum p. J. Jakosić ord. s. Franc. libr. III. qui servatur in bibliotheca conventus Budensis.

MCCCCXCIV. 1746, 5 Julii, Viennae.

Fr. Franciscus Ivanović, minister provincialis Bosnae argentinae, patribus guardianis Slavoniae scribit, ut procurent attestata nobilium et fidelium pro defendendis penes aulam Viennensem iuribus provinciae Bosnensis in parochias Slavoniae.

Reverende pater definitor in Christo observantissime! Znajte dobro, da su se dogovorili svi biskupi megiu sobom, da nam pootimaju sve

